7. Sed ut reprehensibles erraticos [a] notavit, ita et eos quos quantum ad hoc institutum [b] opus pertinet, praetermittendos esse existimat, competenter enumerat, cum subiungit: *neque vero ego de veteri disputo*, et reliqua usque *pervenit.* Nota historia est, quod Ptolemaeus philadelphus rex Aegypti petivit ab Eleazaro pontifice dari sibi divinas scripturas. Itaque ·LXX· seniores, qui in sacris erant eloquiis edocti, vetus testamentum maxima cum industria [c] ex hebraeo in graecum transtulerunt sermonem, quorum editionem multi orthodoxi patres sequentes, in latinam linguam tertio iam gradu transtulere. Pulchre autem ad nomen veteris testamenti alludit, cum ipsum nonnisi a grandaevis et senioribus refert fuisse translatum; ut videlicet vetus testamentum veteres et seniores conscriberent. Et quia multa etiam utilia a ·LXX· interpretibus, quasi quadam incuriosa oblivione praetermissa sunt, quod apostolica auctoritas approbat, apte illos seniores nominat, quae

(a) Gl. *ferstnoc.* (b) Gl. *kemeintaz.* (c) Gl. *keuuerido*, *khleini*, *klerti*, *nuistuome.*

aetas obliviosa esse a physicis perhibetur. Quod autem ·LXX· interpretum editionem tertio gradu ad Romanos pervenisse asseverat, in hoc latenter ostendit, propter varios ac vitiosos interpretes, multa vitia in latinis codicibus fuisse conscripta, quando non ex hebraicae veritatis liquido fonte, sed per varios turbulentos rivulos tertio tandem gradu sacra veteris instrumenti scriptura in romanum manavit eloquium. In hoc itaque loco et in subsequentibus incuriam suggillat interpretum.

8. *Non quaero quid Aquila, Symmachus, et Theodotion,* et reliqua usque *incedat*. Ecclesiastica refert historia quod hi tres interpretes ebionitae haeretici fuerunt, quae haeresis asserit Christum, de Ioseph et Maria natum, hominem purum fuisse, et legem ritu iudaico esse servandam. Symmachus graecus fuit temporibus Severi imp. Sed Aquila ponticus sub Commodo, Theodotion ephesius sub Hadriano, ambo tamen iudaei proselyti in eadem historia fuisse leguntur, ideoque ex hebraicis voluminibus quasi hebraei in graecum sermonem, quem proselyti didicerant, interpretandi peritiam habuerunt. Porro Theodotionem inter novos et veteres idcirco medium incedere dicit, quod aliquando ·LXX· seniorum, nonnumquam vero Aquilae et Symmachi editioni consentaneus invenitur. In quo tacite insinuat Hieronymus, quod ipsi Theodotioni quasi subtilis ingenii viro, non per omnia ·LXX. interpretum, neque Aquilae et Symmachi editio probabilis fuerit visa; sed nunc istos nunc illos assequens nunc quaedam peculiaria ex hebraica veritate assumens, elegantiora quaeque ut sibi visum fuerat edidit. *Sit illa vera interpretatio q. a. p.* Non ego, inquit, nunc discutio, an sit etiam illa vera interpretatio, qua ego ipse ex hebraica veritate vetus testamentum in latinum transtuli sermonem, cum evidentissime ipsam veram esse con-

stet, quam apostolica mecum simul auctoritas comprobet. Multa namque testimonia ex veteri instrumento in apostolicis dictis posita reperiuntur, quae non in ·LXX· interpretum editione, sed in hebraica veritate, ex qua Hieronymus transtulit, inveniri possunt. Sicuti est illud "ex Aegypto vocavi filium meum," et alia plurima.

9. Satis autem honeste ac verecunde de sua tamquam de alterius interpretatione loquitur cum dicit: *sit illa vera interpretatio, quam apostoli probaverunt;* ne videlicet arroganter de se ipso loqui videretur. *Non igitur,* inquit, *de veteri testamento, nec de variis eiusdem interpretationibus nunc disputando iudico; de novo nunc loquor testamento, quod graecum esse non dubium est,* et reliqua usque *edidit.* Novum testamentum proprie vocatur perpetuae hereditatis caelestisque beatitudinis firma Dei promissio, omnibus per fidem in gratia baptismatis iustificatis. Testamentum instrumentum dicitur, quod graecum esse non dubium est, quia nimirum omnes codices novi instrumenti primum graeco sermone sunt editi, excepto apostolo Matthaeo; non quod ipsius quoque evangelium graeco sermone non esset conscriptum, sed quia primitus hebraicis litteris est editum, ac dehinc in graecum sermonem fuit translatum. *Hoc certe cum in nostro sermone discordat, et in diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quaerendum est.* In romano sermone varium et inter se dissonum fuisse evangelium saepe commemorat, quod non limpido puroque fonti, sed propter discrepantes ac varios codices diversis ac turbulentis rivulorum tractibus allegorice comparat; ideoque ex graeci sermonis fonte purissimo dulcem veritatis haustum quaerendum esse dicit, id est veritatem ex veris Graecorum exemplaribus quaerendam; falsos vero codices penitus refutandos asserit. Unde apte subditur: *praetermitto eos codices,* et reliqua usque *quae addita sunt,*

Hi duo Lucianus et Hesychius emendarios [a] immo falsarios de veteri et novo testamento codices ediderunt, quibus ·LXX· interpretum editionem praesumptiosa temeritate absque hebraicae veritatis consideratione [b] emendare conati sunt; nec non ad erroris sui cumulum, in novo testamento quaedam superflua et inepta superaddiderunt. Quorum merito codices praetermittendi sunt, in quibus ridiculosa emendatio falsaque additio perspicue cernitur. Potest et aliter intellegi, quod praefati codices nec revera a Luciano et Hesychio facti sunt, sed sub eorum nomine falso titulo a quibusdam perversis sunt nuncupati. Non enim dicit ipsos codices a Luciano et Hesychio factos, sed nuncupatos esse confirmat; sicut quidam pseudoevangelistae sub nomine apostolorum falsa sua evangelia praetitulaverunt.

10. *Igitur haec praesens praefatiuncula*, et reliqua usque *sed veterum*. Hoc est quattuor tantum evangelia per authentica Graecorum exemplaria emendata esse proposuimus, omissa de veteri testamento disputatione, deque variis interpretibus sive veridicis sive erraticis. Signanter autem ordinem ipsorum describit evangeliorum cum dicit: *quorum ordo iste est, Matthaeus, Marcus, Lucas, Iohannes*, propter discretionem ostendendam ad falsa evangelia, quae a quibusdam pseudoevangelistis sub quorumdam sive omnium apostolorum nomine praenotata sunt. Μετωνυμικῶς autem loquitur, ipsos scriptores pro scriptis evangeliis nominans. Proprie enim diceretur, quorum ordo iste est κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. *Calamo*. Calamo imperare (1) scribere est, sed maluit tropice loqui. Hunc autem ordinem quattuor evangelia sumpserunt a differenti tempore con-

(a) Gl. *puozzila puoch*. (b) Gl. *keuuerido*.

(1) Ergo Sedulius legebat in textu Hieronymi *calamo imperavimus*, non *temperavimus*.

scribendi. Nam primo Matthaeus, secundo Marcus, dehinc Lucas, postremo Iohannes evangelium scripsit. Igitur quattuor tantum evangelia se emendare promittit. Sed qualis sit ipsius emendationis modus, utrum scilicet in verbis et in sensu, an in solis verbis, an potius in solo sensu perturbato, ipsa correctio fiat, breviter explanat subdens: *quae ne multum a lectionis latinae*, et reliqua usque *ut fuerant*. Facilis sensus est ad intellegendum; nam se asserit ea tantum corrigere, quae sensum videbantur immutare; ut non tam [a] de verborum foliis, quam de sensuum fructuosis thesauris procuraret. Hoc autem fecit, ne si verba et sensum per omnia quae discrepabant loca corrigeret, nimia sui operis novitate cunctos offendens, ab utilitate tam magnifici laboris excluderet.

11. Solent autem sancti patres propter caritatem non solum ab aliis postulata implere, verum etiam quaedam utilissima et necessaria addere. Qua virtute beatus Hieronymus praeditus, non solum evangelia, sicuti iussum ei fuerat, corrigit; sed etiam quasdam insuper novas ac valde necessarias evangelici voluminis regulas descripsit; de quibus consequenter edisserit, cum subdit: *canones quoque*, et reliqua usque *expressimus*. Canones [b] graece, latine regulae dicuntur; quorum nomine non solum evangelicas, sed generaliter omnes quaslibet normales regulas appellare solemus. Ipsos itaque evangeliorum canones, non sua propria industria [c] sed ab aliis illustribus et sapientibus viris inventos, in latinum se asserit transtulisse sermonem. Tres autem Caesareas legimus, unam Caesaream Cappadociae, quae est metropolis Syriae, et duas in terra promissionis, id est Caesaream Philippi ad radices montis Libani, et Caesaream Palaestinae quae est in litore maris magni sita, quae quondam Turris Stratonis dicta est, ubi nepos Herodis ab

(a) Gl. *nols so filo.* (b) Gl. *kerihtida.* (c) Gl. *klerti.*

ab angelo percussus est, et Cornelius centurio baptizatus, cuius Caesareae Eusebius chronicorum scriptor, historiarum expositor, notissimus episcopus floruit.

12. Ob quas vero causas ·X· canones evangeliorum notati sint atque ordinati, continuo explanat: *quod si quis de curiosis*, [a] et reliqua usque *cognoscat*. Triplicem, inquit, ob causam canones expressimus, id est interpretati sumus, quatenus quilibet studiosus per eosdem distinctos canones, singula quaeque in evangeliis capitula, utrum eadem, vel vicina, vel sola sint, cognoscere possit. Eadem autem capitula sunt, quae in verbis et in sensu nullum inter se distamen habent. Vicina vero nominantur, quae vel in verbis vel in sensu, seu in utroque, ut quandam similitudinem habere noscuntur, ita et ex parte nonnullam dissimilitudinem habent. Sola vocantur, propria quaeque apud singulos evangelistas capitula. Sed sola in decimo canone, eadem vero vel vicina in aliis novem canonibus sparsim posita reperiuntur. Cum igitur aperto codice, quodlibet in evangelio capitulum perspexeris, canone quolibet ex novem canonibus reperto, procul dubio cognosces qui et quot evangelistae ipsum capitulum ediderint; atque eodem, uno seu pluribus concordantibus evangelistis, perspecto ac recitato capitulo, utrum idem an vicinum sit ipsum apud duos, aut tres, aut quattuor evangelistas capitulum statim praenotabis. Sin vero decimum canonem superscriptum esse videris, proprium eiusdem evangelistae quem recitas, cuncta erroris nebula subtracta, capitulum esse non dubitabis.

13. Quem detestandum errorem competenter describit cum ait: *magnus siquidem*, et reliqua usque *inveniantur*. In latinis codicibus duos praecipue erroris modos crevisse dicit, adiectionem videlicet et immutationem. Adiectionem in illis capitulis quae in quibusdam evangeli-

(a) Gl. *forsklinen*, *Aruuizgernen*.

stis plus posita, in aliis qui minus dixerunt sunt addita. Immutationem vero quotiens quilibet temerarius ad similitudinem illius evangelii, quod primum ipse legerat, cetera evangelia emendaverit, alia scilicet verba pro aliis, licet in eodem sensu, ponendo. Unde accidit ut omnia quae variis in locis vicina vel sola reperiuntur, in aliis evangelistis immutata vel addita ponerentur. Nam vicina immutata; sola vero, quae etiam propria dicuntur, sunt addita. Eadem autem, quia nulla secundum erraticorum aestimationem ratio exigebat, nec mutata nec addita fuerunt.

14. Quaeritur cur etiam alios duos erroris modos, quibus latinum evangelium vitiatum fuerat, scilicet detractionem et transmutationem, in hoc loco non commemorat. Ad quod respondendum, quod errorem eorum hic specialiter redarguit, qui pleraque addendo sua industria, nonnulla vero immutando, quattuor evangelia emendanda esse censuerunt. Ceterum [a] quae recta et plenaria sunt, vel minuere vel transmutare, vitiosa neglegentia vitiosorum interpretum, vel librariorum dormitantium, sicut etiam supra dictum est, contingit. Potest autem nomine immutationis, etiam transmutatio, adiectio, et detractio intellegi. Cum enim quodlibet capitulum pro alio capitulo ponebatur, aut maius pro minori, in quo quaedam adiectio fiebat; aut minus pro maiori, in quo detractio erat; aut aequale pro aequali capitulo immutabatur. Notandum autem quod μετωνυμικῶς ipsos evangelistas pro evangeliis nominavit. Quali autem remedio, vel quibus regularibus normis praefatis erroribus succurratur, subiungit: *cum itaque canones legeris*, et reliqua usque *restitues*. Quomodo per distinctos canones cognoscantur, quae sunt in evangeliis eadem vel vicina vel sola, supra expositum est. Nunc notandum est, quod si-

(a) Gl. *andarstabo*.

milia nominando, eadem ac vicina capitula designat. Quid enim plus simile dici potest, quam quod idem aut vicinum est?

15. Ostenso in superioribus canonum numero, modo ipsos canones propriis definitionibus describit dicens: *in canone primo*, et reliqua usque *ediderunt*. In primis sciendum est, horum canonum quattuor esse modos; primus modus est, in quo quattuor evangelistae concordant, qui primum solummodo canonem continet. In quo primo canone quattuor species esse videntur: aut enim unus evangelista semel in uno aliquo capitulo aliquam causam ex toto vel ex parte dicit, aliique tres diversis capitulis multipliciter narrant. Aut duo semel, et duo multipliciter. Aut omnes aequaliter, hoc est semel omnes, quando quattuor evangelistae nonnisi singulis capitulis eundem sensum exprimunt. Secundus canonum modus est, in quo tres evangelistae consonant. Sed ipse modus tres canones complectitur; in quibus tribus canonibus tres formulae reperiuntur. Nam aut unus semel, et duo multipliciter; aut duo semel, et unus multipliciter; aut omnes tres aequaliter in ipsis consonant canonibus. Tertius modus est, in quo duo evangelistae concinunt; quo tertio modo quinque canones concluduntur; in quibus quinque canonibus biformis varietas elucescit. Aut enim alter semel, et alter multipliciter; aut ambo aequaliter in his quinque canonibus ipsa capitula contexunt. Quartus modus est, in quo nulla concordantia, nullaque inter evangelistas invicem dissonantia habetur. Ubi enim nulla inter plures collatio est, nec concordantia nec dissonantia fieri potest. Iste autem quartus modus decimum solummodo canonem continet.

16. De ordine horum quattuor modorum quaestio oritur, cur iste quartus modus qui ad decimum canonem pertinet, non primum locum ante ceteros modos opti-

net, cum in decimo canone singuli evangelistae sola vel propria narrent; vel cur non est secundus modus, ubi duo; et tertius, in quo tres; et quartus, ubi quattuor evangelistae concordant, cum hic ordo melior sit, qui a singulis ad binos ac ternos quattuorque consurgit? Sed respondendum, quod non ab ordinabili numero, sed ab excellentia numerosioris concordantiae isti quattuor modi ordinati sunt. Nam ubi maxima inter quattuor evangelistas concordantia est, primus modus esse debet; secundus, ubi inter tres; tertius, ubi inter duos evangelistas consonantia habetur. In quarto limite ille modus collocandus est, in quo nulla concordantia, sed absoluta singularitas evidentissime cernitur. Notandum quoque quod hic numerus ·X· canonum in quattuor evangeliis, attestatur doctrinam evangelicam decalogo legis esse concordissimam. Ceterum de numero et ordine eorumdem canonum, in plenario (1), de quo et haec excerpta sunt, reperies. Illud quoque notandum, quod praefati canones non omnes in singulis evangelistis positi reperiuntur. Nam in Matthaeo octo positos esse videbis, excepto octavo et nono canone. In Marco sex, praetermisso tertio quinto septimo ac nono canone. In Luca septem, exceptis quarto septimoque canone. In Iohanne sex, praeter secundum quintum sextum et octavum canonem positos reperies, sicut etiam superior canonum descriptio manifestat.

17. Nunc ad ipsorum argumentationem (2) canonum stilus sermonis vertendus est, in quo prorsus argumento fructus et utilitas cuiusque canonis subtili consideratione discutitur. Singulis vero evangeliis, ab uno incipiens us-

(1) Notemus Sedulii *opus plenarium*, quod non aliud esse puto, quam eius collectanea in Matthaeum, de quibus dixi in praef. tomi praecedentis p. VII. Nos vero laetamur, saltem excerpta eius inediti adhuc operis nunc edere posse.

(2) Glossa latina: *demonstrationem, notitiam*.

que ad finem librorum, dispar numerus increscit. Per singulos evangeliorum codices bipertitus numerus, capitulorum videlicet et canonum, qui est ad invicem dissimilis, singulis capitulis appositus, id est superscriptus habetur; qui uterque numerus, ab uno, primo scilicet capitulo atque canone, in singulis evangeliis incipiens, usque ad finem cuiusque evangelii per ordinem conscendit. Sed non similiter uterque numerus capitulorum et canonum in evangeliis principium sumit. Nam capitulorum numerus in fronte cuiuslibet evangelii ab uno incipit, ac dehinc per ordinem usque ad finem ipsius evangelii percurrit. At vero canonum numerus, in nullius fronte evangelii ab uno exordium sumit; cum primum capitulum secundum Matthaeum et Iohannem, tertii; secundum Marcum, secundi; secundum Lucam, decimi canonis sit. Sed ab eo loco specialiter incipit, ubicumque in quolibet evangelio primus canon primum superscribitur; secundo quoque canone ibi incipiente, ubi in evangelio etiam ipse primo apponitur. Quod et de ceteris canonibus similiter intellegendum est, id est ut tertius et quartus et reliqui omnes canones ibi quisque primus incipiat, ubi in quolibet evangelio primus superscribitur. (Quod tamen primum capitulum secundum Marcum non in exordio eiusdem canonis, sed quasi in medio ipso canone invenies, id est ubi Matthaeus ·CIII· et Lucas ·LXX· capitulum e regione habent notatum. Prima autem capitula Matthaei et Iohannis in exordio tertii canonis habes; et primum capitulum Lucae in principio decimi canonis invenies. (1))

18. Igitur ut dictum est, capitulorum numerus in fronte cuiuslibet evangelii ab uno inchoat. Canonum vero calculus, licet non in principio cuiuscumque evangelii, tamen ab uno similiter, hoc est primo cano-

(1) Haec erant in margine codicis.

ne, in quolibet evangelio exordium habet, secundo et tertio reliquisque canonibus deinceps sequentibus (1). Itaque canones secundum Matthaeum ab octavo (secundum Marcum secundo, iuxta Lucam septimo, secundum Iohannem decimo capitulo) ab uno, hoc est primo exordiuntur. Quod vero ait utrumque numerum disparem esse, quomodo hoc verum est, cum tertium in Iohanne capitulum, hoc est, erat autem lux vera quae illuminat, et reliqua, tertium canonem habeat subscriptum, in quo nulla disparilitas sed numeri aequalitas habetur? Sed disparem numerum dissimili colore designatum appellat. Unde per se ipsum explanans, continuo subiungit: *hic nigro colore praescriptus sub se habet a. ex. m. n. d.* Nam capitulorum numerus ex nigro, canonum vero rubicundo ex minio colore perscribitur. Et quia capitula ante canones inventa, nigro colore sicut ab initio coeperunt, describuntur, recte canones per capitula inventi, rubicundo colore ob causam discernendae ambiguitatis annotantur. Sed licet uterque numerus, id est capitulorum et canonum, ab uno incipiat, non tamen in eumdem numeri articulum terminatur. Nam capitulorum numerus diverso limite in singulis evangeliis clauditur. Canonum vero calculus in decimum semper numerum desinit. Unde recte subditur: *qui ad decem usque procedens indicat p. n. in quo sit c. r.* Numerus canonum iuxta unumquemque evangelistam ab uno id est primo canone incipiens, in decimo canone terminatur. Siquidem in singulis evangeliis, licet quidam mediales canones non reperiantur, primus tamen ac decimus canon semper apud omnes evangelistas communiter invenitur.

(1) *In margine legitur*: nam capitula primi canonis primo loco in quolibet evangelio usque ad finem computare debemus; dehinc secundo loco capitula secundi canonis; tertio tertii, ceterorumque canonum capitula in quolibet evangelio secundum ordinem sunt numeranda.

19. Itaque ne ipsa capitula, quodam confuso errore, in alio nisi in suis canonibus computentur, subtili indagine praecavet cum subnectit: *cum igitur aperto codice*, et reliqua usque *doceberis*. Rerum ordinem attentius inspice: nam primo nos admonet, evangelicum volumen aperire: secundo, quodlibet capitulum ex subsequenti numero per minium subscriptum, cuius canonis sit, dinoscere. Sed quoniam neque in hoc solummodo perfecta ipsius rei cognitio percipitur, nisi etiam illud sciatur, in quibus capitulis vel unus vel duo vel tres evangelistae, in eodem vel vicino sensu alii evangelistae concordent, nos ad distinctam seriem canonum recurrere insinuat, ita subnectens: *et recurrens ad principia, in quibus canonum est distincta congeries*, et reliqua usque *adnotabis*. His etenim verbis ad distinctos canonum ordines recurrere nos admonet, ut illud in congerie canonum discamus, in quibus capitulis vel tres, vel duo, vel unus evangelista in consimili sensu cuilibet evangelistae concordet.

20. Et ex hoc loco manifeste intellegitur, quod unumquodque evangelium, non alium nisi suorum capitulorum numerum, debet habere superscriptum. Nam si numerus capitulorum secundum alios etiam evangelistas in unoquoque evangelio superscriptus fuisset, non nos ad canonum congeriem recurrere admoneret; siquidem hoc necessarium non esset, si in quolibet evangelio sicut et in congerie canonum, iidem capitulorum numeri secundum plures evangelistas invenirentur. Sed quia nos ad canonum congeriem recurrere admonet, perspicuum est, quod illud in congerie canonum discere debemus, in quibus capitulis vel tres, vel duo, vel unus evangelista, in consimili sensu cuilibet evangelistae concordet, quod non in ipso evangelio, sed in canonum serie discendum esse ostendit: quippe cum unumquodque evangelium non alium nisi suorum capitulorum numerum debet ha-

bere superscriptum. Unde et in superioribus non plures quam duos in evangelio numeros crescere confirmans, hic, inquit, nigro colore praescriptus, sub se habet alium ex. m. n. d. Nam si quodlibet in evangelio capitulum non solum suum numerum, sed etiam numeros capitulorum secundum alios evangelistas haberet superscriptos, non singulariter numerum ipsorum capitulorum, sed pluraliter enumeraret ac diceret: hi nigro colore praescripti sub se habent alium ex. m. n. d. Sed quia capitulorum numerum quomodo et canonum singulariter describit, illud insinuat quod unumquodque in evangelio capitulum, non alium nisi suum numerum debet habere superscriptum. At vero huic oppositos secundum alios evangelistas capitulorum numeros, in congerie canonum perquirendos esse admonet.

21. Quaeritur autem cur ipsa aliorum evangelistarum capitula cum proprio cuiuslibet evangelistae capitulo coniunctim superscribantur, cum sancti Hieronymi sententia unumquodque evangelium nullum nisi purum capitulorum numerum habere superscriptum adstruere videatur. Sed forte aliquis benivolus ipsorum capitulorum numerum evangeliis inscripsit, quatenus infirmioribus sensu laborem et difficultatem recurrendi ad congeriem canonum tolleret; aut si forte quilibet ipsam congeriem canonum in suis codicibus adnotatam non haberet, saltim numerum eorumdem capitulorum evangeliis inscriptum teneret. Unde sicut iam propria cuiuslibet evangelistae capitula cognovit, sic etiam qui vel quot evangelistae alii, in suis capitulis huic evangelistae concordent, cognoscere possit.

22. Itaque postquam in evangelio, cuius canonis sit quodcumque capitulum didicimus, ad principia hoc est ad titulos singulorum canonum recurramus. Nam principium canonis est suus proprius titulus, qui sic praescri-

bitur: incipit primus canon, in quo quattuor, Matthaeus, Marcus, Lucas, Iohannes. Similiter et ceteri usque ad ·X· canones, sua principia id est proprios titulos habent praenotatos. Sed cognito canone ex inscriptionis titulo, subsequentem capitulorum eiusdem evangelistae tramitem perspice; atque in ipsius serie tramitis, eundem capituli numerum, quem in evangelio superscriptum notasti, si non mendosus codex fuerit, incunctanter invenies. Sed in aperto codice evangelii utrumque didicisti, id est numerum capituli, et canonem cuius sit ipsum capitulum. Quid autem proprie discatur in distincta canonum congerie, continuo explanat dicens: *atque e vicinia ceterorum tramitibus inspectis, quos numeros e. r. h. a.* Ceterorum namque est ut in distincta novem canonum serie illud proprie cognoscatur, quod in diversis tramitibus cuilibet capitulo oppositi capitulorum numeri apud unum seu plures evangelistas intellegantur.

23. Sed quid prodest in canonum tramitibus numerum capitulorum solummodo dinoscere, nisi eorum vim ac sensum in contextu ipsius evangelii ad purum comprehendere possimus? Unde nos ad ipsos evangeliorum codices recurrere hortatur, cum subinfert: *et cum scieris, recurres ad volumina singulorum*, et reliqua usque *dixerunt*. Cum in quolibet canone intellexeris varios capitulorum numeros, et qui vel quot evangelistae in ipsis variis capitulis cuilibet alii evangelistae concordent, tunc recurrens ad volumina singulorum evangelistarum, statim eosdem capitulorum numeros, quos ante in subnotatis canonum tramitibus signaveras, per singulos evangelistas, id est per singula evangelia, appositos et superscriptos esse videbis, atque eosdem evangelistas in suis propriisque locis eadem vel similia dixisse reperies. Recurres subinde cum fixa mente et firma memoria. *Volumina*, codices singulorum evangelistarum. Repertis enim

subinde in voluminibus singulorum evangelistarum numeris propriorum capitulorum, quos signaveras in canonibus, reperies intus in textu evangelico et loca, id est capitulorum aliorum evangelistarum, in quibus locis vel eadem vel vicina, id est ipsum vel similem sensum, in ipsis capitulis iidem evangelistae dixerunt. Primo itaque nos admonet, ordinalem cuiuslibet capituli numerum in evangelio scire. Secundo cuius canonis sit ipsum capitulum in ipso evangelio subspicere. Tertio eidem capitulo apud unum vel plures evangelistas oppositos capitulorum numeros in canonum distinctis tramitibus dinumerare. Quarto vim ac sensum eorumdem capitulorum in contextu evangelico quaerere, id est quatenus utrum eadem sint vel vicina capitula, dinoscere possimus.

24 Sequitur praefationis conclusio: *opto ut in Christo valeas, et memineris mei, beatissime Papa.* Magno dilectionis affectu beato Damaso, ut in Christo valeat, exoptat. Deinde praemium suscepti a Damaso operis caritative poscit, cum beatissimum Papam, ut in sacris precibus et quolibet spiritali iuvamine ipsius meminerit, desiderabiliter exorat. Finit praefatio.

ITEM HIERONYMUS DAMASO PAPAE (1).

25. *Sciendum etiam, ne quis ignarum ex similitudine numerorum error involvat.* Hoc argumentum de continuatis [a] capitulorum similitudinibus, et de oppositis eorum collocationibus indistincta canonum serie pertractat. Cuius argumenti causam ostendit dicens, ne quis ignarum ex similitudine numerorum, scilicet capitulorum, error in-

(a) Glossa *samahaften*.

(1) Negat Vallarsius S. Hieronymi editor, alterum hunc prologum, qui specialiter ad canones pertinet, habere auctorem sanctum Hieronymum. Noster tamen Sedulius, quin germanus aeque foetus beati doctoris sit, dubitasse non videtur.

volvat. (Ut verbi gratia, in primo canone secundum Matthaeum, capitulum undecimum quater notatur; secundum Marcum, capitulum quintum quater notatur; secundum Lucam, capitulum decimum quater notatur. *) Sicut enim ex rerum differentia certa scientia percipitur, sic e contrario ex indiscreta similitudine, erroris caligo nascitur. Sed quomodo huic errori succurratur, videamus. *Quod sicubi in subnotatione canonum distinctorum, in canone quolibet*, et reliqua usque *continuatas similitudines*. Sensum huius loci breviter perstringamus. Ubicumque in subiectis canonum tramitibus videris tres evangelistas id ipsum capitulum bis vel ter vel quater eo amplius adnotando iterantes, et quartum evangelistam oppositis in suo tramite diversis capitulis conspexeris decurrentem, nihil aliud ibi intellegendum est, nisi quia illud quod tres evangelistae in singulis capitulis semel dixerunt, quartus evangelista totiens multipliciter narraverit, quotiens diversis capitulis eundem sensum replicaverit.

26. Sed cum haec sententia ad primum solummodo pertineat, in quo quattuor evangelistae concordant, quaerendum cur dicat in quolibet canone, cum non in alio nisi in primo solum canone haec inter tres et unum evangelistam concordantia sit. Itaque sciendum est, quod nomen primi canonis commune sit quattuor evangelistis, quibus ipse primus canon communiter deputatur. Nam in quattuor canones ipse primus canon dividitur, qui sit primus canon secundum Matthaeum, item primus canon secundum Marcum, dehinc primus canon secundum Lucam, postremo primus canon secundum Iohannem. Quod autem ait, in canone quolibet tres evangelistas bis vel ter vel quater aut etiam eo plus eundem numerum per ordinem habere adnotandum, non ita sentiendum est quasi quolibet primo canone, verbi gratia se-

* Haec erant in margine.

cundum Matthaeum, tres evangelistae in uno ipsius Matthaei tramite, eundem capituli numerum multipliciter adnotarent; sed ita intellegendum, quod tres evangelistae singuli per se in quolibet primi canonis tramite eundem capituli numerum replicare solent. Nam in canone primo secundum Matthaeum, itemque in canone primo secundum Marcum, dehinc in canone primo secundum Lucam, deinde in canone primo secundum Iohannem, hanc replicationem crebro invenies. Haec autem replicatio fit, non quod in contextu sui evangelii quilibet evangelista unum capitulum bis vel ter vel quater aut plus iteraverit, cum prorsus illud capitulum nonnisi semel dixerit; sed ob hoc numerus eiusdem capituli in canone replicando praenotatur, quatenus ipsum capitulum quibusque oppositis apud alios evangelistas capitulis in eodem vel consimili sensu respondere monstretur.

27. Ex quo mira res fit, quod quando in evangelio suo quililibet evangelista consimilem sensum per varia capitula iterat, tunc in distinctis canonum tramitibus, nullus eorumdem capitulorum similis numerus replicatur. At vero cum in evangelico volumine a quovis evangelista semel aliquid dicitur, tunc in canonum congerie eiusdem capituli numerus recapitulatur; quia nimirum hoc quartus evangelista variis capitulis edisserit, quod alii tres semel dixerunt: ideoque numerus eiusdem capituli in canonum tramitibus repetitur, eo quod sensus ipsius in oppositis apud alios evangelistas variis capitulis continetur. Itaque quod Matthaeus undecimo, Marcus quarto, Lucas decimo capitulo, in exordio primi canonis semel proloquuntur, quartus Iohannes eundem sensum quattuor capitulis, hoc est ·VI· ·XII· ·XIIII· et ·XXVIII· multipliciter edisserit.

28. *Item si uno quolibet eorum, aut etiam duobus*, et reliqua usque *quotiens praetulerint in numerorum adnotatione*

distantiam. Sensum hunc breviter explicemus. Hoc etenim dicit: ubi in canonum distinctis tramitibus unus vel duo evangelistae eundem capitulorum numerum bis vel ter vel qnater aut plus iteraverint, et diversus capitulorum numerus in ceteris evangelistis, uno scilicet vel duobus, inveniatur oppositus, nihil aliud in hoc sciendum est, nisi quia illud quod unus aut duo evangelistae bis vel ter vel plus replicaverint, totiens unus aut duo alii evangelistae eundem sensum proloquantur, quotiens oppositis diversis capitulis ipsum sensum proferunt.

29. Sciendum autem, quod haec argumentatio ad omnes canones, excepto decimo canone, communiter pertineat. Cum enim duo evangelistae semel aliquid dicunt, et alii duo multipliciter, hoc primo canoni deputatur: cum vero unus semel, et duo multipliciter narrant, secundo et tertio quartoque canoni adscribitur: quando vero unus semel, et alter multipliciter quemlibet sensum pronuntiat, in quinque canonibus, hoc est quinto, sexto, septimo, octavo, ac nono canone huiuscemodi consonantia reperitur. Unde recte subiungitur: *hoc et in omnium novem canonum collatione servabitur*; illud procul dubio insinuans, quod haec posterior argumentatio omnibus, praeter decimum, canonibus communis sit. Quod ipse ostendit cum subinfert: *ceterum in decimo, quoniam propria s. t. c. non potest contra id comparatio e. q. s. est.* Nam si comparatio est, vel similium, vel diversorum ad minora, vel minorum ad maiora collatio; nulla comparatio fieri potest de his quae per se absoluta existunt. Sequitur conclusio: *opto ut in Christo valeas et memineris mei, beatissime Papa.* Ille in Christo valere dicendus est, quisquis cunctis virtutibus per Christum confortatus existit.

ITEM PROLOGUS QUATTUOR EVANGELIORUM

HIERONYMI PRESBYTERI AD EUSEBIUM.

30. *Plures fuisse qui evangelia scripserunt, et Lucas evangelista testatur dicens: quandoquidem multi conati sunt*, et reliqua usque *et ministri fuerunt sermonis.* In hoc prologo de numero et ordine evangeliorum expositurus, prius pseudoevangelia, eorumque temerarios auctores eleganter refutat. Ac ne suo quasi quodam praeiudicio illos respuere videretur, beatum Lucam evangelistam huius rei testem esse ostendit. *Et perseverantia usque ad praesens tempus monimenta declarant.* Nec solum, inquit, ipse Lucas ipsos notat, sed et propria illorum volumina, quae usque ad praesens tempus perseverant, eosdem erraticos multis modis produnt. Cur autem reprehensibiles existant, causam declarat dicens: *quae a diversis auctoribus edita, diversarum haereseon fuere principia; ut est illud iuxta Aegyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomaeum, XII. quoque apostolorum.* Illorum, inquit, scripta diversarum haeresium fuere seminaria: ideoque non immerito tam detestandi auctores haeresiarchae digno vocabulo censentur, qui sub falso titulo, quasi sub apostolorum nomine conscripto, falsa evangelia condiderunt. Quibus Basilides atque Apelles merito subiunguntur, quorum unus ·CCC·LXV· caelos, alter duos invicem contrarios Deos inter alia nefanda dogmatizabant.

31. *Ecclesia autem, quae super petram, Domini v. f. e.* Petra Christus intellegitur, iuxta apostolum qui ait: petra autem erat Christus; super quam petram fundatam esse dicit. Unde Dominus in evangelio dicit: tu es Petrus, et super h. p. ae. e. m. *Quam introduxit rex in cubiculum suum.* Cubiculum regis aeterni, interna sunt gau-

dia patriae caelestis, in quae nunc introducta est ecclesia per fidem, in futuro plenius perducenda per rem. *Et ad quam per foramen descensionis o. m. m. s.* Manum suam dilectus sponsus ad nos per foramen mittit, cum nos Dominus occulta invisibiliter compunctione ad opus virtutum accendit. *Similis dammulae hinnuloque cervorum.* Capreoli etenim pernicitate pedum, insuper et hostium insidias cominus praevidentes, per anfractus montium sagaciter declinare solent. Hinnuli quoque, quomodo et capreoli, pernicitate pedum multum valent. Sic sancta ecclesia mundis sui cordis oculis, quae agenda sint quaeque vitanda, discernit; quae errorem declinandi anfractus mente sagaci perspicit, et cursu pernici bonae operationis de convalle lacrimarum in locum quietis [ad sponsum suum vivere medi]tatur; quatenus ambulans de virtute in virtutem, illum videre mereatur in Sion, hoc est in specula sempiternae habitationis.

32. *Quattuor flumina paradisi instar eructuans.* Quattuor flumina paradisi dicit Geon, Phison, Tigrin, Euphraten; quae quattuor flumina quattuor evangelistas designant (1); hoc est Geon Matthaeum, Phison Iohannem, Tigris Marcum, Euphrates Lucam. *Quattuor et angulos et anulos h. per quos quasi arca t. et custos l. d. lignis m. evehitur.* Per arcam ecclesia Christi designatur; per vectes doctores exprimuntur, qui aurea veteris ac novi testamenti geminaque doctrina exornantur; quibus vectibus arca ecclesiae ad caelestem patriam vehitur. Quattuor anguli, diffusam per quattuor plagas orbis terrarum ecclesiam designant. Quattuor circuli doctrinam evangelicam, quattuorque virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam.

33. *Primus autem Matthaeus est publicanus, cognomen-*

(1) Sic est videre in priscis basilicarum romanarum musivis.

to Levi. Cognomento Levi dicit, quia ex prosapia tribus Levi ipse originem ducit. Matha in hebraeo sermone donum dicitur; unde Matthaeus donatus interpretatur, eo quod ei donatum est ut non solum apostolus, sed etiam evangelista esset. Matthaeus apostolus evangelista, qui etiam ex tribu sua Levi sumpsit cognomen, ex publicano a Christo electus, primum quidem in Iudaea evangelizabat, postmodum in Macedonia praedicabat. Hic requiescit in montibus Parthorum. *Secundus Marcus interpres apostoli Petri,* et reliqua. Quaeritur, cum Petrus scientiam multarum linguarum, quomodo et ceteri apostoli, perceperit, cur dicat Marcum eius discipulum, ipsius Petri fuisse interpretem? Nisi hoc ita dictum esse sentiamus, quod quando ipse Petrus hebraeo sermone Hebraeis evangelizabat, tunc Marcus utpote eius discipulus vel idiotis Hebraeis vel certe Graecis, seu quibuslibet barbaris audientibus minusque intellegentibus, eundem sermonem plane interpretabatur. Item cum graeco sermone tantus apostolus evangelizabat, tunc Marcus vel Graecis minus eruditis, sive Iudaeis, et quibuslibet graecum sermonem ignorantibus, per illorum propriam loquelam explanabat. Is autem Marcus octavo Neronis anno mortuus placida quiete sepultus est.

34. *Tertius Lucas medicus n. s. a. cuius laus in evangelio,* et reliqua. Achaia provincia Graeciae, cuius metropolis est Corinthus. Bithynia provinciae est Asiae. Obiit autem Lucas ·LXXIIII· vitae suae anno, et sepultus est in Bithynia, cuius ossa regnante Constantino Constantinopolim sunt translata. *Ultimus Iohannes apostolus et evangelista, quem Iesus amavit plurimum,* et reliqua. Hic anno ·LXVII· post passionem domini Salvatoris, sub Traiano principe longo vetustatis senio fessus, cum diem transmigrationis suae imminere sibi sen-

tiret, iussisse fertur effodi sibi sepulchrum, atque vale inde dicens fratribus, facta oratione vivens tumulum introivit, deinde in eo tamquam in lectulo requievit; unde accidit ut quidam eum vivere asserant, nec mortuum in sepulchro sed dormientem iacere contendant; maxime pro eo quod illic sensim terra ab imo scaturriens, ad superficiem sepulchri conscendat, et quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora ebulliat. Quievit autem apud Ephesum ·VI· kal. ian.

35. *Haec igitur quattuor evangelia*, et reliqua usque *et in medio sicut similitudo quattuor animalium*. Quod dicitur in medio eius sive electri sive ignis, nihil obstat intellegi, quod quattuor haec animalia, sancti scilicet evangelistae, et ex Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, et in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti. Nam in specie electri Christus mediator Dei et hominum designatur. Electrum quippe ex auro et argento est. Sic noster redemptor verus Deus et verus homo ex divinitate et humanitate constat. *Et vultus eorum, facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilae*. Per haec quattuor animalia, sicut ipse Hieronymus mox exponit, quattuor evangelistae designantur. Secundum moralem autem intellegentiam, iustus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis voluntatis suae vitulus, per fortitudinem securitatis contra omnia adversa leo, per contemplationem caelestium efficitur aquila. *Quae evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote s. i. p.* A Zacharia, inquit, sacerdote; id est tamquam ab eo, cuius sit ministerium saepe vitulos immolare.

36. *Crura eorum recta, et p. p.* Per pedes gressus actuum designantur. Quattuor ergo animalium pedes recti esse describuntur, quia sanctorum evangelistarum atque omnium perfectorum opera, ad sequendam ini-

quitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quae reliquerunt reflectuntur. Per pennas autem, volatus contemplativae vitae designatur. *Et quocumque spiritus ibat, ibant, et non revertebantur.* Pennata animalia, videlicet evangelistae et ceteri praedicatores sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritalia pertranseunt, ut ad ea quae reliquerint, ulterius nullo modo reflectantur. Quasi enim per quandam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. *Et dorsa eorum plena oculis.* Ea etenim quae sunt ante faciem nostram videmus, dorsa autem nostra alius in nobis videt, et nos videre non possumus. Quia namque sancti viri sollerter se aspiciunt, in quibus ab aliis iudicari possunt, et districte se vident, sicut saepe ab aliis districte videntur, qui in se nec ea quae se latere poterant, ignorant, lumina in dorso portant. *Et rota in rota.* Rota in rota est novum testamentum in veteri testamento. Rota namque sacram scripturam designat, quae ex omni parte ad auditorum mentes volvitur. Circulus quippe praeceptorum illius more rotae modo sursum modo deorsum est, quia quae perfectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis iuxta litteram congruunt; et quae parvuli iuxta litteram intellegunt, docti viri spiritaliter intellegendo in altum ducunt.

37. *Viginti quattuor seniorum*, et reliqua. Viginti quattuor seniores in illis intelleguntur, qui perfectionem operis, quae senario numero commendatur, clara evangelii praedicatione consummant. Nam quater seni, ·XXIIII· faciunt. *Qui tenentes citharas*, id est corda laudibus Deo dicata gerentes; *et phialas*, id est orationes Deo effundentes. Vel phialas dicit mundas cordium conscientias. *Adorant agnum Dei*, id est pro adventu regni Dei supplicantes. *Introducit fulgura et tonitrua.* Cum in fine sae-

culi talis fuerit tribulatio, qualis non fuit ab initio, signa pariter maxima clarebunt. *Et septem spiritus discurrentes.* Unum Spiritum dicit septiformem. Unus est enim spiritus; septiformitas vero, perfectio est et plenitudo donorum. *Mare vitreum.* Baptisma refertur ad vitrum, in quo non aliud videtur exterius, quam quod gestat interius. *Animal primum simile est leoni*, et reliqua. De quibus quattuor animalibus supra dictum est.

FINIS.

ODORANNI MONACHI
OPUSCULA.

PROLOGUS.

... locusta frequenter inpinguat, kapparis dissipatur (1). Ante quam recurrat vitta aurea (2), et ad vocem columbae consurgatur, et rota super cisternam (3) conteratur, et pulvis ad terram suam unde erat revertatur, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, meminisse debemus, karissime, tenebrosi temporis, et summo studio animadvertere futurum iudicium districti iudicis; et non solum bonorum actuum exhibitione, verum etiam scriptis et dictis, proximis nostris ad bene agendum exemplum praebere. Unde ex multis, quae diversis tempori-

(1) Acephalus est prologus in codice. Ut autem haec prima verba intelligamus adscribo glossam superpositam: *humore subcutaneo tumescunt, sive incrassantur pedes, capilli capitis fluunt, vel venerius calor tepescit.*

(2) Glossa: *deficiat spiraculum cordis.*

(3) Glossa: *volubilitas intestinorum, stomachus.*

bus peregi, Paternitati vestrae (1) pauca curavi tradere opuscula, non solum vobis utilia, verum etiam, absque scrupulo invidiae, ea legentibus, Deo a quo bona cuncta procedunt auctore, profutura. Igitur in primis de domnae Theudechildis origine et fine, et loci nostri fundamine, ea quae Rotberto piissimo rege adhortante, et domno Leutherico archiepiscopo (2) commonente brevi calamo comprehendi, ponere disposui. Deinde per annos Domini demonstrare volens quibus temporibus et a quibus personis sit sanctorum pignoribus idem locus ditatus, intentione humillima perstrinxi; inter cetera, ea quae in translatione sancti Saviniani vidi fieri miracula. Cetera suis capitulis adnexa manifesta pandunt lectoribus examina.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIUNT CAPITULA

SEU TITULI OPUSCULORUM

ODORAMNI.

(1) Loquitur cum Ermenaldo, ut puto, qui anno ·M·XLV· erat abbas S. Petri Vivi senonensis. Chron. apud Acher. Spicil. ed. nov. T. II. p. 475.

(2) Nimirum utrique erat familiaris Odoramnus. V. Mabillon. annal. Bened. ad. an. 1028. Erat autem Leuthericus archiep, senonensis.

III. Ad Willelmum abbatem sub caritatis laude gratiarum actio. Et de accusatoribus et accusatis, seu de falsis testibus. De conspirationibus quoque vel inscriptionibus adtitulatio. Et de reparatione sacerdotis scripta Gregorii et Isidori.

IIII. Ad Eurardum monachum de tribus quaestionibus.

V. Ad Rotbertum monachum de tonis musicae.

VI. De divisione monochordi ad monachos sancti Germani antissiodorensis, qui apud sanctum Leodegarium morabantur.

VII. Ad Arembertum monachum de responsorio « aspiciens a longe » contra Amalarium, et dramatis resolutio, mysticaque Sunamitidis interpretatio.

VIII. Electio episcopalis ab Odoramno edita.

VIIII. Sermo eiusdem in ordinatione episcopi vulgariter pronuntiandus.

X. De iniuriis sacerdotum et excommunicatione episcoporum.

XI. Exhortatio Odoramni Masciacensibus monachis, ab Iugone abbate directa.

XII. Testamentum fraternae unanimitatis ab Odoramno editum.

XIII. Odoramni epistola ad Ayrfredum didascalum sanctae Aurelianensis ecclesiae, et monasterii sancti Aviti archimandritae, et Hugoni sanctae matris ecclesiae Senonensis archidiacono.

Convalescens aliquantulum a diutino et gravissimo pedum incommodo Odoramnus, incarnationis dominicae anno ·M·XLV·, aetatis vero suae fere ·LX·, ne forte invidorum astu praesentia opuscula deperirent, ea in uno corpore collegit, et amore caritatis studiosis fratribus, ut in eis exercitarentur, reliquit.

EXPLICIT ARGUMENTUM.

IN CHRISTI NOMINE

INCIPIT LIBER OPUSCULORUM

ODORAMNI MONACHI.

OPUSCULUM I.

Postquam a Valentiniano imperatore Franci a Sicambria expulsi, in extremis partibus Rheni fluminis habitare coeperunt, communi consilio elegerunt sibi regem Faramundum nomine, filium Marchomiris, qui fuit de stirpe Priami Troianorum regis. Mortuo vero Faramundo, Clodionem filium eius regem sibi fecerunt; quo defuncto, Meroveus filius eius in regno sublimatus est. Illo quoque obeunte, filius eius Childericus regnum suscepit. Post cuius discessum, filium illius Chlodoveum ingenio callidum, armis bellatorem strenuum, et consilio prudentem, Franci sibi regem statuunt. Hic adhuc paganus duxit uxorem christianam, nomine Chrochildem, filiam Chilperici regis Burgundionum, fratris Gundebodi ducis, quorum pater Gundoveus rex Burgundionum fuit. Postquam vero Chlodoveus rex, uxore sua exhortante, et sancto Remigio Remensium episcopo praedicante, sub sanctae Trinitatis nomine baptizatus est, eo iubente Chrochildis regina ad meridianam plagam urbis Parisiacae, interposito Sequana flumine, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterium mirifico opere construxit. Debellatis autem Chlodoveus multis et magnis regibus, mortuus est in pace, et sepultus est in iam dicta basilica sancti Petri, ubi et beata Genovefa consepulta manet. Mortuus est autem anno quinto postquam Alaricum regem Gothorum interfecit, anno trigesimo

regni sui. A transitu vero sancti Martini usque ad transitum Chlodovei regis, fuerunt anni ·C·XII· Post mortem quoque eius, quattuor filii ipsius, Theodoricus videlicet, et Chlodomiris, Childebertus, et Chlotarius, regnum eius inter se diviserunt. Adhuc autem Chlotario iuniore, tribus fratribus defunctis superstite, soror eius Theudechildis nomine, eo favente, in conspectu Senonensis urbis, ad instar illius quod genitores eius Parisiis construxerant, in honore supra dictorum apostolorum monasterium aedificavit; et ut sub sancta religione et abbatis imperio ibidem monachi Deo cunctis diebus deservirent, iustituit; corpusque suum ibidem sepulturae tradere mandavit. Quicquid vero citra Ligerim id est in Francia, vel ultra Ligerim id est in Aquitania, sive de possesso seu de adquisito habere potuit, eidem casae Dei sub titulo testamenti condidit. Quod si quis ad plenum nosse cupit, si ipsius monasterii, ut sunt, reserata illi archiva fuerint, pro certo nosse poterit. Tunc temporis paene per universam Galliam Fortunatus presbyter, natione italus, vir disertissimus, clarus habebatur. Hic postquam Chlotarius rex hominem exuit, eiusque filius Sigebertus regnum suscepit, quaedam quae apud nos habentur, iu ipsius Sigeberti laude et Brunechildis reginae opuscula edidit (1). Domna vero Theudechildis regina, quanto pietatis fonte redundaverit, quamque laudabilem vitam duxerit, idem Fortunatus scribens ad illam, luculenter versibus exequitur.

Inclyta progenies .etc. *ut in Fortunati editionibus.* Item epitaphium Theudechildis.

Quamvis auratis etc. *ut in edd.*

(1) Extant haec in Fortunati editionibus.

Postea sequitur in codice aliud epigramma de Theudechilde, quod non inveniebam inter Fortunati carmina. Sic autem se habet.

Hunc regina locum monachis construxit ab imo
Theuchildis rebus nobilitando suis.
Cuius nunc licet hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus astrigero vivit in axe Deo.
Implorans rectis pastoribus euge beatum.
Det rapientibus hinc heu mala digna Deus!

OPUSCULUM II.

Continetur secundo opusculo Chronicon Odoramni, quod ex hoc ipso codice edidit Chesnius inter Scriptores rerum francicarum T. II, ideoque a nobis praetermittitur.

OPUSCULUM III.

Domino sacro sancto et pie semper in Christi visceribus recolendo, monasterii sanctissimi martyris Dionysii abbati Willelmo, eius nimium cupidus honoris frater Odoramnus, praesentis aevi prospera, et aeternae felicitatis gaudia.

Cum omnium veteris et novi testamenti scripturarum series, fide, spe, et caritate colendum Deum insinuet, atque maiorem horum esse caritatem apostolus aperte demonstret, dilectione Dei et proximi ipsa caritas adimpleri evidenter dinoscitur, si secundum praeceptionem divini eloquii Deum toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tamquam nos ipsos amamus. Nam quamvis hoc quod ait apostolus Iacobus, si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno factus est om-

nium reus, minus studiosos lateat, tamen hoc unum de caritate, quae Deus est, illum dixisse, pervigili lectori patebit, si Pauli apostoli ad Romanos scribentis subtilissimo mentis oculo verba prospexerit, ubi ait: nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, et siquod est aliud mandatum, in hoc solo instauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Cuius caritatis ardore succensus in tantum, reverentissime pater, fervere dinosceris, ut non solum benivolis, verum etiam propriae saluti contrariis, admirabilis videaris. Praelationis quoque honore inter domesticos suffultus, nequaquam extolleris, sed sic inter eos quasi unus ex ipsis; et maerentibus atque in amaritudine positis, haud segniter compatiendo, similis cum apostolo effici non vereris. Quod erga parvitatem meam te fecisse non ambigit quicumque me facie novit. Nam cum invidorum astutia universus paene orbis contra me conspirasset, in tantum ut cupiditate praevalente, audientia mihi denegaretur, mox ut limina almi Dionysii adtingere merui, honorabiliter ultra quam pusillitatem meam decebat suscipere, et in ipsa congregatione una cum voluntate omnium fratrum me non ut inquilinum et hospitem, sed ut civem et domesticum dignatus es deputare. Postquam vero a domno Ingone abbate, divinitate propitia, arcessiri merui, muneratum me diversis donis, cum maximo honore propriis locis reddidisti.

Unde quid digne tibi retribuam non invenio; quia si omnes capilli mei verterentur in linguas, non valerem verbis explicare tibi debitas gratias. Sed ne ingratus examussim inveniar, unum quiddam cuius homo ignorat pretium tibi impendo; dum frequenter calicem

salutaris accipiens, et nomen Domini invocans, pro salute tua hostiam salutarem supernae maiestati offero. Praeterea quia negligentia sacerdotum, et cupiditate rei publicae curam gerentium, curiosa sectantes quos apostolus denotat, et delatores quos mundanae leges omnino excludunt, impune saeviunt, et ob hoc frequentes conspirationes et peiuria circumquaque, et quod sine maximo cordis maerore dici non potest, in ordine ecclesiastico ebulliunt, huic errori contraria de regulis ecclesiasticis sumpta, dignum putavi tibi mittere pauca. De reparatione quoque sacerdotis mihi huic operi certum quiddam addere placuit, quatinus si huius rei quaestio forte ab eruditis ventilata fuerit, quid super hoc sanctitati tuae decernendum sit, noverit. Vale.

Sequuntur heic in codice contra crimen calumniae 1. *ex decretis Innocentii*. 2. *Ex concilio carthaginiensi*. 3. *Ex capitularibus Caroli magni*. 4. *Ex concilio chalcedonensi*. 5. *Ex libro VIIII. legis romanae* (1). *Quintum hoc tantummodo testimonium recitabimus.*

Si quis iratus crimen aliquod temere cuilibet obiecerit, convicium non est pro accusatione habendum; sed praemisso tractandi spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur. Quod si fortasse resipiscens, post iracundiam quod dixit iterare aut scribere fortasse noluerit, non ut reus criminis teneatur. Item. Nisi inscriptione celebrata, reum quemquam non fieri, nec ad iudicium exhiberi; quia sicut convictum poena constringit, ita et accusatorem si non probaverit quod obiecit. Item. Non credendum est eorum confessioni contra alios, qui in criminibus accusantur,

(1) Sequens legis romanae tractus non extat in eiusdem legis editione apud Cancianum T.IV, ubi liber IX. legitur p. 490-494. Similia tamen his dicuntur in cod. theodos. IX. 1. 19.

nisi se prius probaverint innocentes; quia periculosa est et admitti non debet rei adversus quempiam confessio. Item. Ante inscriptionem nemo vocetur criminosus. Nam inscriptione per ordinem facta, tunc a iudice suscipiendus est reus; ea tamen ratione ut tam accusati quam accusatoris dignitas aestimetur; et unumquemque ante discussionem ita iudex faciat custodiri, ut eorum natales aut dignitas patiuntur. Sane his qui crimina sua in quaestione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, a iudice non credatur; quia iure legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat; neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est. Item. Servus dominum accusans, non solum audiendus non est, verum etiam puniendus, nisi forte dominum de crimine maiestatis tractasse probaverit. Item. Si servus dominum aut amicus vel domesticus sive libertus patronum accusaverit, vel detulerit cuiuslibet reum, statim in ipso initio accusationis, gladio puniatur; quia nos vocem talem extingui volumus, non audiri; nisi forte dominum aut patronum de crimine maiestatis tractasse probaverit.

6. *Ex concilio agathensi.* 7. *Ex decretis Silvestri papae.* 8. *Ex concilio carthaginiensi, quae omnia omittimus.* 9. *Haec demum habentur quae adscribimus.*

De accusationibus vel inscriptionibus constitutum est ab imperatoribus Theodosio, et Constantino, Arcadio, et Honorio, vel ceteris, contra improbos accusatores, ut in falsis criminibus eos accusare non delectet. Igitur ego ille adversum te in rationibus publicis adsisto. Si iniuste interpellavero, et victus exinde apparuero, eadem poena, quam in te vindicare pulsavi, me constringo atque conscribo partibus tuis esse damnandum atque subiturum. Et pro rei totius firmitate manu pro-

pria firmo, et bonorum virorum iudicio roborandum trado.

10. *Ex Gregorio papa ad Secundinum.* 11. *Ex epistola Isidori episcopi ad Massonem episcopum, quae incipit*: veniente ad nos famulo vestro. 12. *Ex concilio ancyrano. Denique concluditur Odoramni epistola his versiculis:*

Hic monachis longos tribuas pia vota per annos;
Et maneas pastor ne lacerentur oves.

OPUSCULUM IIII.

Domino fratri et consacerdoti Eurardo syncellitarum infimus frater Odoramnus, quicquid sibi.

Quod omnis medicina aut ex similibus aut ex contrariis fiat, ut comperi, tua fraternitas non ignorat. Quod vero qualiter ex similibus et dissimilibus, deque nec ex toto similibus, neque ex toto dissimilibus omnis harmonia iungatur, licet aetate et merito me praecedas, a me doceri cupis. Ne aegre feras, reverende pater, si differo; quia quod petis, nisi fallor, non est tuae aetatis neque valitudinis. Sufficiat tibi in quantum facultas suppetit, regularium modorum initia et fines, ascensiones, nec non et descensiones in monochordi plana superficie nosse, et gravium acutorumque sonorum demulceri dulci modulamine. Ceterum quaestionum tuarum non immemor, quid de praevaricatione Salomonis Augustinus doctor egregius senserit, quidque interpres et expositor divinae legis Hieronymus de eius paenitentia scripserit, vel ubi illum catholicae fidei defensor Ambrosius sanctum appellaverit, paucis intimabo.

In expositione libri genesis ad litteram, libro ·X· Au-

gustinus de eo. « Salomon, inquit, vir tantae sapientiae, numquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Non; sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum; ne suas quibus deperibat atque defluebat delicias contristaret. » Item Hieronymus in libro explanationum super Ezechihel ·XIII· « Domui, inquit, Israhel eorum qui animo conspiciunt Deum, ostenditur domus, hoc est templum, quod Ezechihel situm in monte conspexit. Et non solum in monte, sed sicut nunc dicitur in summitate montis. Quam nequaquam illam putemus, quae a Salomone constructa narratur in regum et paralipomenon libris; illa enim alterius ordinis atque mensurae est, et in singulis magnam habens diversitatem; tantumque inferior templo quod nunc ostenditur Ezechiheli, ut non solum cultores eius vel aeditui, sed et ipse fabricator eius Salomon peccaverit, et offenderit Deum, licet postea egerit paenitentiam, scribens proverbia in quibus ait: novissime ergo egi paenitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam. » Ambrosius quoque in libro hexameron mentionem ipsius faciens « quoniam, inquit, et elephantos vides tibi subditos, et leones subiectos, nosce te ipsum o homo, quia non ut ferunt Apollinis pythii, sed Salomonis sancti est, qui ait: nisi scias te, formosa inter mulieres. »

De abortivis vero foetibus, postquam in uteris matrum vivere coeperint, quod originalis peccati poena teneantur obnoxii, sanctus Augustinus in libro quem de fide ad Petrum diaconem scribit, inter cetera sic ait. « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiant, sive iam

» de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, » quod datur in nomine patris et filii et spiritus sancti, » de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno » supplicio puniendos; quia etsi peccatum propriae » actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati » damnationem carnali conceptione et nativitate traxe- » runt. » In libro quoque enchiridion idem doctor scribens ad Laurentium, de hac quaestione plenissime disputat.

His ita explicitis, restat de origine animarum solutio quaestionis. Quam ne modum epistolae excedens, aemulis qui dum mihi detrahunt, semet ipsos illudunt, susurrandi occasionem praebeam, praescriptis auctorum nominibus, separatim subnectam. Illud vero beati Gregorii papae universalis, quod ad Secundinum reclusum scribit inquiens: « de origine animae inter sanctos pa- » tres requisitio non parva facta est; sed utrum ipsa » ab Adam descenderit, aut certe singulis detur, incer- » tum remansit, eamque insolubilem professi sunt esse » quaestionem. Si venerit in manus tuas, dulcissimam » mihi caritatem tuam non moveat; quia, ut verbis ip- » sius qui habitaculum extitit Spiritus sancti loquar, nos » affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non ap- » probamus. » Cassiodori etiam librum de natura animae, et primum sententiarum librum Isidori legere ne pigriteris. Sed ne diutius diversorum opiniones librando, in his moras videar innectere, quid Isidorus in libro de definitionibus ecclesiasticorum dogmatum senserit; quidque de huiusmodi quaestione disertissimus versificator Prudentius scriptum reliquerit, articulus demonstrabit. Vale in Christo, monachorum gemma fulgida, et ora pro me.

Sequitur Isidori de origine animae. Nihil incorporeum et invisibile *usque* humana substantia. *Deinde versus.*

Prudentii. Occurrit dubitans hic dissertator, et illud; *usque* Numen non liceat, plenum sibi semper et in se. *Deinde pergit Odorannus.* Huc usque finis quaestionis tertiae de origine animae. Ceterum propagationem humani corporis tradunt naturalium scriptores rerum quadraginta et sex dierum numero perfici; quia videlicet sex a conceptione diebus, lactis habeat similitudinem; sequentibus novem convertatur in sanguinem; deinde duodecim solidetur; reliquis decem et octo formetur usque ad perfecta liniamenta omnium membrorum; et hinc iam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Sex autem, et novem, et duodecim, et decem et octo, quadraginta quinque faciunt; quibus si unum adiecerimus, id est ipsum diem conceptionis, ·XLVI· inveniemus. Id ipsum et nomen Adam, qui quatuor litteris scribitur significat. Nam arctō quod est septemtrion, ab alpha incipit; et δύσις, quod est occidens, a delta incipit; et ἀνατολή, quod est oriens, ab alpha incipit; et μεσημβρία, quod est meridies, a mi incipit; quae sunt quatuor partes orbis ab his quatuor litteris incipientes: quae litterae si in computo graeco considerentur, ·XLVI· faciunt; nam alpha unum, delta quattuor, iterum alpha unum, mi quadraginta, qui simul ducti ·XLVI· reddunt.

Haec quoque qui legitis, rogo reddite verba salutis,
Nam mihi charta levis, pondus amoris erit.

OPUSCULUM V.

Dimidiae parti animae suae, fratri et consacerdoti Rotberto, peccatis maximis obvolutus frater Odoramnus quicquid amico amicus.

Quod vere amicitia sit animorum societas, testatur, reverende frater dulcior mihi melle dulcissimo, perfe-

etissima tui animi caritas, quae me in tribulatione nuper posito non solum non erubuit, verum etiam ex pii cordis intimo lacrimas saepe fundendo, et frequenter supernae maiestati hostiam laudis immolando, semper tremendum iudicem, ut spero, mihi placatum reddidit. Nunc vero quia in retributione tanti beneficii nequaquam ignava opum pondera, quibus ad facinus nihil instructius cum habendi sitis incanduit, ad meritum nihil vilius cum ea sibi victor animus calcata subiecit; neque axiomata philosophorum, stoicorumque sophismatum cavillationes, sed quod his melius aestimas, recte modulandi notitiam a me tibi demonstrari postulas, pandam tibi evidenter, in quantum dederit superna pietas. Et primo musicarum chordarum nomina alphabeto continuo insignita praefigam; et sic demum regularium modorum nomina cum formulis subnectam. Nomina vero chordarum idcirco tibi designo, ut si forte auxiliante superna gratia, notitiam modulandi in regulari monochordo obtinere valueris, quot intervallis toni inter se differant, dinoscere possis.

Sequitur mediocre opusculum de tonis musicae, cum musicis notis etc. quam ego lucubrationem peritis eius artis, cuiusmodi medio aevo erat, vulgandam aut illustrandam relinquo. Sic autem concludit Odoramnus.

Ecce tibi, bone vir, protelata sed ut spero non inutili parenthesi, recte modulandi formulis levius quam potui traditis; restat ut si ad altiorem scientiam artis musicae pervenire non potueris, saltem totum monochordum quinque tetrachordis in tribus generibus, diatonico videlicet, chromatico, et enharmonico, constare noveris; quorum primum dicitur hypaton, secundum meson, tertium synemmenon, quartum diazeugmenon,

quintum hyperboleon. Symphoniis vero non, ut aliqui volunt, sex sed quinque. Harum prima est diatesseron constans epitrita proportione, id est sesquitertia, ut est ·IIII· ad ·III· Secunda diapente constans hemiolia, id est sesquialtera, ut est ·III· ad ·II· Tertia diapason constans dupla, ut est ·IIII· ad ·II· Quarta diapason et diapente constans tripla, ut est ·VI· ad ·II· Quinta bis diapason constans quadrupla, ut est ·VIII· ad ·II· Epogdous vero, id est tonus, vicem obtinens puncti, constat sesquioctava, ut est ·VIIII· ad ·VIII· Fit autem diatesseron consonantia in duobus tonis, et minori semitonio. Diapente in tribus tonis, et semitonio minori. Diapason in tonis quinque, et duobus semitoniis minoribus. Ac per hoc diatesseron quattuor, diapente quinque, et diapason continet chordas octo. Ante omnia autem cavendum est cantori in praescriptis modorum formulis, ut omnis cantilena aut cum sua differentia incipiat, aut epogdoo id est tono, vel pleno enharmonio id est duobus tonis, seu diatesseron vel diapente ab ea differat. Si vero vis nosse quid sit differentia; differentia est similium rerum quaedam dissimilitudo; vel differentia est sufficiens discretio ad id quod susceperis discernendum.

Habes igitur, o mi dulce solamen laborum, Rotberte, recte modulandi notitiam brevi schedula comprehensam, et utilitati multorum, si in ea non segniter studuerint, aliquantulum profuturam. Quae si in aemulorum manus devenerit, et eam occulte lectitantes, publice subsannaverint, sua sibi componentes si valuerint, illud beati Augustini dictum meminerint: necesse est a pluribus plures fieri libros, diverso stilo sed non diversa fide. Commoneo autem te et hortor, ut orationum tuarum pennis me subleves, quatinus vincula criminum meorum, quibus accusante propria conscientia, miserabiliter constringor,

absolvi merear, Deo miserante, et aliquid memoria dignum posteris relinquere. Vale in Christo, custos mei animi, ut credo.

OPUSCULUM VI. (1)

Perfectae charitatis vinculo sibi conexis fratribus in monasterio sancti Leodegarii, oboedientiae pede magistram regulam sequentibus, Valcherio atque Rotberto, misericordia Dei indigens frater Odoramnus, quicquid sibi.

Arduam et paene difficillimam rem, quam a me extorquere vultis, nequaquam ad praesens eliminare praesumerem, nisi fisus de Dei auxilio, vestris orationibus ad id quod petitis, me extendi sperarem. Praesertim cum intra flumen Ararim, in castello qui Malliacus dicitur, cum Gilduino archiepiscopo (2), quem ad erudiendum suscepi, maneam; et liberalium artium libris et instrumentis caream. Sed quia ut olim legimus nil tam difficile est, quin facile fiat, quod volens quisque faciat, repetita memoria voluntati vestrae pro posse satis faciam.

Dimensionem monochordi regularis, dulcissimi fratres, qua vos instrui postulatis, salva auctoritate patris patriae domni Boëthii, taliter agere potestis. Quia nervus dividi vel commensurari in sua natura non valet, adhibeatur lignum quadratum, et pleniter ad hoc opus usque ad unguem expolitum, cuius longitudo sit plus minus duorum manualium pedum, et crassitudo illius plus minusvé unum possideat palmum. Ad cuius digni

(1) Ob hoc Odoramni opusculum intelligendum, nihil magis proderit quam conferre, praeter Boethium, Euclidis introductionem harmonicam, inter auctores music. antiq. a Meibomio editos.

(2) Nempe ecclesiae Senonensis ab anno 1032

capita, assumpta geometricali regula, id est circino, duae circumducantur sphaerulae, quae sint unius mensurae. Deinde adhibeatur regula diligenter perpolita, quae a centro primae sphaerae usque ad centrum secundae cum omni cautela deducta, rectum diametrum ipsorum circulorum reddat. Iterum adhibeatur circinus, et inferiori sive eminentiori parte circulorum aptatus, ita ultimos fines priorum diametrorum tangat, ut iterum alia diametra per crassitudinem illius ligni efficiat. Ab his deducatur recta linea, quae primae lineae diametrorum priorum matris sit par; tali cum cautela, ut inter se et alteram spatium mensurae unguis digiti auricularis efficiat. Quae plana superficies vim lineae continens, taliter ut commensuretur, necesse est. Adhibita cum circino regula, dividatur in duas aequas partes. Iterum eaedem duae partes dividantur in alias duas, ita ut ipsa plana superficies tota dividatur a diametro usque ad diametrum in quatuor aequas partes. Nete hyperboleon (1) igitur nervus obtineat finem dimensionis tertiae, et usque ad diametrum in octo partes dividatur, eique sua octava pars ut novenarium impleat numerum superaddatur; sicque tonus in sesquioctava proportione inter nete hyperboleon et paranete hyperboleon constituatur. Simili modo ut trite hyperboleon perficiatur, sesquioctavae proportionis a paranete hyperboleon usque ad destinatum sibi punctum regula servetur. Semitonium vero quod restat ad diatesseron consonantiam perficiendam, sive ad tetrachordum hyperboleon implendum, investigatione huiusmodi est agendum. Dividatur cum circino hyperboleon chorda in tres aequas partes, et ipsa eius tertia pars illi ut sequitertiam proportionem efficiat superaddatur; sicque totus nervus nete diazeugmenon appellabitur.

(1) Haec et sequentia vocabula recitantur etiam ab Euclide p. 3, nec non a Boëthio lib. 1. cap. 20. usque 25.

Ad instar itaque huius primi tetrachordi, quattuor quae sequuntur tetrachorda in genere diatonico agere expedit. Adhibeatur iterum circinus ad diazeugmenon tetrachordum componendum, et nete diazeugmenon locum semitonii obtinens in octo partes dividatur; et sesquioctava ei sua pars obtinens toni spatium ad paranete diazeugmenon componendam addatur. Quod si quis levius et absque maximo labore agere voluerit, nete hyperboleon in duas aequas partes dividat, et medietatem eius eidem addat, ut diapente consonantiam constantem tonis tribus et semitonio minore reddat. Idque de paranete hyperboleon faciat, ut trite diazeugmenon ad eam diapente consonantiam facientem obtineat. Quae ratio in reliquis tonis componendis servetur, eo tenore ut in diapente consonantia, quae sesquialtera proportione constat, tres toni cum semitono minore ut diximus habeantur. Huius siquidem diazeugmenon tetrachordi quae sit finalis videatur. Dividatur ad instar prioris tetrachordi nete diazeugmenon circino in tres aequas partes, et tertia pars ei superaddatur; sicque tota residua chorda paramese vocabitur.

Tetrachordum vero synemmenon taliter est metiendum. Spatiolum illud quod constat inter duas lineas, quae altrinsecus singula diametra possident, partiatur aequa dimensione in longitudinem, ut inferiorem partem diazeugmenon, et superiorem sortiatur tetrachordum synemmenon; et eum locum, quem retinet paranete diazeugmenon ad nete diazeugmenon, habeat nete synemmenon, toni scilicet distantiam; qui tonus coniungat hyperboleon tetrachordum cum diazeugmenon tetrachordo, et disiungat synemmenon ab hyperboleon, et paene una eademque sit paranete diazeugmenon, et nete synemmenon. Simili modo trite diazeugmenon obtinens distantiam toni, et paranete synemmenon paene una ha-

beatur. Ut vero trite synemmenon per consonantiam sumatur, trite hyperboleon in duas partes dividatur, et sesquialtera proportio aptetur. Hanc sequitur mese potestate et nomine media, coniunctarum et mediarum tetrachorda conectens. Huic proxima lychanos meson sesquioctava constituatur, proportione sumpta a paranete diazeugmenon per consonantiam diapente. Ad hanc moduletur tonus parhypate meson, sesquialteram modulationem servans ad trite diazeugmenon. Finis vero huius meson tetrachordi semitonium demonstrans ut inveniatur, meson nervus tripertiatur, et sui tertia pars ut consonantiam diatesseron efficiat illi addatur. Lychanos quoque hypaton dudum continens quartam partem totius lineae, quae ab hypate meson sesquioctava proportione distare videtur, ad meson sesquialteretur. Ad instar vero huius, ad lychanos meson diapente consonantiam servans, et ab eo tono differens, per hypate hypaton constituatur. Hypate autem meson tripertiatur, ut hypate hypaton semitonium continentem, sesquitertia proportione operetur. Ad hanc proslambanomenos, quae et sinistrae sphaerulae diametrum possideat, tonum et ad meson diapason.

Hactenus de diatonico genere, quod est naturalius et durius. Ceterum duo genera reliqua tali ratione sunt metienda. Dividatur cum circino spatium continens tonum, quod est nete hyperboleon et paranete hyperboleon, aequaliter, et sui medietas illi addatur; et ubi circinus pedem fixerit, paranete hyperboleon chromatica constituatur. Trite vero diatonica, eadem sit et chromatica. Et in enharmonico genere sit paranete hyperboleon enharmonica, quae trite hyperboleon diatonica. Semitonium vero diatonici generis dividatur in enharmonico genere per diesin et diesin; et haec sit trite hyperboleon enharmonica. Illud quoque sciendum, quod omnis nete

et paramese et mese et hypate et proslambanomenae, in tribus generibus sint inmobiles, et initia et fines tetrachordorum operentur; et quod diatonicon genus constet duobus tonis et semitonio, et chromaticum genus tribus semitoniis Incompositis, et maiore et minore compositis, enharmonicum duobus tonis incompositis, et diesi et diesi.

His ita dispositis, humili mente deposco sanctitatem vestram, amantissimi fratres, ut mei miserendo orationum vestrarum remigiis me in salo huius labentis aevi laborantem sustentetis, quatinus pervenire merear, auctore Deo, ad portum aeternae salutis. Si quis vero initia et fines, nec non ascensiones, et descensiones, differentiasque tonorum ad plenum nosse desiderat, epistolam fratri et consacerdoti nostro Rotberto a me scriptam studiose sibi legat. Subiectas descriptiones cordis oculo contemplantes, valete felices.

Deinde superpositis notis musicis habentur hi versiculi

His poterit sollers signatum discere cantum
Schematibus super adscriptis sine voce magistra,
Si magada (1) chordam discriminet in monochordo.
Haec etenim repetit vocis reflexio grata
Symphoniis pariterque tonis diachismate bino.

Postea, salutatio apostolorum, *ut inscribitur, pariter cum notis musicis.*

Avete mundi lumina,
Petre Paule, sanctissima;
Quorum alter patibulo crucis
Coniunctus magistro, alterque
Ensis iugulo locatus caeli solio

(1) *Glossa in codice:* magadam, quam nos sesquisphaerium id est quartam partem sphaerae dicimus, nominant.

Mundi gubernat machinam
Iam paene fini proximam.
Poscite nobis miseris, quos gravat
Moles criminis, ut vobiscum
Perpetua perfruamur laetitia.

Sequuntur diagrammata varia musica. Postremo prosequitur auctor.

Omnium consonantiarum ratio.

Sciendum est quia proportio, id est comparatio numerorum, quae appellatur in arithmetica sesquitertia, id est altera tertia, sexeus enim dicitur alter, appellatur in musicis diatesseron, ex duobus et quattuor, quia duobus in medio consistentibus, duo extremi sibi invicem copulantur, ut est octonarius ad senarium: octonarius enim habet in se totum senarium, et eius tertiam partem, id est binarium. Similiter quae in arithmeticis hemiolia sive sesquialtera, id est altera dimidia, appellatur in musicis diapente, ut est novenarius ad senarium. Habet enim novenarius totum senarium, et eius medietatem, id est ternarium. Et quae in arithmeticis dupla, in musicis appellatur diapason, ut est duodenarius ad senarium; habet enim duodenarius totum senarium duplo. Et qui epogdous, id est vicem obtinens puncti vel unitatis in arithmeticis, appellatur tonus in musicis, ut est novenarius ad octonarium; habet enim novenarius totum octonarium et eius octavam partem, id est unitatem. Tripla vero proportio in arithmeticis, appellatur diapason et diapente in musicis, ut est ·XVIII· ad senarium; habet enim ·XVIII· senarium triplo, bis autem duplum. Item quadruplum in arithmeticis, dicitur bis diapason in musicis, ut est ·XXIIII. ad senarium; habet enim ·XXIIII· totum duodenarium duplo, et senarium

quadruplo, ut subiecta formula demonstrat. *Sequitur in codice diagramma.*

OPUSCULUM VII.

Aremberto fratri Odoramnus plura salutis.

Delectabilium quaestionum tuarum stimulatus affatibus, haec tibi pauca reddo devotus. Amalarius lugdunensis ecclesiae sacerdos in suis opusculis responsorium beati Gregorii, cuius est initium « aspiciens a longe » reprehendens miratur quod in ullo prophetarum verba ipsius responsorii continua, ut sunt, minime repperiantur. Qui si subtilem mentis oculum adhibuisset, profecto non solum in nocturnis, verum etiam in diurnis officiis eiusmodi ratione composita nonnulla pervidisset, ut est « dicit Dominus, sermones mei. » Sed licet vas electionis et habitaculum Spiritus sancti domnus Gregorius defensione nostra non egeat, nos tamen minus studiosis, quid super hoc sentiamus, paucis elucidamus. Aspiciens a longe, subaudis ego Gregorius, id est contemplatus post multa tempora adventum Christi, ecce video Dei potentiam venientem, id est oculo verae fidei intueor impletum illud quod ait psalmista : excita Domine potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. Et ut ait Esaias propheta : ecce nomen Domini venit de longinquo. Et nebulam totam terram tegentem, subaudis video, id est gloriam Domini totum mundum implentem; quemadmodum sapientia Dei patris in laude sui fatetur : ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens, et quasi nebula texi omnem terram. Ite obviam ei, subaudis cuncti fideles; id est praevenite eum psalmista faciem eius in confessione; et dicite, id est corde credite et ore confitemini cantantes et psallentes in cordibus ve-

stris Domino.. Nuncia nobis si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israhel, id est demonstra nobis per prophetas tuos nativitatem tuam sive iudicium futurum, ostendendo nobis misericordiam tuam, ut salvi simus; vel salutare tuum nobis notum faciendo, qui regis Israhel id est viros videntes Deum. Illud vero, carissime frater, sollerter intuendum est., quod in psalmis vel prophetis futurum tempus pro praeterito, et praeteritum pro futuro, praesens quoque pro praeterito vel futuro, praeteritumque et futurum pro praesenti ponitur. Sicui displicent ista, perquirat sibi utiliora.

Praeterea solvendo quaestionem dramatis, festinemus ad mysticam interpretationem Sunamitidis. Drachma, mae, primae declinationis, genus est ponderis, et est octava pars unciae, et appenditur scripulis tribus. Drama, tis, tertiae declinationis, latine dicitur fabula. Inde modulatur antiphona in honore huius virginis: frequentate nobis dulcia cantica dramatis; quam nos canticum canticorum dicimus Salomonis, in quo post multa sub persona ecclesiae, sanctae Dei genitrici congrua reciprocando, in eius admiratione taliter proclamat synagoga: revertere, Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te. Frequens proclamatio insinuat, quod nimius ardor videndi eam versetur in uniuscuiusque fidelis animo. Per Sunamitidem ergo, quae ut in regum libro legitur, in universa terra Israhel ad serviendum regi David perquisita inventa est pulchra nimis, in cuius etiam sinu rex quievisse dicitur, beata et semper virgo Maria figuratur, in cuius sinu rex caelorum quievisse creditur; et ex cuius immaculato utero homo factus pro salute nostra, idem Deus et homo, quasi rex de cubiculo suo processisse praedicatur. Recte autem de Sunamitide legitur, rex vero non cognovit eam, quia beata virgo Maria, virgo ante partum, virgo post partum, et virgo in

partu, abque commixtione virili Deum et hominem nobis ineffabiliter protulit.

Alioquin ea quae de Sunamitide figuraliter protulimus, restat ut de sancta Dei ecclesia non habente maculam neque rugam mystice intelligamus. Dum enim de divinis scripturis intellectum alicuius mysticae significationis exculpere Deo donante nitimur, una cum Christi discipulis spicas manibus confricamus. Sunam iuxta veram hebraicorum nominum interpretationem altitudo interpretatur; unde Abisag inter filias Hierusalem speciosa, quae voluntatis ignorantia interpretatur, orta fuisse describitur; quam David rex, qui fortis manu interpretatur, suo lateri sociasse, sed eam minime cognovisse legitur. Adonias vero qui senior dicitur, per manum Bethsabe, quae domus septem, sive domus sabbatizantium interpretatur, eam suo coniugio postulasse dinoscitur. Hic per manum Banaiae, qui instructor sive aedificator dicitur, Ioiadae filii, qui sapiens interpretatur, interfectus esse scribitur. His paululum intermissis, Deo ducente, secundum capacitatem ingenioli nostri, redeamus ad solutionem mysticae propositionis.

Per Sunam, quae altitudo interpretatur, aeterna Dei sapientia id est verbum patris per quod facta sunt omnia, recte intelligitur, de quo per psalmistam dicitur: verbo Domini caeli firmati sunt; et omnia in sapientia fecisti; de quo et per Salomonem dicitur: omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper et est ante aevum. Cuius etiam excellentia apostolus usque ad tertium caelum raptus, mente contemplatus proclamat: o altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? quoniam per ipsum, et cum ipso, et in ipso sunt

omnia; ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Per Abisag vero, quae voluntatis ignorantia interpretatur, santa electorum ecclesia designatur, de qua per Salomonem dicitur: felix sterilis, et inconquinata! quae nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. De qua etiam Anna mater sancti Samuhelis, foecunditatem synagogae, et sterilitatem eius ad tempus; demum vero futuram ecclesiae foecunditatem, et synagogae sterilitatem adtendens, prophetando intulit dicens: sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios infirmata est. Quia revera caerimoniis et animalium victimis veteris legis cessantibus, mater nostra sancta et immaculata Dei ecclesia per fidem credentium et sacri baptismatis regenerationem, Deo cottidie filios gignere non desinit. Porro per David regem, qui fortis manu interpretatur, Dei filius, qui vicit diabolum et mundum, recte intelligitur; de quo per Danihelem dicitur: aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat: et datum illi regnum et honor; et omnis populus, tribus, et linguae illi servient: potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur; et regnum eius, quod non corrumpetur. Hominem etiam paradiso restituit, ut psalmista ait: tu es, Domine, qui restitues hereditatem meam mihi. Specialiter vero hereditas nostra dicitur Christus, ut idem psalmista canit: Dominus pars hereditatis meae. Et beata gens, cuius est Dominus Deus eius. Qui ut nos hereditatem Dei esse ostenderet, subiunxit: beatus populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. His itaque dictis, vertamus stilum ad ordinem narrationis.

Per senectutem regis David, bene intelligitur ultima pars praesentis saeculi, in qua Deus pro nobis homo dignatus est fieri. Per mortem vero eius significatur vera mors Christi pro nostra redemptione in cruce pendentis,

Porro per Sunamitidem, quae in omnibus finibus Israhel perquisita inventa est nimis pulcra, quae etiam regio lateri admixta eum fovissè, et in cuius sinu rex quievisse scribitur, sancta universalis ecclesia, ut iam diximus, figuratur; quae de omnibus gentibus congregata per uuitatem fidei Christo vero regi creditur coniuncta, ut ait psalmista: adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. In vestitus deauratione, eruor per quem redempti sumus sanguinis Christi, seu unctio chrismatis sacri; et in circumdatione varietatis, signatur varia distributio donorum Spiritus sancti. In sinu vero ecclesiae Christus quiescit, dum post resurrectionem suam ascensurus in caelum apostolis dicit: si quis diligit me, sermouem meuni servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Uude et Iohaunes ait: si diligimus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis perfecta est. Alioquin Adonias, qui senior interpretatur, antiquum Hebraeorum populum designat; qui postquam Christum dominum in cruce suspeudens morientem vidit, occasione veteris legis accepta, ecclesiam fidelium sibi subiugare voluit. Qui Sunamitidem per Bethsabc sibi dari postulat, dum carnalibus templi sacrificiis, neomeniis quoque et sabbatis, fideles Christi sibi subicere volens, a Hierosolymis fugat. Quem adgressus filius Ioiadae, qui sapiens dicitur, Banaias qui instruetor sive aedificator interpretatur, interficit; dum sapiens architectus ecclesiae, et instructor morum nostrorum vas electionis Paulus apostolus, scuto fidei armatus, galea salutis protectus, et gladio Spiritus sancti corroboratus, Iudaeos increpans ait: vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam reppulistis illud, et indiguos vos iudicastis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes. Qui et Corinthiis scribens ait: circumcisus aliquis

vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est ? Non circumcidatur. Et ad Galatas inquit: ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest; quia in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur. Et quicumque hanc regulam servaverint, pax super illos et misericordia Dei. Simon quoque Petrus et Iacobus et ceteri apostoli his qui ad fidem Christi ex gentibus per baptismum conversi fuerant, ne circumcisioni et caerimoniis veteris legis subicerentur, istiusmodi scripta per manum Barnabae et Pauli in actibus apostolorum misisse leguntur. « Visum est Spiritui sancto et nobis, fratres, nihil ultra imponere vobis honeris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immundiciis simulacrorum, et sanguine, et suffocatis, et fornicatione. »

Alioquin denuntio ego (1) omnibus, qui nomine christiano censentur, et hanc legem sibi a Spiritu sancto et a Christi discipulis datam non custodiunt, quia nisi paenituerint, christiani non sunt. Quod si christiani non sunt, profecto, ut Iohannes testatur, Antichristi id est contra Christum stantes appellari possunt; de quibus alibi legitur: a nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sectatores vero huiusmodi, vocantur haeretici, id est a Deo alieni. Ceterum rex Salomon, qui pacificus interpretatur, cuius, ut regum historia refert, omnis terra desiderabat faciem videre, cuius etiam nutu Adonias interfectus est, pacificus rex noster Iesus Christus filius Dei vivi, in quem, ut apostolus ait, desiderant angeli prospicere, qui pacificavit per suum sanguinem quae in caelis sunt et quae in terra, allegorice intelligi potest; qui antiquum hostem expugnat, dum habitaculum nequi-

(1) *In margine*, scilicet Odorannus.

tiae eius Antichristum perditionis filium, qui elevatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, exterminat, ut idem apostolus manifestat: quem dominus Iesus, inquit, interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.

Amplius *. Expeditis his quae ad mysticam interpretationem Sunamitidis pertinere videbantur, operae pretium duximus moralitati convenientia huic opusculo addere pauca. In iam dictis canticorum canticis, sub persona Sunamitidis sic se habent verba sapientis de Christo et ecclesia prophetantis. " Si ignoras te, inquit, o pulcra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos, quos alia translatio appellat agnos. Ecclesia graece, latine congregatio iustorum dicitur, quae ignorare se dicitur dum originalis peccati pompis abnegatis, et idololatriae cultibus postpositis, praeterita cum apostolo relinquens, in futuris sese extendere nititur. Pulcra inter mulieres appellatur, dum conventiculis synagogae comparata, mundior per baptismum invenitur. Egreditur cum Abraham anima iusti de terra et de cognatione sua, dum proprii corporis illecebras, voluptates, et carnalium sensuum transiliens desideria, humili mente festinat ad supera. Incedit post vestigia gregum, quando praecedentium prophetarum et apostolorum vestigia sequens, spiritalium doctorum dictis et factis inhaerere desiderat. Pascit agnos suos, dum de virtute in virtutem conscendens, sibi et suis pabula divini verbi lectionibus inhaerendo subministrat. Quibus pascua divini verbi decerpere gestientibus ait apostolus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Et psalmista: gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.

* marg. dicam.

Talibus et his similibus anima virtutibus decorata, filia Dei meretur appellari; ut Spiritus sanctus per os

David eis suggerendo intulit: audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, idololatriae sive titillationibus carnis reluctando; et domum patris tui, naevum originalis peccati, seu delectationes corporis, ne ad consensum usque perveniant, fugiendo. Et tunc digna eris audire vocem sponsi in die ultimo: tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te: veni de Libano, veni. Quaestionum caritativa solutio, spe firma sit in Christo unius fidei nostrae valitudo.

OPUSCULUM VIII.

Quod omnis inaequalitas ab aequalitate progressa, qualiter ad aequalitatem redeat, inter doctos aliquando sit dubitabile, puriore mentis ratione vigentis est disserere. Vulgum vero quod dubitatio ipsa praetereat, pater patriae (1) evidenter declarat. Proportione igitur inmortalitatis, omnipotentis providentia hominem in principio creavit aequalem angelis, qui inoboedientia mandatorum Dei, ex inmortali mortalis factus, proh dolor! in huius aevi quam patimur aerumnam est expulsus. Sed creator illius nolens eum pati sempiternaliter, mittendo verbum suum non solum ad aequalitatem supernorum civium illum revexit misericorditer, verum etiam super omnia creata extulit, ut ait propheta, mirabiliter: omnia subiecisti sub pedibus eius. Illud vero licet de homine Christo Iesu specialiter sit praedictum, tamen illud evangelicum adtenta mente de illius membris est recolendum. Quodcumque, dixit idem Dominus, ligaveritis in terra, erit ligatum in caelis; et quodcumque solveritis in terra, erit solutum in caelis. Huiusmodi potestas, Spiritu sancto cooperante, apostolis per intervalla temporum eorumque successoribus tradita, a fidelibus corde cre-

(1) Pag. 73. patrem patriae dixit Boethium.

dendum et ore confitendum est quod maneat inconvulsa.

Cuius vigore nobiliter pollens sancta Senonensis mater ecclesia, Christi Iesu morte redempta, et almi martyris Saviniani Galliarum primatis verbis edocta, beati etiam protomartyris Stephani sanguine dedicata, ad praesens una eum consensu et voluntate, illius (1) regis inclyti Francorum, conprovincialiumque episcoporum et procerum abbatumque et clericorum, nec non utriusque sexus fidelium, proclamat sibi domnum illum (2) fieri pontificem summum; de cuius bonis actibus gaudens effecta, ad hoc opus dignum et idoneum, in quantum humana fragilitas nosse permittit, eum fore denunciat. Sub illius igitur praevidentia, explosa omni controversia, in summi opificis servitio militare deliberantes, qui per inoboedientiam ad ima ruimus, oboediendo aequales angelis fieri obtamus, quatinus digito discretionis tacti, et plectro piae admonitionis repercussi, una cum illo in abstinentiae tympano, et unanimitatis choro mereamur gratulari. Sicque coniuncti quattuor principalium virtutum harmonia, valeamus semper istiusmodi laudare Deum consonantia: omnis spiritus laudet Dominum. (Si de abbate agitur, conveniens ratio loci et personarum honeste immutetur *.)

OPUSCULUM VIIII.

Seniores et fratres, audire debetis quare hic estis congregati: Deus omnipotens quando primum hominem creavit, liberum illi arbitrium contulit. Ipse vero libero

(1) Pronomen generale ponitur pro nomine speciali, ut fit in formulis.

(2) Item ut in praecedenti.

(*) Animadvertimus in hoc et sequente opusculo morem ac formulam tunc in Gallia vigentem episcopos proclamandi. Diversam aliam dat Acherius Spicileg. ed. nov. T. III. p. 379.

arbitrio male usus, esu pomi vetiti, deliciarum sede, manente libero arbitrio, est privatus. Cuius sequaces per multa tempora a via veritatis oberrantes, et idolis servientes, auctorem suum penitus ignorabant: quoad usque omnipotens Deus obedientia famuli sui Abrahae placatus, circumcidi illum voluit. Et postmodum per sanctum Moysen amicum suum semen eius de servitute aegyptia liberans, et eundem ipsum praeesse populo suo volens, per manum illius ei legem tradidit. De cuius spiritu postquam Aaron et filios eius ad pontificatus honorem elegit, Dei providentia sumens septuaginta viros qui una cum illo populo praeessent replevit. Quorum posteritas dum per successiones temporum usque ad Samuhelem prophetam perduraret, David regem de quo dicit Deus, inveni David secundum cor meum, eidem genti contulit. De cuius stirpe dominus Iesus per voluntatem patris, cooperante sancto Spiritu, inmaculatam carnem ex inmaculata virgine sumens, duodecim apostolos elegit, et appellari ab eis dominus et magister voluit. Quibus ab eo sancta mater ecclesia eiusdem domini Iesu sponsa commissa, et ligandi atque solvendi potestas collata, quamdiu mundi huius orbita volvitur, in eorum successoribus, eis scilicet qui episcopi vocantur, manet stabilis et firma.

Animadvertite igitur, fratres karissimi, qua ratione, qua pietate, qua misericordia, qua moderatione erga humanum genus Deus omnipotens utitur, dum non hominibus angelos, archangelos, sed homines sibi natura consimiles praeponere dignatur. Expedit ergo vobis, ut exhibitione bonorum operum Deo placeatis, quatinus sacerdotes et principes Deo dignos, qui vobis verbo et exemplo ad caeleste regnum praebeant pergendi ducatum, habere possitis. Praeterea noverit fraternitas vestra, sanctam Trecasinensem ecclesiam morte sui praesu-

lis viduatam, expetisse domni Gilduini archiepiscopi nostri (1) praesentiam, iuxta sanctorum canonum censuram, quatinus illi concedat sponsum et pastorem congruum. Cuius petitioni libentissime annuens, una cum consensu et voluntate domni nostri Hainrici (2) Francorum regis, et suffraganeorum suorum, Carnotensis scilicet episcopi, Aurelianensis, Parisiensis, Meldensis, Nevernensis, Antissiodorensis, nec non et procerum Francorum, totiusque cleri et populi adplausu, dat ei quem praesentem cernitis domnum Mainardum, huius sanctae matris ecclesiae sancti Stephani archiclavum (3), pastorem, et sponsum, nobili stirpe progenitum, et bonis moribus ornatum. Unde postulamus caritatem vestram, karissimi fratres, ut in excelso voces extollentes, quid super hoc vobis placeat proclametis. Hunc versiculum repetitum tertio, prosequatur decentissima cleri electio, deinde metropolitani et omnium conprovincialium, si fieri potest: sed non minus quam trium episcoporum, metropolitano praesente, benedictio.

OPUSCULUM X.

Sanctae matris ecclesiae Senonum archiepiscopo Gilduino, maxima corporis invalitudine detentus Odoramnus syncellita, aemulari meliora charismata.

Quod studio lectionum divinarum obtinere valeamus, unde nova et vetera proferre queamus, ad id faciendum provocant nos beatae memoriae praedecesso-

(1) De Gilduino archiep. Senon in annal. Bened. ad an. 1032. et seqq.

(2) Hinc videmus huius scripti aetatem, nempe regnum Henrici I. qui patri Roberto, de quo Odoramnus in prologo, successit anno 1031.

(3) Quasi summum clavigerum. Sed malim *arciclavum*, *arcae claves habentem*. Hic enim Mainardus thesaurarius erat ecclesiae Senonensis. Vide annal. cit. ad an. 1032.

ris vestri Leutherici archiepiscopi mirifici actus, qui semper iuxta apostolum in oratione assiduus, et in meditatione legis Dei permansit indefessus; cuius praesentia corporali si ad praesens dignum fuisset perfrui saeculum, nequaquam pullulasset nova haeresis Burgundionum (1), qui ut mihi innotuistis asserunt se rebelli mente nil debere suis episcopis, si ab illis ad emendationem ut veniant, canonice vocati, venire distulerint pro suis flagitiis. Quibus ne remaneant in tanto errore, proferendum est antidotum ex divinarum legum auctoritate. Inter cetera sanctae exhortationis affamina, domini Iesu cum apostolis loquentis sic se habuerunt verba « qui vos spernit, me spernit. » Quorum vicem sacerdotes ecclesiae tenentes, maiori iniuria non possunt lacessiri, quam si verbum divinum subministrantes, spernantur a subditis. Quibus ne vilipendatur vigor ecclesiasticus, e diverso occurrunt leges mundanae a christianis imperatoribus Spiritu sancto inspirante promulgatae, quibus praecipitur ut triplo componantur omnes sacerdotum iniuriae. Gloriosi quoque imperatoris Karoli luce clariora extant capitula, in quibus continentur huiusmodi scripta. « De vocationibus, quas faciunt episcopi, praecipimus, ut qui eas neglexerit, tripliciter componat. Quod si excommunicatus ad satisfactionem venerit, canonice suscipiatur. »

His ita expensis, si vultis nosse qualiter tripla fiat compositio, paucis intimabo. Omnis iniuria cuiuscumque senioris vel advocati, sive despectus seu contemptus, excepto regis et sacerdotum, ·LX· solidis, id est pretio trium librarum multatur. Multiplicatus igitur ternarius per ternarium excrescit in novenarium. Haec est lex primae vocationis episcopi, si spreta fuerit. Novenarius vero ductus per trigonum, reddit vicesimum

(1) De hac Burgundionum haeresi diligentius disquiri velim

et septimum numerum. Consequenter ergo haec est lex secundae iniuriae. Vicesimus quoque et septimus numerus, per trigonum auctus si fuerit, in octogenarium et unum numerum exsurgit. Et haec est lex iniuriae sacerdotalis tertiae. Si quis vero, quod absit, iugo diaboli mancipatus, culpis suis exigentibus, secundum mandatum Domini nostri ut ethnicus et publicanus ab ecclesia fuerit eiectus, et iuxta apostolum, sathanae, ut spiritus salvus sit in die Domini, in interitu carnis traditus, ad ecclesiam catholicam reverti voluerit; in primis, ut dictum est, sacerdoti satisfaciat; et sic demum paenitendo reconciliationem, ut mos est ecclesiasticus, obtineat. Valete.

OPUSCULUM XI.

Desiderabilibus maximaque veneratione suscipiendis Masciacensis coenobii fratribus, gratia Dei non suis meritis, abba Iugo (1) donum perfectae caritatis, et bravium aeternae remunerationis.

Variis huius saeculi perturbationibus, karissimi fratres, commoti et diversis malis afflicti, causam eorumdem malorum debemus agnoscere, et cognitam auxiliante Dei misericordia evitare. Causam prosperitatis et adversitatis Spiritus sanctus demonstrat his verbis:

(1) De hoc Mabillonius annal. Bened. ad an 1014. «Ingo, vir magnae » nobilitatis in saeculo, Rotberti regis in schola Gerberti collega, quem ab» abbatia S. Martini masciacensis remuneratum, post abbatia S. Germani » parisiacensis inclytum saeculo reddidit, ut decebat tantum virum, inquit » Helgaldus in epitome vitae Rotberti regis. Non tamen monachorum suo» rum mores ita componere valuit, quin post eius obitum emendatione in» guerint. In chronico Clarii monachi Ingo regis consanguineus dicitur, fa» ctus abbas S. Petri Vivi anno insequenti. » En occasio, qua Odbramnus, qui monachus erat S. Petri Vivi, scripsit hanc epistolarem adhortationem nomine Ingonis, qui male moratos monachos regendos susceperat.

iustitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. Peccatum, quo miseri efficimur, hoc esse credibile est, quod cum fide simus christiani, destruimus proh dolor! factis aliquando professionem monachi. Et quia beatitudini sempiternae felicitatem praeponimus temporalem, et illam nisi resipiscamus perdimus, et hanc quae quantulaecumque posset esse, si recti esse vellemus, non adprehendimus. Quia ergo vindicta Dei et in hac vita temporaliter incipit, et usque ad alteram, quae finem non habet, nisi conversio subveniat, pertendit, sive praelati sive subiecti omnem deponamus excusationem. Et cum sibi unusquisque nostrûm sit conscius in quibus maximae Deum offendit, communiter eum et oboedienter audiamus monentem: redite praevaricatores ad cor. Itemque: lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite bene facere, ut per paenitentiae salubrem cursum perveniatis ad indulgentiae tutissimum portum. Ita valebimus non solum effugere mala praesentia, verum etiam bona sperare ventura. Dediscamus sola carnalia appetere, de consequendis spiritalibus aliquando cogitemus.

Et ut nostrae cupiditates temperentur, et modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum transitus, quos in dignitatibus huius saeculi admodum florentes vidimus, nec obliviscamur quod eos cottidie sequimur. Ad mortem enim sine intermissione properamus. Repetamus mores, quibus hactenus ordo monasticus crevit et viguit. Nullae sint finctiones, nullae conspirationes inter nos qui patrem invocamus Deum; quibus dicunt pontifices, pax vobis; et pro quibus omnes concorditer orant sacerdotes: da propitius pacem in diebus nostris, et pax Domini sit semper vobiscum; et quibus polliceri Deus dignatur: beati pacifici, quoniam fi-

lii Dei vocabuntur. Illa comminatio eius non videatur nobis contemptibilis: vae illi, per quem scandalum venit! ne forte, quod ipse avertat, sola vexatio, ut ait Esaias, det aliquando intellectum auditui, ut infelici experimento, quod nunc non credimus, aut nos nescire fingimus, in tormentis positi sentiamus.

Illud autem neminem nostrum fugiat a doctissimis viris usque ad nostram aetatem probatum et creditum, quia per concordiam parvae res crescunt, per discordiam vero maximae dilabuntur; ne forte dum cupimus nostra securius tenere, vel ad transitoria capienda felicius conscendere, iusto Dei iudicio ruina nos labentis saeculi, quam nostris discisionibns praeparamus, involvat, et in perniciem animae et corporis pertrahat. Haec nostrae humilitatis quantulacumque admonitiuncula, praesenti tempori congrua, dum ad vos, dulcissimi patres vel fratres, pervenerit, volo ut in conventu fratrum recitetur, ut per illam cunctis fratribus parvitas nostra ad memoriam revocetur. Spero enim, omni dubitatione submota, peractis diebus festis dominicae resurrectionis, si Deus vitam concesserit, me aput vos futurum, ac penes vos aliquandiu moraturum. Valete.

OPUSCULUM XII.

Quod omnis homo ad amandum et colendum Deum creatus sit, testatur his verbis Ecclesiastes in fine sui sermonis: Deum time, et mandata eius observa, hoc est omnis homo; id est ad hoc creatus est omnis homo, ut Deum timeat et mandata eius observet. Verus quoque concionator noster dominus Iesus, inter cetera melle dulcissimo dulciora, talia suis discipulis profert affamina: quod vobis dico, omnibus dico, vigilate: et timete eum qui potest animam et corpus perdere in

gehennam. Qui etiam adpropinquans passioni, unanimitatis patientiam servare eos sic docuit: mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et ascendens in caelum, orando patrem intulit dicens: non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut et ipsi in nobis unum sint. De sectatoribus quoque huiusmodi Lucas in actibus apostolorum dicens, taliter intonuit: multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, et erant illis omnia communia. Igitur dum per multa annorum curricula istis et his similibus sancta electorum ecclesia ab apostolis fundata polleret virtutibus, omnium bonorum invidus diabolus malignum virus adinventionis suae in haereticorum mentes fundens, discidia inter fideles ebullire fecit, et unanimitatis virtutem in quantum potuit perturbavit. Sed sancta ecclesia supra firmam petram id est Christum bene fundata, nullis haereticorum perturbationibus concuti potuit, quae Spiritu sancto doctorum spiritalium pectora perlustrante inmobilis permansit.

E quibus legislator Benedictus unanimes congregare studens in Dei domo, scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam, in qua evidenter ostenditur quanta sit unanimitatis virtus. Quia vero, ut apostolus ait, non omnium est fides, tamen omnium beneficium est in fratres. Licet sancta universalis ecclesia diversis in ordinibus distributa sit, tamen unius caritatis visceribus enutritur et gubernatur. Cuius amore succensa humilis congregatio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum quoque apostolorum Saviniani et Potentiani (1) sociorumque eo-

(1) Recole Pontificum rom. vitas in hoc Spicilegio T. VI. p. 6. Quoniam vero vitarum harum mentio heic incidit, placet nunc locum quendam in Soteris PP. vita p. 21. aliquantum illustrare. Dicitur ibi: *hic Papa consti-*

rum Senonensis vici, desiderat fraternitati suae conprovinciales presbyteros, seu quoslibet fideles, ad hoc opus suscipiendum idoneos sibi conecti vinculo caritatis, non solum corporaliter verum etiam spiritaliter; eo videlicet tenore, ut si aliquis ex illis in infirmitatem deciderit, ab abbate vel a fratribus more ecclesiastico, seu a ceteris conpresbyteris visitetur; et si defunctus fuerit, ab unoquoque monacho sacerdote, seu a ceteris presbyteris pro salute animae eius septem missae canantur. In conventu vero fratrum post primam horam diei, ante quam litania agatur, psalterium ex integro decantetur.

Pro talione vero huiusce rationis, id quod praescriptum est fieri pro presbyteris, similiter fiat pro monachis ab ipsis presbyteris vel monachis. Et per singulos annos, sicut in festivitate omnium sanctorum ieiunium neglectum, sive festivitas neglecta fuerit, persolvitur; sic in prima subsequenti die commemoratio omnium fidelium defunctorum, causa karitatis Dei in eodem monasterio ab abbate vel a fratribus conprovincialibus sollempniter agatur, eleemosyna publica in pauperes, et refectione karitatis corporaliter subsequente. Et ut haec exhortatio perpete * vigeat, praesentium fratrum nomina adnotamus; et ut deinceps defuncto- * ita cod.

tuit ne uxor habeatur legitima, nisi per sacerdotem benedicatur. Undenam haec tam prisca auctoritas sumpta fuit a biographo? Certe in isidorianis Soteris epistoiis deest, sed tamen adest in prima isidoriana Evaristi Puto nostrum biographum sumpsisse a Burchardo lib. IX cap. 7, qui reapse Soterem pro Evaristo citat. Auctor quidem vetus vitarum Pontificum, quem vulgo dicimus Anastasium, sententiam illam seu legem Soteris non recitat. Quia tamen apud ipsum Anastasium in S. Silvestri vita iubetur fieri episcopus, qui sit unius uxoris vir *a sacerdote benedictae*; hinc merito licet arguere canonem Silvestro vetustiorem extitisse de nuptiis christiano more copulandis, quo fretus idem Silvester legem suam tulerit de episcopo nonnisi ex huiusmodi nato nuptiis adsumendo, quasi non essent eae piae et christianae, *nisi a sacerdote benedictae fuissent*.

rum fratrum nomina designentur, obnixe precamur. Ea ratione firma, ut more ecclesiastico postquam exhortatio orationis post offertorium missae a presbytero facta fuerit, subdiaconus retro altare stans virorum familiarium nomina et mortuorum loco opportuno recitet.

Praeterea sciendum est, quod si difficultas, aut loci aut temporis, aut cuiuslibet rei, visendi infirmum venerit, unusquisque in suo loco, sicut supra dictum est, solatium fraternae karitatis illi persolvat; et si obierit, similiter faciat. Et si monachos taeduerit cantare psalterium, agant missam pro mortuo in conventu fratrum. Ipsa die qua testamentum istud in capitulo sancti Petri per textum sancti evangelii alternatim confirmatum est, sancitum est ut a duodecim presbyteris ex his qui foris sunt singulae missae in unaquaque hebdomada per singulos apostolos decantentur; et in conventu monachorum in omnium apostolorum veneratione semel in hebdomada missa agatur. Ceteri vero presbyteri vel fratres per unamquamque hebdomadam pro animabus omnium defunctorum fidelium unam missam cantent singuli, quatinus illis a Deo requies donetur, et nobis pacis tranquillitas, et terrae fertilitas, apostolorum interventione, et vitae felicitas conferatur.

Qualiter ea, quae praedicta sunt, agenda sint.

Convenientibus fratribus in unum, finita lectione, dicatur ab abbate: flectamus genua. Et finita oratione dicatur: levate. Deinde adstantibus omnibus dicat abbas, praemissa salutatione, id est Dominus vobiscum, hanc orationem.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione *etc.* (*ut in hodierna liturgia.*) Item aliam. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere *etc. ut in h. l.* Denique aliam. Praesta quaesumus, omnipotens et misericors Deus, cunctis fidelibus defunctis veniam, viven-

tibus indulgentiam; ut te largiente pariter ad vitam pervenire mereamur aeternam. Per etc.

OPUSCULUM XIII.

Didascalo sanctae Aurelianensis ecclesiae, et monasterii sancti Aviti archimandritae Ayrfredo, nec non Hugoni sanctae matris ecclesiae Senonensis archidiacono, misericordia Dei indignus frater Odoramnus orationum fidelium munus.

Si cum gyrovagis diversorum cellas circuiens, gulae illecebris et propriis voluptatibus deservirem; aut cum bubuleis durissimo vomere glebas vallium gelu urente et aestu verterem, fortassis nemo invideret. Quia vero in coenobio residens, subtilium rerum quae sunt, et quae inmutabilem sui essentiam sortiuntur, investigare diligenter veritatem cupio, maledicta et obprobria ab aemulis sustineo, erecta quasi ex quodam praecipiti mente profundo, eorum respondere detractioni compellor. Quorum, quia ut in lamentatione mea scripsisse me recolo, magis elegi reprohis reticere quam respondere; nequaquam responsum darem, nisi arcuato ictu me confodere nitentes, sibi ipsis miseri venenata lingua mortiferum anthropomorphitarum virus inferrent. Itaque dum mihi, invidia stimulante, a veritate desipientes, quod de Deo male sentiens, manibus detruncatum, vel quibuslibet membris debilitatum, quod absit, illum dixerim obiciunt, in iam dictam haeresim Deum corporalibus liniamentis conpactum esse asserentes, praecipites corruunt. Quibus e diverso occurrit beatus Augustinus ferendo catholicae fidei antidotum, de Deo, inquiens, nihil corporaliter effigiatum credendum est (1).

(1) Sic cessat in codice hoc XIII. opusculum. Et quidem hoc ipsum unice scriptum ex toto Odoramno, sic pariter mutilum, ediderat Mabillonius in annal. Bened. ad an. 1022. lib. 55. n. 4; quod ego nihilominus retinui, ne mea Odoramni editio hoc qualicumque frusto careret.

Sequitur in codice hymnus prosaicus, sive ut Graeci loquuntur canon, cum tonis musicis in laudem ss. Saviniani, Potentiani, atque Sociorum, cuius auctor videtur ipse Odoramnus, quandoquidem nomen suum ipse deinde apponit in codice, ut infra videbimus. Pretiosam arcam S. Saviniano fecisse Odoramnum, iussu et impensis regis Roberti et reginae Constantiae, narratur in annalibus Bened. ad an. 1016. 1025. 1028, *ob sollemnem reliquiarum eius translationem, quo tempore tunc etiam hymnum ab eo scriptum fuisse opinor. Ceteroqui universum illum honorem sanctis martyribus impensum, ductamque supplicationem, nemo luculentius scripsit quam ipsemet Odoramnus in chronico ad an.* 1031.

IN SANCTUM SAVINIANUM SOCIOSQUE EIUS

HYMNUS.

Sancte Saviniane martyr Christi pretiose, una cum tuis sociis quaesumus ora pro nobis. Evovae. O mirum tirocinium Senonensis ecclesiae praesulum, quo ovile daemoniis mancipatum pastorem recognovit pastorum! O decus pontificum, et honor certantium, nobis famulantibus non denegetis vestrum subsidium! Gratuletur temporaliter fidelium turba sanctorum, Saviniani ac Potentiani celebrando sollemnia Hierusalem aeternalis, pro quorum tripudio Christum laudans exultat. Regem regum omnium collaudemus dominum, qui sibi Savinianum praeelegit sanctissimum, atque Potentianum coheredem fecit suum. Savinianus pontifex hebraeus fuit genere, et ex Christi discipulis, quos binos iussit progredi. Hic priscae legis edoctus erat valde dogmatibus. Ab ore quoque Domini verba salutis didicit. Conexit

huic caritas, sociavitque probitas viros praeclari meriti rectae fautores fidei; qui Christi facti praevii miraculis et praeclui cum ceteris discipulis pacem ferebant populis. Evovae. Christus ut astra petiit, apostolorum principi probi viri sunt additi parentes eius monitis. Adepta sede cathedrae urbis Petrus romuleae, Savinianum convocat hortans ut Gallos adeat (1). Evovae. Gloriosis martyribus Christi Saviniano atque Potentiano sollemnia celebremus, qui Galliam Senonis ab errore revocantes, dato proprio sanguine, caelestia meruerunt. Regi regum Christo domino munus acceptabile perditi populi reportantes, caelestia etc. Sanctus princeps ecclesiae Petrus hos admonuit in Gallia divini verbi semina spargere, cuius imperio hanc arcu fidei expetierunt. Famosam urbem Senonum diaboli abstrahunt a cultura, et pro vera ac catholica fide, hanc arcu etc. Dum devotus archipraesul Savinianus oppidum Senonum adisset armis spiritalibus undique munitus, infidelium animos ad amorem sui convertit, eorumque cervicibus iugum Christi suave et onus leve indidit. Nefanda siquidem paganorum conamina contrivit, et de hostibus feliciter triumphavit. Superni quippe pneumatis insignitus praesagio summus antistes adiit, Senonensem mox metropolim. Evovae.

Virtutis cuius specimen electi Christi milites praeclarus Potentianus Altinusque prosequuntur. Evovae. Insistunt porro conatu magnanimo gentilibus destruentes phanatica, firmantesque Christi iura. Evovae. Mi-

(1) Missos a divo Petro apostolo ex urbe romana in Gallias ad Christum praedicandum Savinianum, Potentianum, et Altinum, quibus se adiunxerunt Serotinus et Odaldus sive Eodaldus, narrat auctor vitarum Pontificum a nobis editus in hoc Spicilegio T. VI. p. 6. Quae autem ibi adnotavimus de gallicanae ecclesiae ortu ex romana, confirmantur hoc etiam hymno, aetate Roberti regis scripto, quo praedicti viri apostolici nominatim ob eam rem celebrantur.

ratur cohors profana inauditum Christi dogma, atque venisse celebres sapientiae proceres. Evovae. Hinc fulgente praeconio miraculorum plurimo, certatim petunt populi baptisma Christi consequi. Evovae. Horum antiquis triumphis se dolens hostis opprimi, saevis improborum dolis athletas Christi perimit. Evovae. Pauper spiritu Savinianus, et locuples pinguedine terrae Senonum populus, dum in via huius peregrinationis sibimet obviantes concordarent, utrisque cooperatus est Dominus; illi destruendae veritatis et fidei constantiam, huic credendi et obsecundandi conferens efficaciam. Utrisque etc. Inclytum Potentianum praesulem, piumque Altinum Dei verbi comministrum mittit Roma aurea. Hi simul pro Deo exquisita perferunt supplicia, exemplum patientiae et virtutis in summo pontifice cernentes. Hi simul etc. Laudabilis Potentianus genera tormentorum ultro currens, fide tandem roboratus in Christo cervicem praebet, animam sanguine laureatus Domino reddens. Corpus eius bestiis et avibus expositum sola Dei providentia permansit intactum. Animam etc. Gloriosus athleta Domini Savinianus pontifex feliciter pro Christo multos agones perpessus, tandem paganorum mucrone, ut diu optaverat, iugulari non differens, rebus humanis exemptus ad laborum praemia demigravit. Accitus namque in eorum pestilenti concilio, ac capituli sententia dampnatus pro Christo, rebus etc.

O felix et digna laude, sanctorum momentanea passio, facta fidelibus populis salutis reparatio! Evovae. Beato Saviniano gratulante in milibus populi ad baptisma pervolantibus, anguis veternus ministros erroris sui in sanctum antistitem excitavit. Dum cernit cultus simulacrorum et laqueos sui machinamenti denodare hostis antiquus, ministros etc. Egregius Savinianus in ago-

ne decertans, novissima diro impiorum mucrone pro Domino subiit egregie tradito capite, illico caelos scandens praemia laborum consequi meruit. Funus eiusdem fidelium discipulorum manibus infertur mausoleo. Praemia etc. Hodie beatus Savinianus cum collegio fratrum cucurrit mundi certamina; hodie fuso sanguine sumpsit palmam gloriae; hodie carne solutus in caelum sequitur agnum Dei filium. Mirabile et beatum decus sanctorum, in caelis coronabile, et in terris venerabile! Hodie carne solutus etc.

Athletam Domini Savinianum per iter martyrii gradientem sequitur grata amicorum clientela, sanctus videlicet Potentianus, aeque nobilis Altinus, inclytus Eodaldus, et sanctus Serotinus. Mortis namque ab impiis discrimine multati, martyrii gloriam assequi meruerunt. Sanctus etc. Gloria patri et filio et Spiritui sancto. Messis cultores Domini, Savinianus et Potentianus inclyti, reportarunt semina a Christo data duplicia. Evovae. Hi karitatis geminae resplendentes munere, Dei amore et proximi enituerunt plenissime. Evovae. In medio luporum agni positi a Domino sancti martyres Christi, sacculum et peram ceteraque xenia spreverunt pro Christo mente promptissima. Evovae. Rutilantes miraculis reversi sunt iidem sancti discipuli congaudentes ac dicentes Domino: ecce nobis subiciuntur daemonia in virtutis tuae potentia. Evovae. Nolite, inquit Christus, gaudere quod dominamini spiritibus, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelis. Evovae. O clarissima martyrum gemma, Saviniane, veniam nobis obtine tua sancta intercessione, et subveni in angustiis et afflictione. Da nobis, martyr pie, auxilium de quacumque tribulatione, et subveni. Gloria patri et filio et Spiritui sancto. Hodie athleta Domini gloriosus Savinianus pontifex, grata amicorum clientela prosecutus, ad laborum suorum prae-

mia demigravit; cuius apud Deum pia intercessio absolvat nos ab omni periculo! Evovae.

Celebri laudum iubilo persolvamus odas Christo, recensentes gloriosum Saviniani trophaeum, eiusdem quoque clientum triumphale tripudium; horum precatu, caelico quo fruamur subsidio. Egregius triumphator Savinianus cum caterva sociorum tormentis insequitur, capite plectitur; quibus superatis, exultant sine fine in conspectu Dei.

FINIS HUIUS OPERIS ET ADMONITIO LECTORIS.

Auctore et gubernatore Deo, hunc licet vigente ingenio, tamen iam caligante oculo et frigescente articulo, librum Odoramnus paene sexagenarius exaravit monachus. Vos qui legitis, orate pro eo.

EPITAPHIA SENONENSIA.

In subsequente eiusdem codicis pagina, vetere aeque manu scribuntur episcoporum quinque Senonensium epitaphia; duoque insuper alia monachorum Senonensium, nempe Rainardi abbatis, et Ludovici olim comitis. Utrum haec collegerit in hoc codice ipse Odoramnus (qui certe cunctis fuit iunior) an quilibet alius, incertum est. Vix autem dubito quin haec epitaphia doctis gallicanarum antiquitatum cultoribus explorata sint. Sed nihil interim vetat, quominus heic a me attexantur. Mortuarios autem singulorum annos ex annalibus Benedictinorum adscripsi.

EPITAPHIUM DOMNI EGILONIS ARCHIEPISCOPI. (*Obiit an.* 870.)

Artus almiflui conduntur hic tumulati
Praesulis Egilis, quem capit aula poli.

EPITAPHIUM ANSEOISI ARCHIEPISCOPI (1).

Anseisus Senonum praesul hic clausus habetur.
Iudicio Christi surget et ipse sui.
Galliarum primax * papa Iohanne levatus, * ita heic. cod.
Egregiis meritis hoc fieri meruit.
Hic Karolum regem Romanis imperatorem
Constituit, Francis principibus placuit.
Gregorii papae secum caput adtulit istuc.
Pacis amator obit flebilis ipse piis.

EPITAPHIUM HELDEMANNI EPISCOPI. (2) (*Obiit an.* 958.)

Formosi coetus pastor, formosus et ipse
Heldemannus in hoc ecce iacet tumulo.
Martyris egregii pridem monachus Dionysi,
Post urbis praesul eximius Senonum.
Solamen tribuit miseris felix sua vita,
Idcirco astrigero nunc fruitur solio.
Decidit augusti nonas. Ora rogo lector
Caelitus ut vivat cum Domino iugiter.

EPITAPHIUM ANSTASII EPISCOPI. (*Obiit an.* 977.)

Pastor ovile Dei servans Anstasius olim,
Pneuma locat superis, et recubat cinis hic.
Extitit ipse pius, fortis pugnator, et almi
Colloquio verbi, fultus amore Dei.
Quicquid amat mundus, sprevit virtute benigna,
Daviticus vates adfuit ore pio.
Dum sexto bifrons idus ianuarius egit,
Decidit. Unde precor, parce Deus famulo.

(1) *In codice haec fit prisca adnotatio.* Anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXIII· obiit Ansegisus archiepiscopus, totius Galliae et Germaniae papa secundus, feliciter ·VII· kal. decemb. *Consentit de anno obitus Mabillonius in annal. Bened. ad hunc annum.*

(2) Hic et sequentes dicuntur revera in codice *episcopi* non *archiepiscopi*.

EPITAPHIUM SEVINI EPISCOPI. (*Obiit an.* 995.)

Hic humilis tumulus merito cunctis venerandus
Sevini membra continet egregia.
Angelicam cuius felix animam paradisus
Pastorum sancto possidet in numero.
Qui mitis sanctae pro religionis honore
Hac in sede sedens multa tulit patiens (1)
Iamque senex factus migravit in astra locandus.
Cui parcat, petimus, cunctipotens Dominus.

EPITAPHIUM RAINARDI (2) ABBATIS.

Gemma patrum, nec non diadema nitens monachorum
Hoc tegitur tumulo funeris officio.
Cuius erat nomen Rainardus mente benignus,
Dulce decus monachis extitit et famulis.
Quo melior pietate viget per saecula nemo,
Nobilis in membris, nobilior meritis.
Vivere post mortem cui concedat sine fine
Cunctipotens Dominus semper ubique pius!

EPITAPHIUM DOMNI LUDOVICI COMITIS ET MONACHI.

Regali de stirpe satus, tumulatus habetur,
Consulis officio functus mundo Ludovicus,
Quem genuit nobis monachum Alamannia gratis. (3)

(1) Sevini episcopi calamitatem quamdam narrat Mabillonius in annal. Bened. ad an. 995.

(2) In marg. antiqua manu. *Hic Sevini archiepiscopi fuit ex sorore nepos*. Monasterium autem cui praefuit, fuit sancti Petri Vivi Senonensis, ut recentiore manu scribitur in margine. Obiit anno 1015.

(3) De hoc Ludovico comite Alamannorum, et deinde monacho Senonensi, Mabill. op. cit. ad annum 1015, qui fuit Ludovici extremus.

DE COMMENTARIO QUODAM

IN ECCLESIASTEN.

Odoramno, qui post medium saeculum undecimum cognoscebatur, placet subtexere specimen operis eodem tempore atque in eadem Gallia compositi. Mabillonius in annal. Benedict. lib. LIX. n. 96. *T. IV. p.* 476. *fundatum narrat anno Christi* 1050. *monasterium apud Troarnum, qui locus est dioecesis Baiocensis ad Divam flurium, tribus ab urbe Cadomo leucis Deinde lib. LXVII. n.* 76. *ad an.* 1089. *pergit dicere » Troarno tunc praeerat Arnulfus, cui scribit S. Anselmus » epist.* 141. *lib.* 3. *Eidem abbati anonymus quidam mona» chus commentarium a se editum in Ecclesiasten nuncupa» vit, praemissa epistola sub hoc titulo: Arnulfo venera» bili viro etc., quae incipit: quidam fratres etc. Divisum » est opus in libros octo, quod habetur in codice ms. eius » aetatis in bibliotheca ecclesiae metropolitanae Turonensis. » Fuit autem hic Arnulfus abbas secundus coenobii Troarniei, teste eodem Mabillonio lib. LXXX. n.* 46. *T. VI. p.* 499. *Denique Lelongus Bib. sacr. T. I. p.* 1111. *haec habet: « Ex» positio in librum Ecclesiastae ad Arnulfum abbatem Tro» arnici, auctore monacho anonymo, in cod.* 30. *bibliothe» cae eccl. cathed. Turonensis. » Quae quum ita se haberent, casu contigit ut his annis pauci aliquot codices a me pretio redimerentur, quos inter deprehendi praedictum ad Ecclesiasten commentarium, incolumem et integerrimum in puris membranis saeculo circiter duodecimo scriptum; quae ferme est turonensis exemplaris aetas. Constat autem opus libris adamussim octo, gravi et solida doctrina plenis, plerumque morali, interdum etiam polemica contra haereticos. Raro tamen alienis testimoniis utitur auctor. Mihi quidem satis hoc tempore sit, epistolam praeviam cum operis isagoge ad publicam notitiam deferre.*

INCIPIT PRAEFATIO

IN LIBRUM ECCLESIASTEN.

Arnulfo venerabili viro abbati Troarnici coenobii, frater quidam habitu monachus, propositi religiosi transgressor, vestigia summi pastoris gressu directo resculpere.

Quidam fratres saepe et multum me quidem postulavere, ut secundum paupertatulam ingenioli mei librum Ecclesiasten attemptarem eis explanare; qui licet nonnullis nequaquam difficilis esse videatur, tamen unusquisque qui verba tanti concionatoris trutinare potis est, admodum magnis obscuritatibus esse perplexum experitur; ex quo profundioris sapientiae praerogativam indeptus fuerit, eo siquidem in illo multo magis reperiet id quod prolatu dignum sit. Haec itaque considerans, plurimas causas, quae me impotem esse circa huiusmodi negotium protestantur, saepiuscule praefatis exactoribus praeferebam; tum quia vires peritiae meae tantum onus tolerare nequibant, tum vero quia penuria scriptoris me plurimum artabat. Illis tamen insistentibus, demum caritas, cui constat esse cuncta possibilia, calamum arripiens, manui meae inposuit. Tunc ego posthabita politione, atque retractatione verborum, sicut ori sermo impolitus occurrebat, ita sane pennae committens, articulo prosequente velocis manus assignabam. Quocirca mirandum esse non reor, sicubi scatens reperitur oratio; ideoque mihi necessarium esse perpendi, ut vobis, quem plurimum gratia Dei patrocinante praeditum, fultum quoque vi profundae rationis meminerim, opusculum istud iudicio vestro examinandum transmitterem; quoniam quanto quilibet rationi innititur, tanto magis procul dubio lumine veritatis perlustratur, cuius manu censoria falsa a veris dirimuntur; item id totum quod futile constat esse, resecatur. Ad haec quicquid in explanatione ista corrigetis, et ego; rursus quicquid in eadem probabitis, et ego. Quippe testimonium mihi reddente conscientia,

quae vix fallitur, non ambigens profiteor, oppido maiorem vobis quam mihi valentiam atque perspicuittatem inesse rationis. Ne hoc quidem immerito contingere videtur, quoniam ubi magis munditia cordis versatur, ibi haud iniuria lux maior perspicuae veritatis, sedem obtinere sibi gratam dinoscitur. Et quia scriptum est: audiens sapiens, sapientior erit; quaeso vos ne sit vobis taedium in legendo transcurrere hunc tractatum, quandoquidem securius recitari poterit, ubi eum postrema vestra manus ad unguem elimaverit. Et si non vobis, vel simplicibus, quorum exactioni pareo, quamlibet parvum fructum contulerit. Et quoniam praesentiam vestri colloquii nequaquam habere promerui, cuius sedulitate non modicam utilitatem mihi proventuram crediderim, vel importunitate lectionis meae perstrepente vestras aures pulsare decreverim. Etenim si id quod volo non possum, saltem id volo quod possum.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Salomon humanam naturam paternae traditionis chirographo proscriptam esse condolens, et sola Domini gratia reparandam, sicut praesagus futurae redemptionis considerans, tres libros magnis obscuritatibus perplexos luculento sermone composuit. Ut sicut homo per insipientiam, tum per appetitum rerum caducarum illicitum, tum vero per contemptum sui conditoris, plurimis se inferioribus obnoxius factus fuerat; sic per triplicem provectum, quem praefati libri redolent, ad id quod iuste perdiderat, diuturno labore adhibito reverti valeret. Primo namque libro cui titulus inest " proverbia Salomonis ,, tradit praecepta disciplinae parvulis; ut cum cervicem suam illius iugo mansuetissimo submiserint, repente caliginoso errori cedentes, ad tramitem lucifluae veritatis transire possint. Cum vero tenebris insipientiae caput suum diutius assuetum, viriliter erexerint, protinus lenocinantis mundi illecebris, quarum prius principatum toleraverant, adversum se tumultum quam maximum excitantibus, tendentes ad patriam fatigari prohibentur. Non enim facile

potest anima nocivam consuetudinem infimae dilectionis, quae circa res mundanas versatur, prorsus abigere, quam constat artius sibi molitam fuisse. Ceterum sapientia praevalente penes eos qui iam annos parvulae aetatis evasere, paulatim fallaciam labentium rerum, quae conturbant mentis tranquillitatem, enituntur labefactare. Interim vero secundus liber, qui ecclesiastes appellatur, rixam vehementer altercantium, bifaria causa proposita diremturus rite subsequitur. Deinceps sedata tumultuantis animae tempestate, quam gratuita species fugitivarum rerum illexerat, tandem nuptiali thalamo summi regis ascribi promeretur; quod designat liber qui cantica canticorum inscribitur. In his plane luculento stilo conscriptis processus virtutum commendatur, quas unusquisque anhelans ad supernae gloriae bravium, adipisci conatur. Quanti vero pendenda sint cuncta quae labuntur, quanam quidem ratione ea quae scholae virtutum repugnant, imperio animae subicienda sint, textum libri prosequendo videamus.

" Verba Ecclesiastae, filii David regis Hierusalem. ,, Ne quisquam hunc librum tropica locutione conscriptum esse haesitaret, in exordio eiusdem editor propria nomina sensu typico plena ponit, inquiens etc.

Claudii taurinensis episcopi, qui sub Ludovico Pio vixit, expositiones epistolarum Pauli apostoli, cum alibi tum in antiquis etiam vaticanae bibliothecae codicibus iacent. Has divulgare olim cogitabam, quo tempore prologum in priorem ad Corinthios edidi Script. vet. T. VII. p. 274. Verumtamen lectis postea studiosius his Claudii scriptis, mihi demum innotuit, nihil fere ibi esse (exceptis prologis) nisi ex cognitis aliorum patrum commentariis breviata excerpta; quod alioqui Claudii vitium Simonius atque Trombellius iamdiu persenserant. Igitur delegi unicum Claudii commentarium super brevissima ad Philemonem epistola, quem hoc loco lectoribus repraesento, ut mecum videant, nihil Claudium habere, quod uberius atque splendidius in divi Hieronymi ad eamdem epistolam commentario non legatur.

CLAUDII EPISCOPI TAURINENSIS

EXPOSITIO EPISTOLAE

AD PHILEMONEM.

Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo eius. Scripsit autem ei ab urbe Roma de carcere, et hoc eius principium est: *Paulus vinctus Iesu Christi*. In nulla epistola v. 1.
hoc cognomine usus est, licet in corpore epistolarum, ad Ephesios videlicet et Philippenses et Colossenses, esse se in vinculis pro confessione testetur. Maioris autem mihi videtur supercilii, vinctum Iesu Christi se dicere quam apostolum: gloriabantur quippe apostoli quod digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Sed necessaria est auctoritas vinculorum. Rogaturus pro Onesimo, talis rogare debuit qui posset impetrare quod posceret. Felix nimirum, qui non in sapientia, non in divitiis, non in eloquentia et potentia saeculari, sed in Christi passionibus gloriatur! Non omnis autem qui vinctus est, vinctus est Christi; sed quicumque pro Christi nomine, et pro ipsius confessione vincitur, ille vere vinctus dicitur Iesu Christi; ut sanguis effusus ille tantum martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. *Et Timotheus frater*. Hoc ideo ut sciamus, hanc quoque de carcere et inter vincula fuisse dictatam, ubi semper Timotheus cum illo perseveravit: quo tempore videntur ad Philippenses, Colossenses, et ad Ephesios epistolae esse dictatae. *Philemoni dilecto et adiutori nostro, et Appiae sorori karissimae*. Scribunt v. 2.
igitur Paulus et Timotheus Philemoni karissimo et cooperatori, qui ideo karissimus dictus est, quod in eodem Christi opere versetur. Appiae quoque sorori, quae vel soror vel coniunx eius creditur esse. Inter duos quippe viros et apostolicos, inter cooperatorem Pauli et commilitonem eius, medium Appiae nomen inscritur, ut tali ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere sed meriti.

Et Archippo commilitoni nostro. Hunc Archippum arbitrandum est cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem extitisse victorem, et propterea nunc commilitonem dici, quod in eodem certamine belloque superaverit. *Et ecclesiae quae est in domo tua.* Scribitur ecclesiae quae in domo eius est. Verum hoc ambiguum est, utrum ecclesiae quae in domo Archippi sit, an ei quae in domo Philemonis; sed ut certius putatur, non ad Archippi sed ad Philemonis referendum est personam, cui ipsa quoque epistola deputatur.

v. 3. *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et domino Iesu Christo.* Adhuc a duobus ad plures scribitur, et in omnibus paene epistolis aequale principium est, ut gratiam et pacem a Deo patre, et a Christo domino imprecetur. Ex quo ostenditur unam filii patrisque esse naturam, cum idem potest filius praestare quod pater, et id dicitur pater praestare quod filius. Gratia autem est, quia nullo merito, nec opere salvamur. Pax, qua reconciliamur Deo per Christum suum. Licet Paulus, et Timotheus pariter scribant, et ad Philemonem, et Appiam, et Archippum, tamen in sequentibus approbatur Paulus tantummodo ad Philemonem scribere, et unum
v. 4. cum uno sermocinari. *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.* Haec iam non ut Paulus, et Timotheus Philemoni, et ceteris, sed solus Paulus ad solum Philemonem loquitur. Hunc autem morem scribendi in aliis epistolis eius invenire possumus, quod cum ad plures et plures in praefatione ponantur, postea per totum corpus epistolae, unus disputans inducatur. Quod vero ait, gratias ago Deo meo semper, et memoriam tui facio in orationibus meis, ambigue dictum est, utrum gratias agat Deo semper, an memoriam eius faciat in orationibus suis semper. Sed tamen utrumque intelligi potest, quod ille qui praecepit aliis, ut in omnibus gratias agant Deo, nullis angustiis poterit coartari, ut gratias semper Deo ipse non referat. Si autem pro sanctis, et melioribus quibusque Paulus semper orabat, sanctus autem et Philemon est, tantam habens in se fidem et caritatem, ut non solum auditu ei, verum opere nosceretur;

et pro Philemone Paulum semper orasse credibile est, quo scilicet fides, et caritas quam habebat in Christo, et in omnes sanctos eius, per communicationem fidei, et operationem agnitionis in omni bono, Christi misericordia servaretur.

Audiens caritatem tuam, et fidem quam habes in Domi- v. 5.
no Iesu, et in omnes sanctos. Quod caritatem haberet Philemon in Domino, non difficilis interpretatio est, quia post Deum diligere iubemur et proximos; et non solum fidem, et caritatem in Deum, et in sanctos eius sufficere nobis posse credamus, sed ut id quod credimus opere compleatur. *Ut*
communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis boni v. 6.
in Christo Iesu. Quantis gradibus quantisque profectibus apostolicus in altiora sermo se tendit! ut quicquid boni in Philemone laudatur, de apostolorum exemplo sumatur: et inde bonum sit, quia de Christi fonte ducatur. *Gaudium enim* v. 7.
magnum habui, et consolationem in caritate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. Plenius inculcat, et edocet, quare dixerit gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis. Dignum siquidem erat agere gratias Deo semper pro caritate Philemonis, qui internum cordis affectum, et profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refrigeraverat.

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu im- v. 8.
perandi tibi quod ad rem pertinet; et propter caritatem ma- v. 9.
gis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Iesu Christi. Multis ergà Philemonem laudibus ante praemissis, cum res talis sit pro qua rogaturus est, quae et praestanti sit utilis et roganti, poterat Paulus magis imperare, quam petere; sed hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetrarat, utique impar sui in ceteris esse non poterat. Sed vult magis petere, quam iubere, grandi petentis auctoritate proposita, per quam apostolus obsecrat, et senex et vinctus Iesu Christi. Totum autem pro quo rogat, illud est. Onesimus servus Philemonis fugam furto cumulans quaedam rei domesticae compilarat. Hic pergens ad Italiam, ne de proximo facilius posset apprehendi, pecuniam domini per luxuriam prodegerat. Hoc ne quis putet teme-

re, et ut libet a nobis fictum, in sequentibus discat. Nunquam enim Paulus diceret, si quid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam; nec sponsor rei fieret ablatae, nisi esset id quod ablatum fuerat dissipatum. Hic igitur cum ob confessionem Christi Paulus Romae esset in carcere, credidit in dominum Iesum, et ab eo baptizatus digna paenitentia maculas vitae prioris abstersit, in tantum ut apostolus conversationis eius testis fieret, qui quondam Petrum increpuerat non recto pede in evangelii veritate gradientem. Quantum igitur ad peccatum, et ad facinus pertinet quod homines laeserat, veniam non meretur. Quantum vero ad apostoli testimonium qui scit eum plene esse conversum, grandi pondere premitur qui rogatur; quia e servo fugitivo atque raptore minister apostoli factus erat. Quod autem aliud habebat apostolus ministerium, nisi evangelii Christi Iesu? Iam non quasi a domino, sed quasi a conservo, et coevangelista ignosceretur ei qui servus esset Christi similiter et minister.

v. 10. *Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis Onesimo.* Volens impetrare quod postulat, iam non pro servo Philemonis, sed pro filio suo se asserit deprecari, et illo filio quem genuerat in vinculis evangelii, hoc est quem pro Chri-
v. 11. sti evangelio sustinebat. *Qui tibi aliquando inutilis fuit.* Tibi, inquit, soli non ceteris. Nunc e contrario utilitatis compensatione, qua et ipsi domino et Paulo utilis est, ceterisque per Paulum, plus caritatis meretur, quam odii ante merue-
v. 12. rat. Unde ait: *nunc autem et tibi et mihi utilis;* quia illo in carcere vinculisque detento, posset ei in evangelio ministrare. *Tu autem illum ut mea viscera suscipe.* Viscera significant interdum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem, cum totum quicquid a nobis est suscipitur a rogato. Aliter autem, omnes liberi viscera sunt intelligenda parentum.
v. 13. *Quem ego volueram meum retinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii.* Idcirco filium suum et filium vinculorum et ministrum evangelii in vinculis constituti inculcat atque replicat, ut Philemon ille prudenter et dispensatorie tantum in praefatione laudatus, non auderet negare, ne suis

laudibus videretur indignus. *Sine consilio autem tuo nihil vo-* v. 14.
lui facere; uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed
voluntarium. Potuit itaque apostolus Paulus absque volunta-
te Philemonis Onesimum sibi ministrum retentare; sed si
hoc sine Philemonis voluntate fecisset, bonum quidem erat
eius, sed non voluntarium. Quod autem non erat volunta-
rium, alio genere arguebatur non esse bonum. Nihil quippe
bonum dici potest, quod ultroneum est. Ex quo apostoli con-
sideranda prudentia, qui idcirco fugitivum servum remittit
ad dominum, ut possit domino suo prodesse, qui prodesse
non poterat si domino teneretur absente.

Forsitan ideo discessit. Pulchre autem addens forsitan, v. 15.
sententiam temperavit; occulta sunt quippe iudicia Dei, et
temerarium est quasi de certo pronunciare quod dubium est.
Forsitan, inquit, ideo discessit. Caute, timide, trepidando, et
non toto fixo gradu. Si non posuisset forsitan, omnibus ser-
vis fugiendum esset, ut apostoli fierent discipuli. *Ad horam a*
te. Quod autem ad horam iunxit, horam pro tempore debemus
accipere. Ad comparationem enim aeternitatis, omne tempus
breve est. *Ut aeternum illum reciperes, iam non sicut servum,* v. 16.
sed pro servo carissimum fratrem. Nullus aeternus dominus
servi sui; potestas quippe eius, et utriusque conditio, morte fi-
nitur. Onesimus vero qui ex fide Christi factus aeternus est
aeterno Philemoni, quia in Christum et ipse crediderat, spi-
ritu libertatis accepto, iam non servus sed frater coepit esse
de servo, frater carissimus, frater aeternus, aeterno et ipse
apostolo dominoque suo; cui Onesimum ut carnis conditio,
multo amplius postea spiritus copulabat. Et tum quidem quan-
do erat ei subiectus in carne, non erat ei iunctus in Domi-
no. Ex quo intelligimus, servum qui crediderit in Christo,
duplici domino suo lege constringi, ut ei et carnis necessita-
te iungatur ad tempus, et in aeternum spiritu copuletur. *Si* v. 17.
ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Quod dicit,
huiusmodi est: si me vis habere socium, habeto et Onesi-
mum, quem ego consortem et filium et viscera mea habeo.
Quem si non suscipere nec habere volueris, et ipse intelli-
ges quod me habere non possis.

v. 18. *Si autem aliquid nocuit aut debet, hoc mihi imputa.* Imitator domini sui, et Christum in se loquentem habens, ea iuxta vires suas debet facere, quae Christus. Si enim ille infirmitates nostras portavit, et plagas nostras doluit, iuste apostolus pro Onesimo se opponit, et spondet quae ille debebat. Ut autem supra diximus, totum illud est quod ablatum furto, et luxuria perditum, non poterat absolvi, quod Philemon grandi pretio compensabat, dum pro servo fugitivo, et pecunia perdita, fratrem carissimum, et fratrem reciperet aeter-
v. 19. num, et per eum sibi apostolum faceret debitorem. *Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam.* Quod Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum. Huius sponsionis epistola haec et manus testis est propria, quam non solito more dictavi, sed mea manu ipsam conscripsi. *Et non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes.* Propter sermonem enim Christi quem tibi evangelizavi, per quem et christianus effectus es, te mihi ipsum debes. Quod si meus es, et tua omnia mea sunt, Onesimus quoque qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti, ut meo, sed voluntati tuo relinquo, ut mercedem
v. 20. habeas ignoscendo. *Ita, frater, ego te fruar in Domino.* Si enim non addidisset in Domino, sed te fruar tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suae; quamquam etiam vicinissime dicitur frui, cum dilectione uti. Cum enim adest qui diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat; per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est retuleris, uteris ea, et abusive non proprie diceris frui. Si vero inhaeseris ac permanseris, finem in ea ponens letitiae tuae, tunc vero et proprie frui dicendus es; quoniam non fruendum est nisi in illa Trinitate, idest summo et incommutabili bono. *Refice viscera mea in Christo.* Sicut ipse vult Philemone frui in Domino, ita viscera sua Onesimum, quem et superius eodem nomine appellavit, refici vult
v. 21. per Philemonem. *Confidens in oboedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies.* Qui praesumsit de eo quem rogaturus est, ipsam quodammodo praesumptionem praeiudicat, ne ei negare liceat, quod rogatur. Porro si scit ille qui postulat plus quam rogatur rogatum esse factu-

rum, ideo minora petit, ut habeat rogatus voluntariam et maiorum praestatione mercedem. Si autem Philemon hoc ad hominis praeceptum, facit quanto magis faciet ob dilectionem Dei? Unde et merito apostoli voce laudatur, quod mandata eius opere perpetrarit.

Simul autem et para mihi hospitium. Hoc idcirco dicit ut v. 22.
dum eum expectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est, et ut venturus ad novam veritatem praedicaturus crucifixum, et inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros; et necesse erat plurimum, ut domus in celebri esset urbis loco, ad quam facile conveniretur; deinde ut ab omni importunitate vacua, ut ampla, quae plurimos caperet audientes, et ne proxima spectaculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis: postremo ut in plano potius esset sita; ob quam causam eum aestima etiam Romae in conducto mansisse biennio. Nec parva ut reor erat mansio, ad quam Iudaeorum turbae quotidie confluebant. *Spero enim per orationes vestras donari me vobis.* Filium patri Deus rogatus indulget, et frater saepe fratris oratione servatur; apostolus vero totius ecclesiae precibus conceditur, ob eorum qui eum audituri sunt utilitatem. Et hoc donum non tam in eum dicitur esse qui differtur martyrio ad martyrium praeparatus, quam in eos ad quos apostolus mittitur. Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, et de vinculis liberatus sit, ipse alio loco dicit: *in carceribus frequenter;* de quibus nonnunquam Domini auxilio crebro ipsis persecutoribus nihil dignum in eo morte invenientibus dimittebatur. Necdum christianum sanguinem Neronis gladius dedicaverat, sed pro novitate praedicationis sive a Iudaeis invidentibus, sive ab his qui sua videbant idola destrui, ad furorem populis concitatis missi in carcerem, rursum impetu et furore deposito laxabantur. Et hoc ita esse, ut dicimus, apostolorum acta testantur, in quibus et Agrippa loquitur ad Festum potuisse dimitti Paulum si non appellasset Caesarem, et quia nullam invenerit causam, praeter quaestiones quasdam de religione propria, de quodam Iesu quem Paulus vivere praedicaret. Ex quo animadvertemus, et a ceteris iudicibus simi-

iiter eos potuisse dimitti, id agente Domino ut in toto orbe nova praedicatio disseminaretur.

v. 23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu,*
v. 24. *Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adiutores mei.* Id quod in principio dicebamus, quoniam ad Colossenses epistolam eodem tempore, et per eundem esse scriptam baiulum litterarum, quo ad Philemonem quoque scripta est, etiam eorum qui salutantur, nomina docent: nam et in ipsa ita fere scribitur: salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabae, et Epaphras qui est ex vobis servus Christi. Et paulo inferius: salutat vos Lucas medicus carissimus, et Demas. Et dicite Archippo: vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Et memores estote vinculorum meorum. Si aliter ex eo aliquis non putat pariter scriptas, quod ad Colossenses pauca sint nomina, quae hic non ferantur adscripta, sciat non omnes omnibus aut amicos esse aut notos; et aliter privatam ad unum hominem, aliter publicam ad universam ecclesiam epistolam fieri. Qui sit autem Epaphras concaptivus Pauli, ex eo quod hic additum est, in Christo Iesu, possumus suspicari, eadem eum Romae pro Christo vincula sustinuisse, quae Paulum; et vinctum Christi, ita concaptivum quoque eius potuisse dici. Aut certe ita quod nobilis et ipse sit in apostolis, ut Andronicus et Iulia; de quibus scribitur ad Romanos: salutate Andronicum et Iuliam cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. Haec de Epaphra.

Ceterum cooperatores evangelii et vinculorum suorum, cum ad Philemonem epistolam scriberet, Marcum ponit, quem puto evangelii scriptorem; et Aristarchum cuius supra fecimus mentionem; et Demam de quo in alio loco dicit: Demas me dereliquit; et Lucam medicum, qui evangelium et actus apostolorum ecclesiis scribendo tradidit. Quomodo enim apostoli e piscatoribus piscium piscatores hominum facti sunt, ita hic de medico corporum in medicum versus est animarum; de quo et in alio loco dicit: misimus cum illo fratrem, cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias; cuius liber quotiescumque legitur in ecclesia, toties eius medicina non cessat.

Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Cum v. 26.
enim in spiritu gratia divina fuerit, totum hominem facit spiritalem, ut adhaereat Domino mente et corpore, et impleatur in eo quod scriptum est: qui adhaeret Domino, unus spiritus est. Interpretantur autem secundum Hebraeos, Paulus, admirabilis; Timotheus, beneficus; Philemon, mire donatus, sive os panis, ab ore non ab osse; Appia, continens aut libertas; Archippus, longitudo operis; Onesimus, respondens; Epaphras, frugifer et videns sive succrescens; Marcus, sublime mandatum; Aristarchus, mons operis; Demas, silens; Lucas, ipse consurgens. Quae nomina si iuxta interpretationem suam voluerimus intelligere, non est difficile: admirabilem atque beneficum praecipue ad eum scribere cui universa concessa sunt vitia, et os eius pateat ad caelestia; deinde ad continentem et liberam et longitudinem. Explicit.

ADNOTATIO.

Post illa, quae p. 108. *de his Claudii commentariis dixi, haec subiungere placet. Catena inedita Claudii in Matthaeum (de quo sum locutus Spicil. T. IV. p.* 301.*) eiusdem generis esse videtur, nempe ex cognitis patribus defloratio. Nam quod p.* 302. *in prologo nominatur inter hos* Rufinus, *mendum prisci amanuensis existimo pro* Rabano*: etenim in catena ubi scribitur littera* R, *Rabanum non Rufinum intelligendum esse comperi, collato loco illo «siquis uxorem dimiserit excepta causa fornicationis» qui totus est Rabani: quod equidem magnopere miror, quia coaevi quidem fuerunt Claudius et Rabanus, sed tamen paulo senior Claudius. Fortunati quoque nomen nonnisi ex praefatione Hieronymi ad comm. in Matth. videtur Claudius cognovisse. Denique in illa mea prologi claudiani editione p.* 303. *v.* 7, *loco* id est, *legendum est* idem*; sicuti, ut hoc etiam obiter moneam, in Spicilegii tomo V. p.*145. *v.* 12. *pro* praeteritis *scribendum est* prae ceteris.

DE CHRONICO ANTIQUISSIMO
EX PALATINIS MEMBRANIS EDUCTO.

Iamdiu videram in codice vat. palatino Chronicon latinum quoddam; neque tamen ad eius curandam editionem curas meas converteram; quia quamvis codex littera romana quadrata scriptus, ad saeculum circiter octavum referendus sit, nihilominus eius latinitas valde squalet, immo ut certe nunc in codice legitur, soloecismis innumeris et incredibili mendositate laborat. Fructus quoque historiae raro novus videtur, quia multa scripti pars in exponendis tropice evangelici textus locis versatur. Imperatorum demum praecipue catalogus intolerandis scatet erroribus. Attamen eximia codicis vetustas, quam ut dixi scripturae genus suadet; praeterea Chronici terminus in nono Iustini iunioris anno (Christi ·DLXXIV·) conclusus, quae res Chronographi aetatem ipsiusque lucubrationis tempus denotare videtur, quia ne ad totum quidem Iustini regnum extenditur, quod fuit annorum tredecim; haec, inquam, tanti apud me fuerunt, ut breve hoc Chronicon (reformatis tantum identidem dictionis gravissimis soloecismis) his voluminis mei pagellis tradendum nunc censuerim: praesertim cum rudis interdum antiquitas magis quam polita novitas placeat.

Iam sub initio quidem, et mox cap. 4, Chronographus noster contra Scotorum systemata canonesque chronicos stilum acuit; quae res mihi suspicionem ingerit, anglum hunc esse hominem vel celtam aut francigenam, qui finitimis suis, ut fit, vel proximis obloquatur. Certe Anglorum aut Francigenarum latinitas, cuiusmodi per ea tempora fuerit, videre licet in Virgilio grammatico, in faminibus hespericis, et in lexici novi prologis, quae nos scripta alibi edidimus. Num vero noster Chronographus contra Bedae de sex aetatibus mundi recentem tunc librum insurgit? Scotum ab homine francigena dici Bedam parum mirarer, quia Scotorum

appellatio latius olim in Britunnia, quam nunc, patuit. Ad rem quod attinet, Beda utique sexta mundi aetate natum Christum ait, negat tamen, pro suo systemate, tunc expletam fuisse sextam actatem; quin immo eamdem se vivente adhuc agi censet; cui noster cap. 24. *diserte ac magnopere contradicit. Sed enim molestum mihi est in his quaestiunculis tempus terere, quas opto ut melius aliquis per otium evolvat.*

Sed illud demum admirationem meam maxime commovit, quod hunc Chronographum in prioribus decem capitulis, et in imperatorum catalogo, cum nemine magis consentientem comperi, quam cum graeco Iohanne Malala (cuius ipsamet verba quandoque interpretatur et exprimit) vel certe cum auctoribus ab hoc laudatis Clemente, Theophilo, Timotheo, et Eusebio. Quid inde? Num hic latinus angligena vel francigena graecum antiocheni Malalae opus vidit? Mitto nunc controversiam inter Hodium atque Caraeum ventilatam de Malalae aetate; qua etiam omissa, parum mihi videbatur veri simile, antiochenum haud magni nominis auctorem ad oceani littora aut insulas iam tum pervasisse: etsi omnino postea pervasit; namque Malalae opus inter codices bodleianos in Anglia repertum est, unde editio quoque manavit. Nec illud ignoramus, quod medio aevo, mirabiles magis narratores, cuiusmodi est Malalas, vel novarum rerum auctores, quam severi sanique historici legi solebant. Alioqui graecos libros in Gallia certe, Carolo Calvo regnante, satis notos fuisse, demonstrant Iohannis Scoti varii labores, et graecae linguae peritia; de quo homine nos diximus in quinto classicorum AA. volumine, ubi poëmata ipsius hellenismum redolentia vel potius iactantia edidimus. Nolo igitur diutius coniecturis indulgere; etenim latini Chronographi cum graeco Malala consensum scholia nostra mox demonstrabunt.

INCIPIT AUCTORITAS OPERIS PRAESENTIS

CHRISTE FAVE VOTIS BONIS.

1. Iam tempus est ut se veritas, luculentis rationis optutibus, omnibus semet ipsam perlustret in faciem; iam prudentiori conatu, tamquam per obstrusos cavernarum rivulos, novam et integram se veritas prodat ex utero. Iam ne nos fallant multiloquio suo SCOTTORUM SCHOLARES, ipsa se nobis veritas liquidissimis labiorum promat nectareis, ut omnem a nobis amaritudinem tollat alienae doctrinae: ut antra caliginis obnubilante mendacio, sua nos veritas luce tamquam solis iubar inlustret ab alto, ut mendacium fugientes veritas amplectatur, et uti caligine tenebrosae noctis obstante luci verae causarum, clarescat omnibus laetissimus dies in vultu. Nunc igitur, si placet, ut certum sit, ipsa mundi consilia perquiramus, quo tempore, qua aetate mundi adfuerit Christus salvator in carne, cuius etiam consulatus atque imperium mundo in hoc agebatur in terris, dum e caelo Dei filius in utero Virginis velut rex insederit thalamo. Explicit prologus.

INCIPIT HISTORIA CHRONICA,

QUAM ETIAM PARI MODO EXPLANAVERUNT CLEMENS, VEL THEOPHILUS, ET TIMOTHEUS DILECTISSIMI DEI EPISCOPI CHRONOGRAPHI, ET DILECTUS DEI CHRONOGRAPHUS EUSEBIUS PAMPHILI (1).

2. Anno ·XLII· Octaviani augusti Caesaris natus est dominus et salvator noster Iesus Christus. Eusebius (2) enim ait, quia postquam transivit ·XL· et primus annus et mensis sex-

(1) Haec ipsissima graece dicuntur apud Ioh. Malalam chronogr. part. I. ed. Ven. p. 96, cuius hoc loco noster putus interpres est. Porro de auctoritatibus citatis a Malala ex Clemente, Theophilo, Timotheo atque Eusebio, legantur Hodii prolegomena n. XXII. XXIII. XXIV, quibuscum tamen conferre oportet contradictiones G. Cavaei ad de Malala.

(2) Codex habet *superius* pro *Eusebius*.

tus regni eiusdem Caesaris (1), in mense dystro (2), id est secundum Latinos martio, ·XXV. die mensis, hoc est ·VIII· kal. aprilis, qui secundum Graecos xanthicus appellatur, hora diurna secunda, initiante tertia, die dominica, missus est archangelus Gabrihel evangelizare beatae Mariae, in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, in consulatu Cyrini et Longini (3), cum esset desponsata viro cui nomen erat Ioseph, procurante quidem Syriam Vitellio, qui tunc agebat iuvenis (4), sub eodem Augusto Caesare .VIII. ergo kal. aprilis id est aequinoctio vernali, conceptus est Dominus in utero virginis. Nam et eadem die patibulum crucis ascendit, et postea in sepulchro est positus. Et alia magnalia Domini in ea die gesta sunt, id est initium hic mundus ipsa die sumpsit a Deo; et tunc transierunt filii Israhel per mare rubrum tamquam per aridam terram; et tunc expugnatus est diabolus, et de caelo proiectus est cum angelis suis; et tunc ipsa die sanctum Iacobum fratrem Domini de pinna templi deorsum proiecerunt Iudaei. Conceptus est igitur Dominus in utero Virginis ·VIII· kal. aprilis, id est ·V· et ·XX· die mensis martii, qui est ·XLI· annus imperii Augusti Caesaris, ·VIII· kalendarum ianuariarum, mense apellaeo, qui est december, in die ·XXV· mensis, hora diei ·VII·, in civitate Iudaeae, cui nomen est Bethleem, sub praeside Syriae Cyrino ex consule, consulatu vero eiusdem Octaviani Augusti et Silvani (5), toparcha autem Iudaeae Herode illo maiore, filio Archelai, sicut evangelista testatur.

3. Colliguntur ergo ab Adam usque ad Phalec filium Heber, annorum tria milia. Et a Phalec usque ad ·XL· et ·II· annum regni Augusti Caesaris, anni ·II· mille ·DCCCC· ·LXVII· Et ita colliguntur ab Adam primo homine usque ad incarnationem domini nostri Iesu Christi, et ·XLII· annum reg-

(1) Euseb. hist. eccl. I. 5.

(2) Utitur noster appellationibus mensium macedonicis.

(3) Malalas, vel historici apud eundem, p. 95. *Quinti et Longini*. Sic etiam consentiunt de procuratore Vitellio.

(4) Malalas προαχθέντος νεωστὶ, *nuper promoti*. Noster vero intellexit *iuvenis*.

(5) Hoc item aiunt historici apud Malalam p. 96.

ni Augusti Caesaris, anni ·V· mille ·DCCCC·LXVII· Et inde est conversatus cum hominibus super terram dominus noster salvator Iesus Christus circiter annos ·XXXIII· non plenos parum quid. Ut fiant ab Adam usque ad domini nostri Iesu Christi secundum carnem nativitatem, et passionem crucis, et adsumptionem eius ad caelos ad patrem, anni ·VI· mille pleni. Phalec etenim, secundum propheticam vocem Moysis, in dimidium dicitur temporis futurae incarnationis Christi intervenisse adventum. Sicut enim hominem sexta die de terra plasmavit Deus, ut Moyses magnus scriptor temporum exposuit in suis monumentis, ita hoc definivit: et erit, inquit, una dies Domini sicut mille anni. Sexta igitur die finxit hominem Deus, et cecidit sub peccatum homo. Ut hoc quoque clarius appareat, quia sicut sexta die homo in paradiso plasmatus corruit in peccatum, ita sexto aetatis mundi miliario Christus super terram manifestatus est, et salvavit hominem, per crucis signaculum ligni et resurrectionem ex mortuis reformando (1).

4. Quod etiam pari modo Clemens vel Theophilus et Timotheus, dilectissimi Dei episcopi et chronographi, explanaverunt, invicem hic consonantes. Dilectus autem Dei chronographus Eusebius Pamphili sexto quidem miliario annorum et ipse dicit apparere salvatorem Christum, secundum numerum sex dierum plasmationis Adae, prius tamen quam expleta fuissent sex milia annorum. Quia, dixit, apparuit dominus Deus Iesus Christus salvator noster ad eripiendum genus humanum; et natus, inquit, ex virgine humanatus est in quinto miliario et quingentesimo et ·II· (2) anno passus est et resurrexit dominus noster Iesus Christus, et adsumptus est in caelos anno aetatis saeculi ab Adam ·VM·D·XXXIII· In sexto autem annorum miliario concordant omnes apparuisse Dominum, quamvis SCOTTI concordare nolunt, qui sapientiam se existimant habere, et scientiam perdiderunt; vel

(1) Omnino totum hunc et partim etiam sequentem tractum ex Malala p. 96-97. vel ex citatis ab ipso historicis desumptum esse apparet.

(2) Confer Eusebii chronicon editionis nostrae romanae lib. I. cap. 18. pag. 92.

etiam unus plus, alius minus dixerunt. In sexto miliario annorum, secundum propheticam vocem, elocutiones universae consentiunt, etiam quamvis repigritent qui exposuerunt de numero annorum. In novissimis tamen temporibus apparuisse Salvatorem, sicut divina scriptura significat, omnes testati sunt. Nam et in sanctis evangeliis repperies hoc factum, dum unus tertia hora Christum dicit esse crucifixum, id est Marcus; alii vero in sexta eum asserunt ligno crucifixum: quare apud imperitos contraria sibi haec videbuntur, sed non sunt contraria verae rationi, ubi se sic puriter (1) conplectitur divina scriptura, dum tamen diligentius ruminatur et bene tractatur ab his qui non de sua sed de Dei praesumunt sapientia.

5. Igitur cum natus esset dominus Iesus in Bethleem, in ·XL· et ·II· anno regni Augusti Caesaris, sub Herode rege Iudaeorum, et sub praeside Cyrino Syriae provinciae, duobus annis agens sub ubera virginis inter homines Dei filius, venerunt a Perside magi, ducatum illis praebente stella. Tunc didicit Herodes rex (2), sive toparcha Iudaeorum, quod expeculatores venissent in Hierosolymam civitatem. Et iubens eos adduci, coepit eos interrogare. Venerant enim cognoscentes, quia mystica quadam imbuti quae eis apparuerat stella in oriente, de humanitate salvatoris nostri Iesu Christi, deferentesque ei munera tamquam vere regi magno et triumphatori, secundum quod eis sidus de caelo nuntiaverat. Qui etiam ab orientalibus adventantes interrogabant dicentes, ubi est qui natus est Iudaeorum rex? Et conturbati sunt Iudaei. Quin etiam magi cogniti conprehensi sunt, et introducti ad Herodem regem (3): et interrogavit eos, quapropter in Iudaeam advenerint exploratores? Et suggerentes magi miraculum stellae, et quia magnus rex natus est in hoc mundo, et quia dona ei cum adduxerint, advenissent sicut regi magno munera offerturi (4); dixerunt, quia quae adtulimus,

(1) Ita cod. Sed num *pariter*?

(2) Rursus noster ex Malala sumit multa in sequentibus

(3) Ex Malala ad litteram: οἵτινες μάγοι γνωσθέντες, συνεσχέθησαν καὶ εἰσηνέχθησαν τῷ Ἡρώδῃ βασιλεῖ.

(4) Sic in aliis codicibus vidi interdum *offertum*, *offerta*.

munera Deo proferimus; vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus ut eum adoremus. Herodes autem audiens haec, stupens remansit, cogitans quoniam post Augustum Caesarem, qualis est virtus huius qui natus est regis (1)?

6. Venerunt ergo magi in Hierosolymam sub consulatu Vindicii et Varii (2), anno imperii Augusti Caesaris ·XLIIII·, quia secundo et ·XL· anno eiusdem Augusti Caesaris Salvator natus est, et in ·II· anno nativitatis eius magi venerunt in Hierosolymam. Exquisivit igitur ab eis Herodes tempus sideris: et cum didicisset, dixit eis: ite, et scrutamini diligenter de puero hoc; et cum inveneritis, redientes renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Et abierunt magi, stella quae paululum ab eis abscesserat praebente iterum illis sicut prius ducatum, quam in oriente viderant. Et invenerunt Iesum et matrem eius Mariam in domo; et cadentes in pavimento terrae, adoraverunt salvatorem Christum, et optulerunt ei munera quae detulerant secum in suis thensauris, tamquam Deo et regi, aurum thus et myrrham. Et responso accepto ab angelo per somnium, per aliam viam limitis regressi sunt in suam regionem in partibus Persarum, contemnentes Herodem regem. Cumque se inlusum vidisset a magis Herodes rex, iratus est vehementer; et sciscitatus a principibus Iudaeorum ubi Christus nasceretur secundum quod propheta praedixit, mittens manum militarem, occidit omnes pueros in Bethleem civitate Iudae, et circa fines eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis, sicut divina inquit scriptura. Et continuo Herodes dum perfecisset scelus, scatens vermibus a Deo percussus animam reddidit (3).

7. Et factus est toparcha in tetrarchia Iudaeorum, sive rex, Archelaus filius ipsius Herodis, per annos ·VIII·, sub consulatu Lamii et Serviliani (4); sub quo et Salvator et virgo mater eius Maria cum Ioseph introierunt in Aegyptum, secun-

(1) Cuncta prorsus ex Malala p. 97.

(2) Apud Malalam p. 93. *Valerii*.

(3) Malalas p. 97.

(4) Malalas loc. cit. *Lamiae et Serelliani*.

dum imperium Dei per angelum apparentem Ioseph, sicut scriptum est: ecce Dominus sedet super nubem levem; véniet in Aegyptum, et comminuet omnia simulacra et sculptilia Aegyptiorum. Ad adventum enim Salvatoris sedentis super gremium virginis matris, dum ingrederetur in Aegyptum, erat illic templum idolorum, quorum in praesentia Christi omnia simulacra de suis locis atque sedilibus exilientia, confracta sunt, et in pulverem redacta, quod et beatus Epiphanius cyprius episcopus commemorat. Et cum expleti essent ·IIII· anni in Aegypto, iterum angelus apparens Ioseph, iubet ut regrediatur in iudaeam terram cum puero et matre eius. Et propter metum Archelai filii Herodis, habitavit in Nazareth civitate Galilaeae quasi subocculte. Omnia autem secundum quod ante fuerat praedictum a prophetis sanctis, sicut et in evangelio testimonia proferuntur de propheticis libris.

8. Cum iam autem fuisset puer Iesus annorum ·XII·, ascenderunt Ioseph et Maria cum puero Iesu in templum Domini in Hierusalem, ut Lucas evangelista narrat; et dehinc non amplius infert memoriam de Ioseph, quia scilicet cum esset senex et plenus dierum, iustus vir in omnibus, requievit in pace cum patribus suis. Usque ad ·XII· annos aetatis Salvatoris vixit, et deinceps quievit, sicut nobis paterna commendat auctoritas. Augustus vero Caesar ·LVI· anno regni sui, mense octobrio, qui hyperberetaeus secundum Athenienses (1) dicitur, abiit in Capitolium, quod est in medio urbis Romae, ut per divinationem addisceret quis regnaturus fuisset post ipsum in romana re publica; et dictum est ei a pythonia, quod infans hebraeus, iubente Deo e caelo beatorum descendens, in hoc domicilium statim iam veniet, ceterum genitus sine macula, alienusque ab aris nostris. Quare exiens inde Augustus Caesar a divinatione, aedificavit in Capitolio aram magnam in sublimiori loco, in qua et scripsit latinis litteris dicens: HAEC ARA FILII DEI EST. Ubi factum est, post tot annos, domicilium atque basilica beatae et semper virginis Mariae usque in praesentem diem, sicut et Timotheus chro-

(1) Immo vero secundum Macedonas.

nographus commemorat (1): Post hoc autem ipse Augustus morte sua defunctus est senex, cum esset annorum ·LXXV·

9. Post regnum vero Augusti Caesaris, sub consulatu Sexti et Sexticiani (2), regnavit Tiberius Caesar, cum esset dominus Iesus Christus inter homines, habens aetatis annos ·XV· In anno autem ·XV· regni eiusdem Tiberii Caesaris, sub consulatu Silvani et Neri (3), coepit sanctus Iohannes praecursor praedicare baptismum paenitentiae, et baptizabatur omnis Iudaea, secundum propheticam vocem. Tunc venit ad eum dominus Iesus Christus a Galilaea in Iordanem, incipiens annorum ·XXX·, id est dies ·XII· supra annos ·XX· et ·VIIII·, quia ·VIII· kal. ianuarias natus est de virgine, et ·VIII· idus ianuarias baptizatus ex aqua est, ex quo et mirabilia facere inchoavit. Et baptizatus est in Iordane flumine Palaestinae, in mense audineo, qui et ianuarius, die sexta mensis, ·VIII· iduum ianuariarum, in nocte, hora decima noctis, hoc est in diluculo, sub consulatu Rufi et Rubellionis. Ex quo et Iohannes Baptista clarus factus est hominibus; quem et decollavit Herodes in carcere, in Sebastia urbe, ·IIII. kal. septembris, sub consulatu Falconis et Rufini, propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui, eo quod inlicite duxerat eam, sicut scriptum est (4).

10. Anno igitur ·XVIII· regni Tiberii Caesaris (5), mense etiam ·VII· octavi decimi anni regni eius, factus annorum circa ·XXXIII· Iesus Christus dominus noster traditus est a Iuda Scariote discipulo suo, mense dystro, qui est martius, ·XXIIII· die mensis, id est ·VIIII· kal. aprilis, luna ·XIII· habente diem, erat autem dies ·V· feriae, hora nocturna ·VI· Et ductus est ad Caipham principem sacerdotum, et inde traditus est Pontio Pilato praesidi, prima mane. Et continuo eiusdem Pilati uxor, nomine Procla, misit ad eum dicens: nihil tibi et iusto illi; multum enim passa sum hodie per visum

(1) Timotheus apud Malalam p. 98, non meminit nisi *arae* ab Augusto erectae. Plura itaque noster apud Timotheum, quem citat, legebat.

(2) Sic apud Malalam p. 98.

(3) Malalas p. 99 *Albani et Nervae*.

(4) Haec quoque sunt apud Malalam p. 100.

(5) Rursus ex Malala p. 101.

propter eum: Et cognoscentes hoc Iudaei, seditionem concitaverunt dicentes, tolle tolle crucifige eum. Erat igitur hora ·III· quando adclamaverunt Iudaei suis vocibus crucifigentes filium Dei. Accipiens autem sententiam dominus noster Iesus Christus crucifixus est specialiter ·VIII· kal. aprilis, mense martio, ·XXV· (1) die mensis, luna ·XIIII· Erat autem ·VI· feria parasceves, hora diei ·VI·, et obscuratus est sol, et erant tenebrae per universum mundum. Anno autem ·XVIII· imperii Tiberii Caesaris haec facta sunt, ita ut fieret defectio solis maxima quam quae notae sunt contigisse prius, et fuit nox hora diei ·VI·, ita ut stellae in caelo apparerent. Salvator vero Iesus Christus tradidit spiritum hora nona. Et statim facta est nox (2) in omni terra, et terrae motus magnus, et patefacta sunt monumenta, et petrae fissae sunt, et mortui resurrexerunt, sicut in divinis evangeliis effertur veraciter; ita ut dicerent Iudaei, vere filius Dei erat iste quem crucifiximus. Et sepultus est Iesus Christus hora decima in ipsa parasceves die, sub consulatu Sulpicii et Solatii (3), procurante Syriam Cassio praeside.

11. Surrexit autem dominus noster et Deus Iesus Christus mense dystro, qui est martius, vicesima septima (4) die mensis, id est sexta kal. aprilis, hora nocturna ·X· circa diluculum, luscescente die dominica, in ipso mense martio, ·VII· et ·XX· die mensis, luna ·XVI· Unde et primo quidem apparuit prima mane Mariae Magdalenae, et deinde suis discipulis apostolis, et aliis sanctis quam plurimis: et commoratus est cum eis per dies ·XL· super terram postquam resurrexit a mortuis. Et adsumptus est in caelos dominus noster et Deus Iesus Christus mense artemisio, qui est maius, ·V· die mensis, id est ·III· nonas maias, die ·V· fer., hora ·II·, sanctis apostolis videntibus, et alia turba discipulorum, quomodo assumptus est a nubibus; sanctis angelis dicentibus: quid

(1) Malalas XXIV.

(2) Cod. mendose *lux*.

(3) Σύλλα habet Malalas p. 101; noster *Solatii*; uterque mendose pro *Syllae*.

(4) Malalas *vicesima quinta*.

aspicitis in caelum, viri galilaei? hic Iesus qui assumptus est a vobis, sic iterum veniet, quemadmodum eum videtis euntem in caelum. Descendit autem secundum Domini pollicitationem sanctus et vivificator spiritus super apostolos mense artemisio, qui est malus, ·XV· (1) die mensis, die dominica, hora ·III·, agente praesidatum in Iudaea eodem Pontio Pilato, qui adsignatus fuerat principari genti Iudaeorum ab ipso Tiberio Caesare qui dissolvit regnum Iudaeorum, et constituit eis principem praeesse qualemcumque voluisset, sub pontificatu sacerdotum Iudaeorum Annae et Caiphae. (2)

12. Hoc namque loco licet inspicere, quicquid pertulerit Christus salus et redemptio nostra, omnia gesta esse in homine pleno cum Deo. Nam quod Christus per angelum virgini nuntiatur, ad evacuandum consilium serpentis ad Evam in paradiso. Quod autem de virgine natus est, propter protoplastum Adam, quam de virgine terra et inpolluta ad suam fecit imaginem; qui cum suadente diabolo mortis incurrisset exitium, a solo domino Christo rerum reparatore, et conditore eius corporis et animae, per immortalitatem Christi, restauraretur domicilium. Quod autem decimi mensis limitem tetigisset in virginis utero, id est dies ·VI· super mense nono perficiens, quod nullus ex filiis hominum tangit metrum nascendo per semen, nisi solus Christus verus filius Dei et hominis sine semine natus ex virgine; ita ut fiant dies in una collectione constricti ·CC·LXXVI· qui fiunt allegorice vel per typicam quaestionem; quod ipse affatus in evangelio ait: solvite templum hoc, et ego in tribus diebus suscitabo illud. Sed Iudaei ignorantes capitulum rationis, protulerunt testimonium veritatis, et ita Domino respondentes aiunt: ·XL· et ·VI· annos aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus suscitabis illud? Ille autem, inquit evangelista, dicebat de templo corporis sui, cuius dispensationem adprehendere nequiverunt Iudaei, ideoque numerum annorum aedificationis templi, quod veri templi formam gerebat, Domino protulerunt: quem numerum non sub Salomone conditore eiusdem tem-

(1) Malalas XIV.

(2) Hactenus noster Chronographus plerumque Malalam sequutus est.

pli, sed sub Zorobabel, qui et Esdras, restauratore contigisse perlegitur; eo quod gentes, quae in circuitu erant, opus praepedibant. Nam Salomon annis ·VII· complevit opus aedificii templi Domini.

13. Etenim Iesus noster pacificus Salomon aedificavit sibi per sapientiam in virgine sacratissima sui corporis templum per hunc numerum sanctum, id est per novem menses et dies sex. Quia omnis nativitas masculi, decimi mensis tangit initia, et sic prodit ad huius vitae patentia. Nam hoc ordine secundum auctoritatem maiorum nostrorum atque priorum dicitur aut legitur generis humani conceptio, quod per sex dies lactis similitudinem habens iacet semen in vulva; dehinc convertitur in sanguinem usque ad dies ·VIIII; deinde augetur usque ad ·XII; et dehinc adduntur ·X· et ·VIII; qui mox coagulatur et tendit ad liniamenta membrorum. ·VI· et ·VIIII· ·XII· et ·XVIII· fiunt simul ·XLV; addes unum, et fiunt ·XLVI· Et inde ducis per partes, id est sexies quadrageni ·CC·XL· Et iterum idem per sextam sex seui ·XXXVI· tricies sexies, qui in una summa fiunt ·CC·LXXVI· Et ideo in Domino solo una cadit dies super ·XLV· propter singularem eius incarnationem de virgine, sine corruptione sive gluttinatione seminis. Eo quod secundum typum historiabilis templi, ·XL· et ·VI· annis aedificati, ita Christus corpus humanitatis suae, per hunc gradum restaurans parietem iu semetipso, quem in Adam suis fraudulentiis diabolus callidus serpens ruinaverat, illius salutare aedificium restauraret; et passus, post tertium diem numquam moriturus erigeret; et sic omnem hominem a subiectione diaboli liberaret. Nam ·XL· et ·VI· significant sextam quam mundus agebat aetatem, dum reparator suae fabricae adveniret, et perfectam paenitentiam per numerum perfectionis quadragesimae ieiunium paenitentibus demonstraret. Unde et ipse Salvator temptatus a diabolo velut homo, victor extitit. Ut Deus ergo per quadragesimum et sextum numerum tertiumque duplicatum, omnem humani generis massam in unam fidei fermentando coagulavit consparsionem.

14. Quod autem ex femineo editus ventre, positus in prae-

sepio, pannis est obvolutus, propter illum versiculum, quo David iure iurando Deus promiserat dicens: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Praesepium totus mundus adseritur, in quo suis iumentis rationabilibus pabulum subministrat Dominus maiestatis. Pannis vero advolvitur, nostras miserias patiendo, in quibus adhibens nobis emplastra, nostris vulneribus exhibuit medicinam. Quod autem in Bethleem Iudae civitate David nascere * voluit Christus, propter illud quod ante iam pronuntiatum fuerat Iacob fugienti, dum soporatus scalam ibi ad caelum usque conspiceret, et angelos Dei ascendentes et descendentes vidisset, et Deum in summo incubuisse aspiceret, dixit: hic est, vere domus Dei est, et porta caeli; unde appellatur Bethel. Et lapidem, quem ad caput sibi Iacob posuerat, in similitudinem illius lapidis angularis (erexit in titulum) cui iunctos duos parietes e diverso venientes in semetipso copulavit; scilicet populorum conexionem Iudaeorum atque gentilium, pacem in utrisque perficiens. Quod vero admirabiliter a pastoribus vel vigilibus invenitur, sive quod in cunabulis adoratur, typus gerebatur optimorum pastorum, quos Christus paterfamilias constituens super famulos et famulas, ut iuste tritici mensuram distribuant, sollicite diligenterque mandavit. Vel illius, cui ter ait iniungens, pasce oves meas, ne luporum impetu perturbatae pascua perdant, id est placita mea.

* ita cod.

15. Quod autem a magis, primis omnium gentium velut nationum primitiis adoratur, omnium creatorem et dominatorem significant esse venturum, et a gentibus creditum iri, atque in munerum oblatione Deum et regem; sed et ad victimae sepulturam myrrha dicitur distributa, ut per trinam speciem munerum, id est per aurum regi, thus Deo, myrrham morituro, tamquam una deitas patris et filii ac spiritus sancti, sancta et individua Trinitas adoraretur in Christo, crederetur in mundo, praedicaretur in gentibus. Quod stella ducatum magis praebuerit, propter illud quod legitur: orietur stella, inquit, de Iacob, et ascendet homo in Israhel, et confringet omnes duces alienigenarum. Et illud: omnes a Saba venient, ferentes aurum, thus, et myrrham, salutare

Domini nuntiantes. Quod autem persecutus ab Herode perfido rege cruentoque, ut adimpleretur scriptura quae dicit: vox in excelso, hoc est in Rama, audita est, ploratus et luctus magnus; Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quoniam non sunt. Inlusus namque a magis saevit Herodes adversus Christum, et quasi posset inter ceteros unum iugulare, quem sibi succedere miser timebat, milia parvulorum in persona unius infantis impius et crudelis mactavit. Sed ab angelo sancto monitus per visum Ioseph tulit puerum cum matre eius in Aegyptum; et Herodes contra suum iudicium sine causa parvorum innocentum crimine pressus, infantum pernecavit exercitum.

16. Quod autem circumcisionem Christus in carne pertulerit, propter illud quod apostolus ait: Christum enim, inquit, ministrum circumcisionis fuisse credendum est. Et illud de exodo: cum proficisceretur Moyses imperante Domino ad Aegyptum, et secum comitaretur coniux cum liberis, occurrit ei angelus, interficere illum volens. Ad quod attonita Sephora, accipiens lapidem circumcidit puerum; et propter sanguinem circumcisionis pueri, pepercit angelus ne interficeret. Unde circumcisione Christi omnis legis ira cessavit, et sanguis eius pondera dura tulit; eo quod finis legis Christus, qui maledictum vetustatis absolvit, et a servitutis iugo nos liberavit. Quod autem adcrevisse dicitur sapientia quoque coram Deo et hominibus, summam atque perfectam hominis plenitudinem gessit in aevo; ita ut incipiens annorum ·XXX· baptismum voluntarius a Iohanne peteret in Iordane; propter illud quod ait apostolus: donec omnes, inquit, occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

17. Nam et primum hominem Deus aetate perfectum, nec non et intellectu atque ratione praeditum, ut suae scilicet voluntatis rector esset arbitrii, de terra finxit incolumem iuvenem, et eius coniugem plenis nubilem annis, pectore virginem, decoram in omni membro, iamque maturam, ita pulchrum oculis visum, eduxit ex latere dormientis. Quia non parvulorum motibus aut teneritate mentium puerorum in cor-

pore parvo quatentium, atque pedum, manuum, linguarum, sermonum et actuum praepeditos; sed aetate, ratione, soliditate membrorum atque sapientia plenos, primo Deus ex luto terrae fecisse credendus est, ut ex illorum materia soboles crearetur: tamquam ex arbore rami vel fructus primum quidem tenues, postea iam paulatim maturi vel firmi videntur proficere. Ita namque omnis natura firma et solida quicquid protulerit ostendit, reparante auctore Deo dum generat. Et sic quippe credendum est, quia homo in primordio factus a Domino, aetate legitimus, et mente plenus, et capax rationis; in qua victoriam caperet, si mortis imperasset auctori. Ideo namque poenam mortis incurrit, quia non sub parvuli motu et infirmo sensu; sed plenus ratione homo in paradiso deliquit; quia scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi imputatum. Renovatur autem per gratiam creatoris, qui non solum parvulos coronavit dum natus est, verum etiam diabolum compescuit cum passus est, donando nobis quod ipse gessit in carne: ut resurrectionis similiter Christi, omnis anima ·XXX· surgat annorum aetate in hac ipsa, quam gessit vivens in corpore, carne; ut recipiat unusquisque iuxta quod egit in corpore sive bonum sive malum.

18. Quod autem baptismum a Iohanne Christus libenter acceperit; ut tu non dedigneris a conservo suscipere. Non debitor sed dominus, sine peccato sumere voluit a servo; ut inter ipsa fluenta Iordanis super unum mediatorem Dei et et hominum sanctae Trinitatis declararetur auctoritas; dum Deus pater in voce, filius in homine, spiritus sanctus in columbae specie demonstrantur, una divinitas constans et indivisa deitas atque maiestas. Quod autem ab spiritu expulsus est in desertum, id est caro factus homo, quam sumpserat propter veterem Adam, quem intra delicias paradisi diabolus vicerat, hic in deserto cum inimico confligere cupiens, ut per ieiunii munus de illo victoriam capiens, omnibus suis fidelibus traderet conculcandum. De qua victoria ante propheta Zacharias cecinit dicens: vidi, inquit, Iesum sacerdotem magnum, et stabat a dextris eius diabolus, id est ex parte iustitiae, concinnans dolos. Et dixit ad eum: increpet

tibi Dominus, diabole, qui redimit Israhel, et elegit Hierusalem. Nobis ergo vicit qui solus victoriam de diabolo capere potuit. Quod autem discipulos ex piscatoribus facit, ut non ex sanguinis nobilitate plaudentium sed ex pauperum grege humiliter sentientium primas institueret ·XII· ecclesiae columnas, tamquam ex Iacob ·XII· congregationis illius patriarchas; nam unaquaeque tribus Israhel singulos apostolos in novo testamento, quasi ·XII· lapides vivos ex Iordanis alveo reddiderunt; et sic totum mundum, tamquam menses totius anni, solem in se iustitiae continentes perlustraverunt; et animas fluctibus exilii vagas, lucidis Dei praeceptis, tamquam in lina, manibus ecclesiae medio concluserunt. Sic enim ait: venite post me et faciam vos piscatores fieri hominum.

19. Quod autem infirmitates atque aegrotationes nostras, sicut reor praedixerat Esaias, libenter portaverit, sic per omnia currens, quemadmodum gigans per viam; oportet inspicere quomodo in se consecrando ecclesiam, gradus eius singulos commendaverit, id est per septem gradus officii mancipandam altario sanciverit; qui sunt ostiarius, fossarius (1), lector, subdiaconus, diaconus, presbyter, et episcopus. Hos septem gradus implevit Christus in carne. Nam ostiarius fuit, quando ostium arcae aperuit, et iterum clausit. Fossarius fuit quando Lazarum de monumento, quarto die iam foetidum evocavit. Lector fuit quando librum Esaiae prophetae in medio synagogae in aures plebi aperuit, legit, et cum replicuisset, ministro tradidit. Subdiaconus fuit quando aquam

(1) Locus valde notabilis ob aestimandam huius Chronici antiquitatem. Etenim auctor vetus epistolae de ordinibus ecclesiae (S. Hieron. opp. T. ult. p. 115.) *primus*, inquit, *in clericis fossariorum ordo est*, quem noster tamen ponit secundum. Animadvertit autem Aringius Rom. subt. T. I. p. 60. *fossarios* hos ecclesiae ministros, dici κοπῶντας a S. Ignatio epist. ad Antioch., et κοπιατὰ; a S. Epiphanio in exp. fid. Boldettus in coemeteriis lib. I. 15. de his christianis fossariis seu fossoribus docte disserit, exhibetque imaginem in cryptis sacris repertam cum inscriptione DIOGENES . FOSSOR . IN PACE . DEPOSITUS etc. Porro de varietate ac multitudine minorum ordinum apud varias ecclesias, legere proderit quae scribit in dissertatione de rebus eccl. copt. Iosephus Assemanus apud nos Script. vel T. V. part. 2. pag. 187.

in pelvim misit, et humiliter sua sponte pedes discipulorum lavit. Diaconus fuit quando calicem benedixit, et apostolis suis ad bibendum porrexit. Presbyter fuit quando panem benedixit, et eis similiter tradidit. Episcopus fuit quando in templo populos, sicut potestatem habens, regnum Dei docebat. Et haec quidem etiam sanctus Ephraem commemorat similiter.

20. Nam quod a proprio discipulo ·XXX· argenteis venumdatur Iudaeis, ante praesignatum est in Ioseph a suis fratribus Ismahelitis distracto. Quod autem ligatus a ministris Hebraeorum describitur, ut eos qui diabolo compediti tenebantur absolveret, et nexus peccatorum confringeret. Et quod palmis in faciem verberatur, nobis veram libertatem donavit. Et quod colaphis capite caeditur, nostrum est sanitati redditum caput. Et quod inmundis sputaminibus perlinitur, a nostra facie abstersit obprobrium. Et quod dorso flagellis verberatur, a nobis plagas mortis et diaboli flagella dimovit. Et quod ante tribunal Pontii Pilati adstat, a nobis terrorem atque formidinem iudicum et principum huius mundi abstulit. Et quod multos testes falsos pertulit, sanctorum suorum contra impios testimonium confirmavit. Quod autem inter iniquos deputatus est, ut filios adoptivos per fidem, angelorum participes demonstraret. Quod vero unum susceperit, alterum reprobaverit, ut quantum intersit inter humilitatem et superbiam, et quantum desperatio ab spe salutis, vel a malitia distet clementia, demonstraret. Et quod clavis configitur, ut aculeum mortis, qui nobis fuerat permolestus, significaret esse destructum. Quod vero vestes eius in sortem ceciderint, ut sors sanctorum firmaretur in caelo.

21. Et quod etiam propria potestate, morte sua habuit expletionem dicens, consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum; propter illud, potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; eo quod sacrificium voluntarium se ipsum optulit patri pro nobis. Quodque unus idemque inter mortuos liber, ut nostra mortificatio illius immortalitate vivificaretur. Quod autem ceterorum crura confracta, eiusque minime sunt comminuta, propter illud

ante praedictum, ossum * non comminuetis ex eo. Ipse namque est agnus paschalis populoque mactandus; et ab Aegypto suo sancto cruore ad terram promissionis per medium mare proprio sanguine purpuratum, patres cum liberis reducens, postquam Pharaone percusso, cum suis eum satellitibus inter fluctus alto pelago demersit. Quod autem de cruce deponitur et in sepulcro ponitur, ut sanctorum omnium sepulturam sanciret, et timorem mortis auferret. Quod vero in inferiora terrae descendit, et a caelesti sede de sinu patris non recessit, ut suos de carceris vinculo educeret, et diaboli potestatem destrueret, mortisque imperium contereret, et inferni potentiam aboleret, et suum regnum non solum iustis sed etiam latroni donaret. Quod autem a mortuis post triduum resurrexit, et mortuis vitam dedit, et primitias resurrectionis ostendit, et omnium fidelium corda ad resurrectionem futuram firmavit. Quod autem quadraginta dierum spatio cum discipulis suis post suam resurrectionem commoratus est, ut infidelium corda domaret, et suae ecclesiae munera legis quadruplo conferret.

* ita cod.

22. Quod vero ascendisse ipsum quadragesimo die perscribitur in caelum, ut cui dictum est, terra es et in terram ibis, ipsi post, de diabolo capta in Christo victoria, diceretur: sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Duxit ergo ascendens Christus captivam captivitatem, et sic secundum suam promissionem die pentecostes dedit dona hominibus. Ascendit Christus ad patrem, et descendit Spiritus sanctus ad plebem. Qui descendit, ipse etiam ascendit super caelos, ut adimpleret omnia. Quod vero descendit Paracletus ad apostolos, in ipso confirmantur universa in caelo et in terra. Nam Spiritu sancto largiuntur dona cunctis fidelibus, ut ait apostolus dicens: alii quidem datur sermo sapientiae secundum eundem spiritnm, alii vero sermo scientiae, alii gratia curationum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum in eundem spiritum, et cetera. Haec autem omnia dona operatur Deus et Christus in eodem sancto Spiritu, qui est plenitudo unius deitatis atque substantiae; quia tres personas et tres subsistentias unam cognosci-

quia, sicut in apocalypsi intimatur, in septima tuba, seu in septima phiala irae Dei, complebuntur sermones Dei. Sed ut ne quis hoc putet quod ·VII· miliarium annorum expleturus sit mundus frequentia sna, nullo modo repperiet istud ante praedictum, eo quod sabbati die requiem habebit hic orbis; sed hora et dies incerta angelis et hominibus a Domino perhibetur. Ait enim: de die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque filius, nisi pater solus. Et ne quis carnaliter arbitrans putet, aliquid scire patrem quod nesciat filius, et in haeresim involutus incidat; sed magis hoc significare voluit Dominus, quia filius in patre manens, cum eo universa cognoscit; quicquid enim operatur pater, unum est cum filio et Spiritu sancto, sine quibus non operatur. Et quicquid operatur Spiritus sanctus, unum est cum patre et filio, sine quibus non operatur. Ergo et quicquid scit pater, simul et filius et Spiritus sanctus cum eo pariter cuncta cognoscunt. Quia scilicet pater et filius et Spiritus sanctus una atque inseparabilis deitas in semet ipsa ineffabiliter constans omnia novit et cuncta cognoscit. Dum vero septima iam dies ad requiem properat, mundus iste hoc est elementa ipsa quiescant a servitute necesse est, ut in suis sanctis Dominus requiescat, et ipsi in eo perpetuo ab omni fluctuatione quiescant. Et tunc vere sabbatizabunt iusti cum Domino, et dies prima fiet octava in resurrectione sanctorum, quando area ventilata fuerit, et a palea discretum erit frumentum, quando non latebit quod nunc latet. Nam quid, rogo, cernitur mundus, dum vilis apparet? Totum ergo super ·M·VI· annorum (1) agit nunc perfectionem suam in numero evangelium, nt in eis qui futuri sunt ad salutem sit, in quantum concesserit ipsa divinitas, cui soli cognitum, quantum nobis expedire queat.

25. Igitur incipiamus ipsorum Caesarum vel Imperatorum annos quos regnaverunt.

Liceat ab adventu Salvatoris in carne exponere secundum chronicam executionem.

(1) Id est. *ultra sextum miliarium annorum.*

Commodus regnavit annos ·XXII· (1) menses ·VIII·
Pertinax regnavit annum ·I· menses ·II· dies ·XVIII·
Didius Iulianus, qui et Salvius, regnavit menses ·VII·
Severus Septimius afrus * regnavit annos ·XVII· et menses ·VIIII· et semis. * ita cod.
Antoninus Getas regnavit annum ·I·
Antoninus Caracallus filius Severi regnavit annos ·VI. et dies ·XXII·
Valerianus regnavit annos ·VI· (2)
Macrinus Gallus * regnavit annum ·I· et menses ·VII· * ita cod.
Antoninus alius regnavit annos ·IIII· et menses ·II·
Alexandrus * Mammaeae regnavit annos ·VIII· et menses ·IIII· (3) * ita cod.
Maximus (4) regnavit annos ·III· menses ·X·
Balbinus regnavit annum ·I· et menses ·III·
Pupienus regnavit menses ·III· et semis.
Gordianus regnavit dies ·XXII·
Alius Gordianus regnavit annos ·XX· (5) * * ita cod.
Tertius Gordianus regnavit annos ·VI·
Marcus regnavit annos ·VI· (6)
Philippus regnavit annos ·VI· et semis.
Valerianus regnavit annos ·II· et dimidium.
Gallus parvissimus regnavit menses ·V·
Decius regnavit annum ·I· et menses ·VIII·
Aemilianus regnavit menses ·IIII·
Valerianus regnavit annos ·VI·
Gallienus, qui et Licinius, regnavit annos ·XIIII·
Claudius, qui et Pullianus, (7) regnavit annos ·VIIII·
Quintilianus regnavit dies ·X· et ·VII·
Aurelianus regnavit annos ·VI·
Tacitus regnavit menses ·VII·

(1) Sic et Malalas, quem iam castigavit Chilmeadus, suadens XII. pro XXII.

(2) Crassissimus error, in quem ipsum labitur Malalas p. 126.

(3) Immo an. XIV.

(4) Id est Maximinus.

(5) Somnium est.

(6) Hic quoque Marcus confingitur.

(7) Malalas Ἀπολλιανός.

Florianus regnavit menses ·II·
Aelius Probus regnavit annos ·III· et menses ·III·
Carus regnavit annos ·II·
Numerianus regnavit annos ·II·
Carinus regnavit annos ·II·
Licinianus (1) regnavit annos ·VII· * (* ita cod.)
Diocletianus et Maximianus regnaverunt annos ·XVIIII·
Constantinus maior regnavit annos .XXXII·
Constantius regnavit annum ·I· (2)
Iulianus transgressor regnavit annos ·VII· (3)
Iovianus regnavit menses ·VII· et semis.
Valentinianus regnavit annos ·XVII·
Valens regnavit annos ·XIII· (4)
Gratianus regnavit annos ·VII· et menses ·X·
Theodosius maior regnavit annos ·XVII·
Arcadius regnavit annos ·XXIII·
Honorius regnavit annos ·XXXI·
Theodosius minor regnavit annos ·XLVIII·
Marcianus regnavit annos ·VI· et menses ·V·
Leo maior regnavit annos ·XVI· et menses ·XI·
Leo iunior regnavit annum ·I· et dies ·XXII·
Zeno regnavit annos ·XV· et menses ·II·
Anastasius regnavit annos ·XXVII· et menses ·VIIII· et dies ·VIIII·
Iustinus regnavit annos ·VIIII· et dies ·XXII·
Iustinianus regnavit annos ·XXXVIIII· et dimidium.
Iustinus regnavit annos ·VIIII·

EXPLICIT CHRONICA. DEO GRATIAS. AMEN. (5)

(1) Intelligatur Licinius.
(2) Hoc quoque portentum est.
(3) Corrige II, ut est apud Malalam
(4) Sic etiam Malalas.
(5) Haec est chronici clausula, ne forte aliquis mutilum in codice opus existimet. Cessat ergo in Iustini Iunioris anno nono, quem tredecim regnasse scimus. Ergo noster Chronographus Iustino adhuc imperante scriptum suum absolvebat.

ONUPHRII PANVINII VERONENSIS

FRATRIS EREMITAE AUGUSTINIANI

DE ECCLESIIS CHRISTIANORUM

LIBER UNICUS.

CAP. I.

De significatione et origine vocabuli ecclesiae.

Apud omnes ubique terrarum gentes, quae varias etiam religiones sive Dei cultus professae sunt, loca quaedam publica fuisse constat, in quibus sacra tractarentur. Nulla enim gens adeo humanitatis expers fuit, quae non aliquam Dei religionem venerata sit. Hinc apud gentiles, Graecos scilicet Romanos et barbaros, templorum, sacrarum aedium, fanorum, et delubrorum; apud Iudaeos celeberrimi illius hierosolymitani templi, et synagogarum; apud Arabes seu Saracenos mesquitarum frequens mentio extat. Quapropter vetustissimus in christiana etiam pietate et disciplina, ac ab ipsis quoque apostolorum temporibus usurpari coeptus mos fuit (1) ut christiani homines quocumque orbis terrarum loco essent, ad res sacras quae ad Christi fidem pertinebant tractandas, et divina mysteria celebranda, in unum certum locum convenire solerent.

Coetus autem illos publicos plurium fidelium in unum congregatorum, ecclesias voce graeca, id est congregationes, appellabant. Iohannes epist. III. eiicit eos (inquit) ex ecclesia, seu congregatione. Et Paulus 1. ad Corinth. xv. sicut ubique in omni ecclesia doceo. Et rursus: mulieres vestrae in ecclesiis taceant. Idem ad Hebraeos cap. X. episynagogam (2) Ia-

(1) Act. Apost. capp. I. II. V. XIII. XIX. XX. item 1. Corinth. V. XI. XIV. 1. Timoth. II.

(2) Respicit ad editionem graecam Panvinius.

eobus vero synagogam has congregationes vocant. Conventus autem hos sacros celebratos sic denotare solebant apostoli (1): convenire ad audiendum sermonem Dei, convenire ad frangendum panem, convenire in unum. Oportuit autem veteres christianos in locis et aedificiis certis convenire, sed ea priscis ecclesiae temporibus non ubique fuerunt eiusdem generis. Nam tum in templo Salomonis Hierosolymis (2) tum in synagogis publicis Iudaeorum (3), tum in scholis (4), tum in privatis diversorum fidelium aedibus (5), prout christianis commodum initio fuit, publicos conventus, ut ex actis apostolorum constat, egerunt.

Ceterum crescente religione christiana, eaque per universum fere orbem terrarum sese diffundente, tum Romae, tum per omnes provincias, aedificia aliquot publica, tenuia et exilia primum, deinde pace ecclesiis a Constantino Imperatore, sublatis impiis persecutionum edictis, data, magnifica et variis ornamentis referta exstructa sunt; quae a congregationibus quas in illis publice christiani frequentabant, ecclesiae vocatae sunt (6), quum res continens appellationem a re contenta suscepisset. Dicebantur etiam dominica sive basilicae et templa (7) iudaico et gentili more, quod ad templorum et basilicarum gentilium similitudinem aedificata essent. Vocabantur item domus Dei (8), domus orationis, oratoria (9), et martyria, quod in his et Deus a fidelibus deprecaretur, et martyrum memoria sacrosancte coleretur. Romae quoque, praeter supradicta nomina, tituli, paroeciae, et diaconiae appellabantur (10), ut infra dicam. Haec aedificia per singulas urbes

(1) Act. Apost. II. XIII. XX. Item 1. Corint. XI.

(2) Act. III. V. et XXI

(3) Act. IX. XIII. XVII. XIIX. Item 1. Corinth. XVII.

(4) Act. cap. XIX.

(5) Act. I. II. IV. V. X. XX. XXIIX.

(6) Euseb. hist. eccl. lib. VII. cap. XV.

(7) Eusebius, Rufinus, Nicephorus, Nazianzenus, Ambrosius, et Bibliothecarius.

(8) Euseb. lib. VII. cap. XXX.

(9) Sozom. lib. V. cap. IX. Il. Socr. lib. V. cap. VII.

(10) Damasus, et Bibliothecarius.

plura aut pauciora (1), tam intus quam extra moenia, secundum loci qualitatem magnifica vel parva erant.

CAP. II.

De ecclesiarum titulis et dedicatione.

Ecclesiae porro sive basilicae nomina, quibus inter se distinguerentur, vel appellarentur, interdum a Deo, vel Christo, interdum ab apostolis, et martyribus, interdum ab his qui eas exstruxerunt, interdum ab aliis eventibus accepere. Romae (2) et Hierosolymis (3) basilicae sive templa Salvatoris erant, quae regiis impensis plurimis Constantinus imperator post Christi fidem susceptam aedificavit (4). Hierosolymis vero unum theophaniae dictum, aliud assumptionis. Sed et duas basilicas Helena imperatoris mater construxit, alteram in Bethleem in memoriam partus beatissimae Virginis deiparae, alteram in memoriam ascensionis dominicae. Romae exstructum fuit templum sanctae Cruci (5); Constantinopoli vero sanctae sapientiae et pacis, alias sophiae et irenes (6). Romae (7) item fuere a Constantino permagnifica exstructa templa apostolorum Petri et Pauli, martyrum Laurentii, Agnetis, Marcellini et Petri. Constantinopoli (8) quoque apostolorum. Edessae (9) fuit templum S. Thomae apostoli. Alexandriae fuere templa (10) sanctorum Dionysii et Thomae dicta. Constantinopoli etiam (11) Pauli ap. et Acacii martyris, et magnificum illud et celebre oratorium Anastasiae fuisse referunt Socrates (12) et Sozo-

(1) Sozom. lib. V. cap. IX. Basil. ep. XXXIII. Niceph. lib. VII. cap. II.
(2) Damasus in Silvestro.
(3) Euseb. lib. III. de vita Constantini. Athanas. apol. II.
(4) Euseb. lib. III. de vita Constantini.
(5) Damasus in Silvestro.
(6) Sozom. lib. IV. cap. XXVI. Niceph. lib. VII. cap. XLIX.
(7) Damasus cit. et Prudentius in passione apostolorum Petri et Pauli
(8) Niceph. lib. VII. cap. XLIX.
(9) Rufinus hist. lib. II. cap. V.
(10) Sozom. lib. III. cap. VI. Niceph. lib. IX. cap. VII.
(11) Sozom. lib. IV. cap. XXI. et Niceph. loc. cit.
(12) Lib. V. cap. VII

menus (1). Extra eandem urbem (2) magnus Theodosius imperator templum condidit in honorem S. Iohannis Baptistae. Romae (3) fuere templa Equitii, Pammachii, Damasi, Liberii, Iulii, Eudoxiae, Vestinae, Fasciolae, et similium, quae ab his qui ea exstruxerunt nomina adepta sunt. Hierosolymis (4) demum templum, quod Constantinus in Calvariae loco aedificavit, magnum martyrium dicebatur.

Haec vero templa sollemni ritu dedicari vel consecrari solere postea quam exstructa essent, non ante Constantini tempora legitur, quum persecutionum immanitate necdum ea aedificari christianis liceret. Primus porro S. Silvester papa consecrationis sive dedicationis altarium et basilicarum, seu ecclesiarum, ritum instituit, quem nunc etiam sancta romana ecclesia tenet et observat; quando idem venerabilis papa basilicam S. Salvatoris, quae constantiniana nuncupatur, Romae in aedibus Lateranorum, a quibus et lateranensis dicta est, sollemniter nuncupavit et dedicavit; quam Constantinus pius imperator de recenti ad Christi fidem conversus, post Maxentii tyranni necem, primam toto orbe terrarum Christi salvatoris nomine publice exstruxerat, multisque ornamentis aureis et argenteis decoratam, magnis proventibus et redditibus dotaverat. Qui pontifex iisdem ritibus et caerimoniis ab eodem imperatore exstructas basilicas Romae SS. apostolorum Petri et Pauli, S. Crucis, S. Laurentii, et aliorum martyrum consecravit. Romanae vero ecclesiae tamquam omnium matricis, ceterae ecclesiae exemplum secutae, suas et ipsae basilicas magnifice exstructas sollemnibus quibusdam caerimoniis et quidem festivis benedicere coeperunt. Nam Athanasius in libro de passione imaginis Domini scribit Iudaeos Beryti conversos synagogam maximam Christo salvatori per antistitem eius loci consecrari curavisse: atque ex eo tempore morem hunc per diversas orbis terrae nationes et provincias primum exortum esse, ut basilicas plurimas christianae religionis pontifices in honorem Sal-

(1) Lib. VII. cap. V.
(2) Sozom. lib. VII. cap. XXI.
(3) Damasus, et Bibliothecarius.
(4) Sozom. lib. II. cap. XXVI.

vatoris mundi condiderint, et dedicarint. Quibus vero caerimoniis Constantinus templum Salvatoris Hierosolymis circa ·XXX· sui imperii annum in Calvariae loco exstructum consecrari curaverit, commemorat Eusebius de vit. Const. Athanasius in apologia II. et Sozomenus (1). Nam imperator patres Tyri congregatos Hierosolyma accersivit, eosque per suum legatum amica dexterae porrectione conviviisque splendidis honorifice excepit, et pauperibus nudisque pecuniam et vestes distribuit, et regalibus ornamentis templum honestavit. Episcopi vero precibus et concionibus festum illud celebrarunt. Alii divinas lectiones interpretati, arcanas contemplationes revelarunt, alii mysticis operationibus sacrorum Deum placarunt, et pro communi pace, pro ecclesia Dei, pro imperatore et eius filiis preces Deo obtulerunt (2).

Convocavit et Basilius episcopus Ancyrae ad consecrationem templi recens ab se constituti vicinorum locorum episcopos. Et Basilius de eodem ritu in enarratione psalmi ·CXIIII· templa, inquit, martyribus dedicarunt, hymnis et gratiarum actionibus, ad quas media nocte ut tum quidem usitatum erat, convenerunt. Meminit etiam templi ·XL· martyribus dedicati Caesareae in sermone de iisdem. Quem ritum etiam ab africanis ecclesiis receptum fuisse, Athanasius in apologia ad Constantium refert; qui christianos in templis nondum consecratis non convenisse clare indicat: ubi et illud refert, templa quam primum aedificata fuerint, gratiarum actionibus consecrata esse. Et Ambrosius mentionem facit de dedicatione basilicae exstructae ab episcopo Bassiano lib. I. ep. V. ad Felicem. Concilii porro nicaeni extat canon, qui iubet ecclesias semel consecratas, non debere iterum dedicari, nisi aut exustae, aut homicidio aliquo et turpitudine maculatae et pollutae fuerint, aut illi a quibus consecratae sint, fidem sanctae Trinitatis non tenuerint: quod ex parte etiamnum in ecclesia romana servatur, quae etiam haec templorum dedicandorum sollemnia, ut ex libro rituali videre licet, aquae benedictae aspersione, et aliis

(1) Lib. II. cap. XXVI.
(2) Euseb. de vit. Const. lib. IIII. cap. XLIII. et XLV.

pulcherrimis caerimoniis et comprecationibus mirum in modum exornavit et auxit.

CAP. III.

De ecclesiarum ornamentis.

In basilicis porro sive ecclesiis christianorum sublimiorem quandam fuisse sedem, et quasi cathedram vel suggestum, ex qua episcopus vel presbyteri docerent publice populum, indicat historia de cathedra sancti Iacobi apostoli Hierosolymis apud Eusebium lib. VII. cap. XIX; et inter portentosos mores Pauli samosateni episcopi antiocheni, epistola synodi antiochenae hoc enumerat, quod non contentus mediocri, ut Christi discipulus, sede, gradum sibi in ecclesia, et thronum, ad morem principum huius saeculi construxerit. Earumdem primariarum sedium in ecclesia, quibus Iulianus apostata fana exornare ad imitationem christianorum constituerat, Gregorius nazianzenus in oratione infamatrice in Iulianum, Paulus diaconus in narratione de eodem Iuliano, et Sozomenus lib. V. cap. XVI. meminerunt. Quin et Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, throni in templis, subselliorum, mensae ligneae, et tabularum mentionem facit. Eiusmodi adhuc plures in ecclesiis urbis Romae extant marmoreae cathedrae, de quibus paulo post dicam.

In basilicis christianorum etiam aras fuisse, sive altaria ad eucharistiae sacrificium et exhibitionem destinata, intelligitur ex Tertulliano in libro de poenitentia, et ex Cypriano (1). Sed et Martialis in epistola ad Burdegalenses cap. III. meminit unius arae in ecclesia ordinatae ad oblationem eucharistiae; quas aras ad occidentem, non ad orientem, versas fuisse Antiochiae Syriae, indicat Socrates lib. V. cap. XXII. Et Sozomenus lib. V. cap. IX. commemorat altare factum in oratorio exstructo extra muros a Zenone gazense episcopo. Aram istam Theodoretus lib. V. cap. XVIII. sacram appellat mensam, ad quam munera offerebantur, et cui, ut Theophilus testatur lib. I. paschali, im-

(1) Lib. I. ep. VII. IX. lib. III. ep. XIII, et epist. ad Iubaianum.

ponebatur corpus et sanguis Domini. Et Optatus milevitanus initio libri VI. contra Parmenianum : quid est altare, inquit, nisi sedes corporis et sanguinis Christi ? Ex his porro auctoribus illud elicitur, antiquitus nonnisi aram sive altare unum in unaquaque ecclesia fuisse. Ceterum processu temporis, aucta fidelium christianorum devotione et pietate, plures in singulis ecclesiis arae factae. Nam eiusmodi altarium nunc in occidentali ecclesia frequentissimus usus est, quorum unum ceteris praelatum in capite ecclesiae maius dicitur, reliqua minora. Sunt autem plura vel pauciora in unaquaque ecclesia secundum loci qualitatem variis sub titulis, ut Christi, deiparae Virginis, apostolorum, aliorumque sanctorum nominibus erecta et dedicata, et honestis proventibus dotata, in quibus sacerdotes singulis diebus sacra mysteria sanctissimae eucharistiae faciunt, et pro vivorum salute, defunctorumque requie sacrificia Deo offerunt. Sed de his alias latius.

In his locis sanctorum quoque et Christi imagines fuisse intelligitur ex Eusebio lib. VII. cap. XVIII, qui vidisse se scribit adservari a fratribus aliquibus in Asia Christi et apostolorum imagines. Crucis vero signum tam in publicis, quam in privatis locis christianorum expressum fuisse indicat Tertullianus in apologetico. Ornamentorum imaginum Sozomenus lib. VI. cap. XXI. meminit, qui effigiem mulieris haemorrhousae, et Christi salvatoris apud Caesaream Philippi a Iuliano disiectam, et a christianis in ecclesia rursus collocatam fuisse scribit. Refert Eusebius libro IIII. de vita Constantini, quod idem imperator templa Salvatoris et apostolorum nominibus magnificentissima dicarit Hierosolymis, et anathematis ex auro, argento, et lapidibus pretiosis exornarit. Idem Romae fecisse in lateranensi, et in aliis basilicis urbis, refert ex Damaso Bibliothecarius, quas et ego mox enumerabo. Optatus milevitanus lib. I. cap. XVII. (1) contra Parmenianum ornamentorum ecclesiae meminit. Imaginem Salvatoris apud Berytum Syriae Athanasius commemorat in libro de passione imaginis Domini. Prudentius postremo imagines repraesentantes martyrum pas-

(1) De ecclesiarum veterum ornamentis copiose scribit Balduinus in adn. ad hunc Optati locum E.

siones in templis collocari solitas, in carmine de passione martyris Cassiani scribit. Eadem confirmant divus Augustinus in libris de civitate Dei, et omnes quotquot deinde scripserunt veteres auctores. Quum imagines ab ecclesiis tollendas esse aliquot constantinopolitani imperatores censuissent, quorum antesignanus fuit Leo III. isaurus, ab ea re iconomachus dictus, acerrimos adversarios habuere romanos pontifices, quorum etiam opera VII universalis synodus, nicaena secunda, qua imaginum in christianorum ecclesiis usus confirmatus est, celebrata fuit sub Hadriano papa et Constantino Irenes filio imperatore. A quo deinceps tempore perpetuus earundem usus in universali ecclesia inviolatus permansit, quamquam aliquot constantinopolitanos principes contrarios habuerit.

In iisdem templis corpora et reliquiae sanctorum apostolorum, martyrum, et confessorum marmoreis arcis, vel sub iisdem altaribus, aut thecis aureis argenteisque sanctissime conservatas, intelligitur ex Rufino lib. II. cap. XXXIII. qui refert Theodosium imperatorem circuisse eum sacerdotibus et populo omnia orationum loca, et iacuisse ante martyrum et apostolorum thecas prostratum. Et Hieronymus adversus Vigilantium sanctarum reliquiarum oppugnatorem refert, sanctorum reliquias modicis vasculis inclusas, cineres vero sericis linteaminibus circumdatas, magna fidelium veneratione in ecclesiis cultas esse, et osculatas, et cereis accensis ad eorum sepulchra christianos convenire solitos. Helena pii Constantini mater quum sanctissimam crucem in qua Christus passus fuerat invenisset, eam discidisse ferunt, et partem Hierosolymis argenteis thecis inclusam reliquisse, partem Romam ad basilicam quam in eius honorem Constantinus construxerat iisdem capsis opertam transtulisse (1). Theodorus lector hist. lib. II. narrat temporibus Constantii filii Constantini magni reliquias sancti Lucae evangelistae Constantinopolim esse translatas (2), apud quas daemones rugire refert divus Hieronymus. Sepulchri Babylae episcopi antiocheni honorifice sub

(1) Idem narrat etiam Iohannes monachus in vita S. Anthemii (M) apud nos Spicil. T. IV. p. 353. E.

(2) Bibliothecarius ex Damaso.

Iuliano translati, et in ecclesia reconditi a christianis Rufinus (1), et Socrates (2) meminerunt. Meletii antiocheni episcopi, qui sub Theodosio obierat, reliquias Constantinopoli Antiochiam translatas, et iuxta thecam sancti Babylae martyris locatas, refert Sozomenus lib. VII. cap. X. Narrat idem Sozomenus lib. V. cap. IX, mulierem quandam gazensem collegisse reliquias ossium martyrum eorum, quos gazensis populus, quod templa diruissent idolorum, interfecerat, et in ollam coniectas Zenôni eorum consobrino tradidisse, quas in oratorio ab se constructo postea recondidit.

Reliquiarum sanctorum, ut ossium, vestium, catenarum, et similium frequentissima mentio est in epistolis sancti Gregorii, quas summo cum honore in romana ecclesia cultas fuisse scribit. Divus Augustinus in libris de civitate Dei reliquias sancti Stephani protomartyris commemorat, quas in ecclesia episcopatus sui, Hierosolymis transportatas, se locasse scribit. Divus Ambrosius ritum in levandis et tranferendis martyrum reliquiis vel corporibus inventis, in occidentalibus ecclesiis fuisse indicat epistola XXCV. ad sororem: primum, inquit, inventae seu studio seu casu sancti alicuius reliquiae populo monstrabantur, et cuius essent martyris significabatur. (Nam, ut in libro de coemeteriis (3) ostendam, persecutionum tempore, martyrum corpora sub terra et in cryptis passim, prout christianis commodum erat, recondebantur.) Deinde ordine componebantur, et transferebantur ad aliquod templum, ubi vigiliae sequebantur tota nocte, et habebatur concio de vita istius martyris. Fiebant et miracula: aegri enim qui vestes sanctorum saltim contigissent sanabantur, obsessi liberabantur. Romae quoque frequentissimus usus fuit post Constantini tempora transferendi martyrum reliquias et corpora e cryptis et coemeteriis, ubi obitus sui tempore sepulta fuerant, persecutionibus saevientibus, atque in magnificis ipsorum nominibus exstructis templis collocandi: ita ut hodie nullum Romae templum extet, quod non multis martyrum et aliorum

(1) Hist. lib. I. cap XXXV.

(2) Lib. III. cap. XVIII., Item apud nos in Spicil. tom. cit. p. 383. E.

(3) Extat typis impressus hic Panvinii liber. E.

sanctorum corporibus et reliquiis refertum sit. Quae omnia infra singillatim ostendam (1). Postea crescente religione in ecclesiis etiam non tantum sanctorum corpora sed omnium etiam christianorum sepeliri coepta sunt, quod nostra aetate usurpatur, quae ante in coemeteriis consecratis tantum tumulari solebant (2). Sed de hac re latius disseram, ubi de coemeteriis verba faciam.

Servatur etiam in ecclesiis, in loco tanto sacramento digno, sanctissima eucharistia in vasculis aureis et argenteis quae quotidie a fidelium multitudine ad ecclesias confluente adoratur; et quum infirmi et morti proximi ea opus habent, corpus Christi ad illos defertur: sanis etiam in ecclesia a sacerdotibus porrigitur, ubi quisque communicare desiderat, et peccatis suis sacerdoti confessis, salutarique sibi iniuncta poenitentia suscepta, sacra mysteria suscipere voluerit. In congressibus vero christianorum lucernas accensas fuisse, testatur Lucas act. ap. cap. XX. ubi ait: « Paulus protraxit sermonem » usque in mediam noctem. Erant autem lucernae multae in » caenaculo ubi eramus congregati». Post ea tempora in templis et ecclesiis candelas et lampades diu noctuque arsisse, historia de Narcisso episcopo Hierosolymorum apud Eusebium lib. VI. cap. IX. testatur; qui et in vita Constantini (3) refert eundem Imperatorem cereas candelas et lampades in locis conventuum interdum accendisse. Lychnuchos in ecclesiis commemorat Sozomenus (4) ubi de Melane episcopo Rhinocururae mentionem facit, quem inventum fuisse scribit aliquando lychnuchos ecclesiae extremum tamquam ministrum parantem, et stolam oleo sordidatam super vestimentum habentem. Meminit cereorum et Prudentius in hymno de S. Laurentio, nec non

(1) Revera legitur in cod. vat. 6781. f. 37. et seqq. ingens a Panvinio contextus reliquiarum ss. catalogus, quae sunt in urbanis ecclesiis. Multae etiam enumerantur in opere eius impresso de VII Urbis ecclesiis. De sessorianis SS. reliquiis copiose scripsit Correrius in libro Romae edito an. 1830. Sed vicit omnium hac in re sedulitatem Nicolaus Signorilis in suo opere de reliquiis sanctorum in Urbe cod. vat. 3536. E.

(2) Mos hic vetus Romae quoque aetate nostra restitutus est. E.

(3) Lib. IIII. cap. XXII.

(4) Lib. VI. cap. XXXI

divus Hieronymus contra Vigilantium. Per totas, inquit, orientales ecclesias, quando legendum est evangelium accenduntur luminaria iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum. Postea religione crescente, perpetuae in ecclesiis lampades ante sacratissimam eucharistiam, et Christi sanctorumque imagines, corpora, ac reliquias, pro singularum ecclesiarum devotione statutae sunt, frequentissimusque in omnibus mysteriis ecclesiasticis candelarum usus est factus.

Romae ex decreto Clementis apparet, in templo distincta fuisse loca ubi presbyteri et laici starent. Vetat enim laicos presbyterium ingredi dum sacerdotes missas celebrarent. Sacrarium porro templi, quod cum Bibliothecario S. Gregorius, et Bedas secretarium vocant, et nos sacristiam hodie dicimus, S. Ambrosius profitetur lib. primo officiorum cap. ultimo. De turribus campanariis, quae plerumque singulis ecclesiis sunt adiunctae, infra scribam, cum de die et hora conventuum christianorum verba faciam: his enim campanae sunt impositae, ex Sabiniani (1) papae instituto, quibus ad sacros coetus fidelium congregandos statis quibusdam per singulos dies horis sacerdotes utuntur. Fuere passim in templis, ut etiam nunc sunt et alia ornamenta, quemadmodum sacra vasa aurea et argentea, diversi generis, et ad varios usus comparata, ut calices, patenae, et fistulae ad eucharistiam, candelabra, coronae, scyphi, canthara, thuribula, arculae, pyxides; thymiateria, et similia. Item sacrae vestes, ut amictus, stolae, lineae, dalmaticae, planetae, pluvialia, mitrae, pallia aurea et serica, et eiusmodi. Item ad exornandam totam aedem aulaea, tapetia,

(1) Notitiam hanc sumit a Sigeberto Panvinius. Biographus vero a nobis editus Spicil. T. VI. p. 124. dicit tantummodo Sabinianum constituisse ut horae diei per ecclesias pulsarentur. Cetera quae ibi narrantur de Sabiniani illiberalitate poenaque ipsimet inflicta, auctorem item habent levis certe auctoritatis eundem Sigebertum, cui tamen fidem adhibuit Baronius ad an. 605, hac in re castigatus a Pagio. Idem Baronius prodigium simul illud refert de cibis in lapidem conversis, uti noster quoque biographus scripserat. Sed revera Sabiniani in fame publica liberalitatem celebrat Bibliothecarius, nec non vaticanum epitaphium, quod partim recitaverat P. Manlius; sed nunc integrum habemus ex Grutero in praeclara appendice operis dionysiani de vaticanis cryptis, auctoribus VV. Cl. Sartio et Settelio p. 126. F.

cortinae, et multa alia, de quibus paulo post singillatim mentionem faciam. Universis postremo ecclesiis redditus publici ex quibus et ipsae ruinosae reparari, et sacerdotes ac ministri in iis Deo et christianorum commodis deservientes, nutriri possent, constituti sunt primum ab imperatoribus, deinde a ceteris fidelibus. Constantinus enim imperator primus eiusmodi templa magnifica construxit, multos quoque eisdem redditus, census et vectigalia tam in pecunia quam in fundis agris et vineis tum Romae tum alibi tribuit, ut accurate infra ostendam, ubi de singulis verba faciam, quae Romae extant ecclesiis.

CAP. IIII.

De his qui ad ecclesias convenire, et quid in iis fieri soleret.

Convenire autem solitos fuisse in his publicis congressibus viros, mulieres, senes, iuvenes, et pueros, qui christiani essent, cum diaconis, presbyteris, et episcopis suis, reliquisque clericorum ordinibus, apparet ex prima ad Corinth. cap. X. et XIIII, nec non act. cap. XX, ubi Eutychius adulescens e fenestra decidit. Et beatus Paulus mulieres velatas in congressum venire ordinat 1. ad Corinth. cap. XI. et tacere iubet cap. XIIII. Indoctos etiam et incredulos in congregationem admissos esse liquet ex 1. ad Corinth. cap. XIIII. Iustinus in apologia, episcopi, presbyterorum, et diaconorum convenientium in ecclesia meminit. Eusebius lib. I. de praeparat. evang. cap. III. viros, et mulieres, seniores, pueros, servos, et liberos, nobiles, ignobiles, doctos, et indoctos convenisse ad ecclesias scribit. Basilius infantes etiam ad templa adductos esse refert sermone III. in divites avaros. In his autem coetibus publicis qui conveniebant fideles primum singuli orare solebant, postea psalmos, hymnos, laudes, litanias, et alia cantica canere, religiosa convivia et epulas celebrare: lectiones tam novi quam veteris testamenti, item sanctorum patrum scripta et martyrum passiones lectores legebant, quae episcopi et doctores interpretabantur. Hi etiam verbum Dei in concionibus prae-

dicabant. Postea ab omnibus preces publicae et gratiarum actiones fiebant. Deinde, si opus esset, sacramenta administrabant episcopi et presbyteri, ut baptismum, confirmationem, paenitentiam, caenam dominicam, ordinem, et matrimonium: novis enim nuptis benedicere solebant (1).

In his etiam eleemosynae seu oblationes fiebant, quum fidelis quisque pro facultate suarum rerum, et spontanea voluntate aliquid pecuniae in communem arcam conferrent, quae a subdiaconis collectae, in usus postea necessarios ecclesiae a diaconis distribuebantur. Immundis vexati spiritibus ab exorcistis curabantur: ab ostiariis vero, ex episcopi et presbyterorum iussu, ab his congressibus arcebantur qui quocumque nomine christianae religionis hostes esse iudicarentur, aut pietatis simulatores, vel in manifestis et magnis criminibus deprehensi. Ab acoluthis cetera ministeria ecclesiastica, ut cereorum et lampadarum accensiones, peragebantur. Ob has caussas multi clericorum ordines in ecclesia, praeter episcopum presbyteros et diaconos, instituti sunt, ut subdiaconi, ostiarii, lectores, exorcistae, et acoluthi; de quibus in epistola Cornelii papae romani ad Fabium episcopum antiochenum mentio est, apud Eusebium lib. VI. cap. XXXXIII: «ille (2) ergo evangelii vindex ignorabat in ecclesia catholica unum episcopum esse oportere, ubi tamen videbat esse presbyteros ·XLVI·, diaconos ·VII·, subdiaconos ·VII·, acoluthos ·XLII· (3), exorcistas, lectores, cum ostiariis ·LII·, viduas cum indigentibus ·MD·, quos omnes Deus alit in ecclesia sua etc.» Hi omnes ad ecclesias, ut dixi, statis quibusdam diebus et horis convenire solebant.

Horum, quae dixi, partem brevissime et eleganter refert Tertullianus in apologetico. «Coimus, inquit, in coetum et congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Haec vis Deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum et potestatibus saeculi,

(1) Confer nostrum Spicilegium in hoc volumine p. 94-95. adn.

(2) Scilicet Novatus.

(3) Ita Panvinii scriptura autographa. Sed tamen Eusebii textus editus habet *duos* tantum.

pro rerum quiete, pro mora finis. « Coimus ad divinarum litterarum commemorationem, si quid ita praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilo minus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur. Praesident probati quique seniores, honorem ipsum non pretio sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiam si quod arcae genus est, non de oneraria (1) summa, quasi redemptae religionis congregat. Modicam unusquisque stipem menstrua die vel quum velit et si modo possit apponit, nam nemo compellitur sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, aetateque domitis (2) senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt. » Haec ille. Ceterum quae supra dixi in ecclesiis fieri solita, commodum visum est singillatim hic subiicere, auctorumque loca unde ea hauserim recitare.

CAP. V.

De oratione, cantu psalmorum, et hymnorum; et religiosis conviviis.

Christianos in ecclesiis convenientes primum orare solitos fuisse, Basilius in epistola ad clericos neocaesarienses refert, ubi « ritus (inquit) omnibus ecclesiis Dei concordes sunt et consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano

(1) Mendosissimae in Tertulliani editionibus *dehonoraria*, quam lectionem frustra in adn. tuetur Rigaltius. E.

(2) Grande rursus mendum in Tertul. ed. *iamque domesticis senibus* F.

tempore domum orationis petit: inque labore et tribulatione et lacrymis indesinentibus facta ad Deum confessione, tandem de oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur: et nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes psallunt, atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem, ac meditationem corroborant, et cordibus suis attentionem; et reiectis vanis cogitationibus, mentis soliditatem suppeditant. Deinde uni ex ipsis hoc munere dato, ut quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt, atque ita psalmodiae varietate, precibusque subinde interiectis, noctem superant. Illucescente iam die pariter omnes veluti ore uno ac corde uno confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitentur. Horum gratia si vos fugitis, fugietis simul et Aegyptios, fugietis Lybiam utramque, Thebaeos, Palaestinos, Arabes, et Phoenices, Syros, et qui ad Euphratem habitant, ac ut semel dicam, omnes apud quos vigiliae, ac preces, communesque psalmodiae in pretio sunt.»

Psalmorum autem cantum vetustissimum esse, et in primitiva ecclesia usurpatum, testatur divus Paulus (1), qui christianos refert cantare debere psalmos, hymnos, et alia cantica, sive cantiones, laudes, et cantilenas spirituales, ita enim ipse vocat. Aliquanto vero tempore post apostolos, hymnos, psalmos, et cantiones quasdam a fidelibus compositas, quibus Christum celebrabant, deitatemque ei tribuebant, christianos cantare solitos, referunt Eusebius (2) et Nicephorus (3). Historia quoque de Samosateno apud Eusebium (4) testatur usitatas fuisse in coetibus publicis christianorum cantiones, hymnos et cantilenas. Plinius in epistola ad Traianum refert, christianos solitos esse stato die convenire ante lucem, carmenque Christo quasi Deo ex communi voce dicere. Quin et Clemens (5) psalmodiam tam ante quam post cibum sumptum usitatam fuisse commemorat. Socrates scribit, hymnos, responsoria, et

(1) I. Corinth. cap. XIIII. Ephes cap. III.
(2) Lib. V. cap. XXVIII.
(3) Lib. IIII. cap. XXI.
(4) Lib. VII. cap. XXX.
(5) Paedagog. lib II. cap. IIII.

antiphonas angelorum visione et admonitu ab Ignatio episcopo antiocheno in ecclesiis introductas fuisse. In ecclesiis vero latinis antiphonarum et hymnorum cantum S. Ambrosio tribuit Sigebertus. Et Ivo in chronico sub Valente imp. narrat vigilias, hymnos, et antiphonas Mediolani primum ab Ambrosio coeptas, emanasse ad omnes provincias.

Iustinus in responsione ad orthodoxos ad quaestionem CVII scribit suo tempore consuetudinem fuisse in ecclesiis canendi per instrumenta inanima, ut crepitacula, et organa. Xystus papa I. ut in ecclesia ter sanctus cantaretur, Telesphorus vero hymnum angelicum gloria in excelsis Deo instituerunt, ut ex Damaso refert Bibliothecarius. Laetitiae communis hymnorum et cantuum etiam Theophilus alexandrinus meminit lib. primo paschali. Eusebius autem suo tempore in conventibus christianorum fuisse commemorat lib. X. cap. II. et III. orationes, psalmodiam, sacrorum operationes, participationem de mysteriis, gratiarum actiones. Ac de Constantino loquens lib. IIII. de eius vita scribit: cantare primus incepit, una oravit, conciones stans reverenter audiit, adeo ut rogatus ut consideret, responderit: fas non esse dogmata de Deo remisse ac segniter audiri. Sanctus Ephraem in libro de paenitentia cap. II. festivitates nostras, inquit, honoremus psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus. De psalmodiae origine Theodoretus lib. II. cap. XXIIII. docet psalmos Davidis alternatim cani ad martyrum monumenta, et in ecclesiis, instituisse Flavianum et Diodorum Antiochiae, qui mos deinde in fines usque orbis terrarum pervagatus est. Ac de Ephraem edessenae ecclesiae presbytero idem ait lib. IIII. cap. XXIX, eum ad impios sed suavissimos modos Harmonii cuiusdam accommodasse pias et sanas materias. Basilius litanias usitatas fuisse in ecclesia Neocaesariensium, scribit epistola LXIII. Arsacius etiam a Deo admonitus de Nicomediae concussione, clericis praecepit, ut Deo serius supplicarent, et preces placatorias pro sedanda illius ira, quam minabatur, funderent, ut narrat Sozomenus lib. IIII. cap. XVI. Idem refert lib. VII. cap. XXIII. antiochenum populum, quum cognovisset imperatorem Theodosium ob seditionem ibi natam ira esse inflammatum, Deo supplicas-

se, ut imperatoris iram mitigaret, usurpatis ad eam supplicationem melodiis lugubribus. Hilarius in expositione psalmi LXV. « audiat, inquit, orantis populi consistens quis extra ecclesiam vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, et inter divinorum quoque sacramentorum officia responsionem devotae confessionis accipiat. »

Damasus papa constituit ut psalmi Davidis in septem partes distributi die noctuque per omnes ecclesias cantarentur, qui hoc praecepit presbyteris episcopis et monasteriis. Extat huius Damasi epistola ad sanctum Hieronymum presbyterum in qua ipsum rogat ut psalmorum e graeco interpretationem ad se mittat. Ab eo autem de psalmodia consultus beatus pater Hieronymus eam instaurandam monuit, et ad finem cuiuslibet psalmi adiungendam clausulam gloria patri et filio et spiritui sancto. Bibliothecarius adiicit in Caelestino primo: hic constituit ut psalmi David ·CL· ante sacrificium psallerentur antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, sed tantum epistolae beati Pauli legebantur, et sanctum evangelium. Sanctus Ambrosius in ecclesia mediolanensi novum psalmorum cantandorum modum edidit, quod ambrosianum officium vocatur. Cantum vero romanum, et psallendi morem, psalmis Davidis in septem horas dispertitis, quas canonicas vocamus, id est matutinum cum laudibus, media nocte, prima, tertia, sextà, nona, vesperis, et completorium, instituit divus Gregorius papa; ex cuius etiam instituto ea missarum celebritas, quam nunc S. R. E. et omnis fere occidens servat, manavit, cum suis cantibus, et sequentiis. Romanum cantum Anglis Iohannes archicantor sancti Petri et abbas monasterii beati Martini, eo ad synodum ab Agathone papa missus circa annum Domini DCLXXX. intulit.

Karolus rex Francorum, postea primus occidentis imperator, sub Hadriano papa offensus dissonantia ecclesiastici cantus inter Romanos et Gallos, et indicans aequius esse de puro fonte quam de turbato rivo bibere, duos clericos Romam misit, ut genuinum a Romanis discerent, et Gallos docerent, et primum per hos Metensis ecclesia, et per illam omnis Gallia et Germania ad formam romani cantus revocata est, ut Sigebertus auctor est in chronico. Atque hac ratione cantus romanus a S. Grego-

rio primum inventus, paulatim totum occidentem obtinuit. Sed et graeca ecclesia suum cantandi in templis morem retinuit. Guido arretinus musicus peritissimus ante annos plus minus sexcentos in romana ecclesia quibusdam regulis inventis, cantandi morem maxime ornavit, et faciliorem reddidit. Demum novissimus in ecclesia cantandi mos introductus est, quem cantum chromaticum sive concisum vocant, qui nunc passim in omnibus occidentis ecclesiis usurpatur, variis hominum vocibus harmonica ratione prolatis confectus. Atque hactenus de cantu.

Chorearum vero et epularum in laetioribus christianorum conventibus, post insignem aliquam liberationem, meminit Theodoretus lib. III. cap. XXVIII. de Antiochenis scribens: cognita, inquit, Iuliani caede, publicis epulis et festis indulgebant: neque in ecclesiis solum atque ad martyrum monumenta choreas agebant, sed in theatris praedicabant crucis victoriam. Ejusmodi convivia ante ecclesias in martyrum memoriam fieri iussit sanctus Gregorius apud Anglos, quum difficile admodum esset eos ab antiqua superstitione revocare, in qua ipsa frequentabant (1). Gregorius Mellito abbati: « dicite Augustino episcopo vestro, quod fana idolorum destrui in Anglorum gente minime debeant, sed ipsa quae in eis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, reliquiae componantur; quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut a cultu daemonum in obsequia veri Dei debeant commutari, et dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, et Deum verum cognoscens, ad loca quae consuevit familiarius concurrat: et quia boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debet et eis hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis sollemnitatem celebrent; nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esum suum animalia occidant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse, dubium

(1) Bedas hist. Angl. lib. I. cap. XXX.

non est.» Eiusmodi tamen in templis convivia, quae agapae vocabantur, ex canonibus concilii laodiceni prohibentur. Sanctus quoque Bonifacius moguntinus archiepiscopus, haec ipsa etiam convivia Romae circa basilicam sancti Petri fieri solita refert ante octingentos annos in epistola quadam ad Gregorium papam tertium. Hinc festorum, frondium arborum, et huiusmodi ecclesiarum ornamentorum in earumdem solemnitatibus, origo manavit.

C A P. VI.

De lectione, et explanatione scripturarum, publicis concionibus, et precibus, quae in ecclesiis fieri solebant.

Vetustissimos nostrae religionis auctores, ut apostolos, scripta prophetarum primum legisse, eaque interpretatos esse, ex actis apostolorum liquet. Nam Iudaeis solemne fuit in synagogis singulis sabbatis legere Moysen et prophetas, eosque interpretari. Quam consuetudinem apostoli etiam aliquando initio usurparunt, qui hac occasione passim in synagogis ex Moyse et prophetis et sacra scriptura praedicaverunt Christum, quemadmodum Paulus et Barnabas Antiochiae Pisidiae primum, deinde Thessalonicae Paulus et Silas fecerunt (1). Paulus enim in ecclesiis postea eandem consuetudinem observari instituit, ut sanctorum prophetarnm scripta legerentur et exponerentur a duobus aut tribus doctoribus, ceteris auscultantibus. Et Origenes homilia XI. in Iosuam testatur apostolos ordinasse, ut in ecclesiis libri veteris testamenti legerentur. Novum quoque testamentum, evangelistarum scilicet scripta de actionibus, miraculis, et concionibus Christi, in ecclesiis legi solita fuisse, S. Paulus subindicat ad Coloss. cap. III. cum ait: sermo Christi in vobis habitet opulenter cum sapientia. Idem in secunda ad Corinthios cap. VIII. de Luca: misimus cum Tito, inquit, fratrem cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias. Unde non inepte colligere possumus, iam tum evangelium S. Lucae in ecclesiis legi solitum. Eusebius lib. VI. cap. XIIII. ex Clementis hypotypos. refert S. Petrum evan-

(1) Act. XIII. et XVII.

gelium sancti Marci in ecclesiis legendum ordinàsse. Idem lib. VI. cap. XXV. ex Irenaeo asserit, Matthaeum suum evangelium Hebraeis obtulisse.

Mulieribus autem non licebat in congregatione publice docere (1). Concionantes tum apostolos stare solitos esse apparet ex act. (2) ubi stantes apostolos verba fecisse refertur. Plures etiam, verum unum post alterum, concionari solitos, intelligitur ex 1. ad Corinthios cap. XIV: « prophetae duo aut tres dicant, et ceteri diiudicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat; potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur, et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. Non enim est dissensionis Deus sed pacis, sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. » Sunt etiam exempla, ubi sedentes docuerunt. Nam act. cap. XVI. sedentes loquebantur mulieribus quae convenerant. Ceterum post apostolorum tempora, christianos solitos esse stato die convenire ante lucem, sub Traiano scribit Plinius, carmenque Christo quasi Deo ex communi voce dicere, postea se sacramento obstringere, non in scelus aliquod, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis, morem illis fuisse ait conventum dissolvere. Iustinus porro prolixiores preces recitat. Ait enim, in congressibus illis publicis christianorum, qui tum Romae fiebant, ubi convenire solebat plebs urbana et rustica, primum lecta esse prophetarum et apostolorum scripta, deinde episcopum vel presbyterum, quem praepositum vocat, surrexisse, orationemque habuisse paraeneticam, invitantem et hortantem ad imitationem eorum quae praelecta essent. Postea coetum omnem consurrexisse in preces; quibus finitis, de eucharistia, ad quam preces prius et gratiarum actiones a praelato dictae essent, singulis partem datam, vel absentibus per diaconos missam. Postremo contulisse quaecumque voluissent in subsidium pauperum pupillorum et aegrotantium.

Refert Eusebius (3) ex Dionysio corinthio, non apostolo-

(1) I. ad Corinth. cap. XIIII.
(2) Capp. I. II. V. XV.
(3) Lib. IIII. cap. XXIII.

rum tantum sed etiam aliorum sanctorum patrum scripta in ecclesiis publice lecta esse, ac praecipue epistolam Clementis papae ad Corinthios. Sic enim ad Romanos Dionysium scripsisse Eusebius testatur: « sanctam hodie dominicam diem peregimus, in qua vestram legimus epistolam, quam semper ad. monitionis gratia legemus, sicut et priorem nobis per Clementem scriptam. » Damasus refert, Evaristum episcopum romanum instituisse ut tres presbyteri et duo diaconi episcopum praedicantem custodirent propter stilum veritatis, id est quasi verae doctrinae testes. Eusebius lib. VII. cap. XXIIII. refert (quam etiam consuetudinem in ecclesiis Africae fuisse profitetur Origenes in homiliis primis in exodum, et in iudices) ut quoties christiani convenissent, alius textum scripturae recitaret, (hinc lectorum ordo ortus) alius vero enarraret, et interpretaretur. Idem Origenes et libros veteris testamenti, ac interdum diebus praecipue ieiuniorum, historiam passionis Iob in ecclesiis legi solitam ex apostolorum traditione ostendit (1). Cyprianus quoque lib. II. epist. V. de lectoribus in ecclesia ait, quod ad pulpita stare, et evangelium perlegere consueverint. Sozomenus lib. VII. cap. XIX. refert Alexandriae, quod in locis omnibus aliis novum esset, dum evangelium legeretur episcopum non surrexisse; evangelium porro legere munus fuisse archidiaconi. Constantinopoli quoque in praecipuis festis, et maxime in die paschae libros evangeliorum perlegerunt episcopi, post quos diaconi quantum episcopi legissent repetierunt. Anastasius (2) papa primus instituit, ut dum sacrum evangelium in ecclesia recitaretur, sacerdotes curvi starent, ut refert Bibliothecarius; quod etiam nunc in ecclesia usurpatur. Evangelium porro nonnisi diaconi in ecclesiis, epistolas vero et alias lectiones subdiaconi quum missae celebrantur legunt. Extat canon concilii carthaginiensis (3) circa tempora Siricii celebrati, qui nihil in ecclesiis aliud praeter quam scripturas canonicas legi permittit, et martyrum passiones in eorum festivitatibus.

(1) Homil. XV. in Iosuam, et initio lib. 1 com. in Iob.

(2) In ms. perperam *Caelestinus*. E.

(3) Est hic canon quinquagesimus collectionis africanae, quem reperies etiam in Spicilegio nostro T. VII. p. 472. E.

Socrates etiam lib. V. cap. XXII. refert vetustum morem ecclesiae alexandrinae fuisse, ut feria quarta et parasceve, sacrae scripturae lectae a doctoribus exponerentur. Quo ministerio saepe Origenem usum fuisse, tradit Gregorius nazianzenus (1), qui et de sacris libris populo lectis, et explicationibus sacrorum dogmatum, quibus auditorum mores formabantur, secretioraque in religione aperiebantur, quaedam monet. Meminit et lectionis scripturarum Eusebius (2): apud nos, inquit, incipientibus ac imperfectioribus simplicius scripturae leguntur.

De concionibus in Basilii enarratione in psal. XIIII. clarum testimonium est, cuius moram spatium fuisse horae integrae, ibidem significatur, quod etiam initio orationis II. Nazianzeni in sanctum lavacrum, clarum est. Interdum concionandi materia ex psalmis illis desumpta est, quos prius decantarunt, ut ex enarratione psalmi CXIIII. videre est; qui et in sermone contra luxum et ebrietatem, indicat in quadragema singulis diebus coetui congregato habitas esse conciones. In conventibus alexandrinae ecclesiae conciones habitas esse vernaculo et simplicissimo, et absque ulla affectata elegantia, sermone, apparet ex Athanasii ipsius homilia de semente (3). Concione vero finita, preces ab auditoribus dictae sunt. Apud Cyprum in conventu quodam episcoporum Triphyllius (4) ledrensis episcopus concionari iussus est. Testatur Hilarius conciones in mediis ecclesiis habitas esse. Sanctus Ambrosius in enarrratione cap. XIIII. prioris epistolae ad Corinthios, concionum quae in ecclesiis fieri solebant meminit. De concionibus ad quas populus invitatus fuerit, Hieronymus mentionem facit in epistola adversus errores Iohannis hierosolymitani. Ambrosius in eandem 1. ad Corinthios cap. XIIII, inquit: sedentes disputent, se-

(1) Item Socrates lib. V. cap. XXII. E.

(2) Praep. evang. lib. XII. cap. I.

(3) Athanas. opp. ed. Maur. venet. T. II. p. 47. n. 4. Nos vero morem hunc simplicissimum concionandi apud Alexandrinos, demonstraturi magis sumus edendis, quos reperimus alterius, qui dicitur alexandrinus episcopus, graecis sermonibus. E.

(4) In ms. perperam *Theophilus*. Rem autem narratam comperi a Sozomeno lib. I. cap XI. E.

niores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas. In Burgundionum ecclesiis sacram scripturam legi et interpretari solitam non stantibus sed sedentibus presbyteris, et aliis, constat ex epistola Anastasii (1) ad eosdem, in qua eam a maioribus suis acceptam abrogat consuetudinem. Episcoporum porro et presbyterorum munus tunc fuisse concionandi, testimonio esse possunt Chrysostomi, Ambrosii, et Augustini episcoporum, Leonis et Gregorii romanorum pontificum, item Origenis et Hieronymi presbyterorum conciones ad populum habitae, quas homilias vocant. Et certe ut de ceteris episcopis sileam, romanum pontificem usque ad Urbani VI. tempora publice concionari solitum fuisse, intelligitur ex illorum temporum scriptore Theoderico a Niem. Ego enim praeter multas quas de hac re auctoritates habeo, ipsas quoque aliquot romanorum pontificum et recentiorum quidem, ut Clementis IV, Nicolai IV, Benedicti XII, Clementis VI, et Urbani V. conciones vidi (2). Nostro tempore praedicandi munus fratribus religiosis, quos mendicantes vocant, Praedicatoribus videlicet, Minoribus, Eremitis augustinianis, Carmelita-

(1) MS. perverse *Athanasius*, quod mendum permolestum mihi fuit; sed mox commode memini me in aliis quoque aliorum operum codicibus pro *Anastasio* perperam scriptum vidisse *Athanasium*. Panvinius igitur loquitur heic de Anastasii I. PP. epistola ad Germaniae et Burgundiae episcopos, quae extat apud Labb. Concil. T II. p. 1191; spuria tamen, ut per se patet, et ut iamdiu demonstravit Baronius, quem merito sequuntur Coostantius epp. PP. et Papebrochius ad chron. Pi'. p. 60. Isidorianas, id est suppositas, rom Pontificum epistolas citari non semel a Panvinio in hoc scripto vidimus, sive quia fraudem illam nondum esset subodoratus, sive quod magis suspicor, quia non auderet opinionem adhuc animis plurimorum haerentem, palam convellere. Nihilominus memini me videre manu scriptam diatribam ipsius Rob. Bellarmini, qui vix mortuo Panvinio coepit clarescere, in qua collectio isidoriana aperte reiicitur. E.

(2) Innocentii tertii novas homilias nos edidimus Spicil. T. VI. Honorii tertii sermones servari ineditos in codice sessoriano quinquagesimo, diximus Spicil. cit. T. V. p. 239. Clementis undecimi homiliae typis splendidis extant. Sed mirum est quod ait Sozomenus lib. VII. cap. XIX, ubi de diversis ecclesiarum consuetudinibus loquitur, nempe Romae neque episcopum neque alium quemlibet solitum fuisse in ecclesia concionari. Mirum id, inquam, videtur; sed tamen ante Leonem magnum (qui Sozomeno non est anterior) homilia romanorum pontificum vix ulla invenitur. E.

nis, Servitis, Canonicis regularibus, et presbyteris Teatinis praecipue incumbit. Hi statis quibusdam anni diebus, et praesertim dominicis, Christi apostolorumque festivitatibus, et in tota quadragesima sacras per omnes ecclesias conciones habent, quibus populos confluentes ad bonam frugem magno cum animarum fructu revocant. Sed haec alibi latius (1).

De publicis vero precibus sive orationibus, illud animadversione dignum, quod veterum christianorum preces duplices fuerunt, publicae et privatae. De privatis supra dixi; de publicis Iustinus scribit in apologia II: post haec, inquit, consurgimus omnes et comprecamur. Idque ab apostolis didicerunt, qui una in coetu orare, et pro beneficiis Deo gratias agere solebant, sive singuli sive uno verbis praeeunte (2). Praecipit quoque Paulus apostolus in ecclesiis fieri obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones (3). Apostoli etiam cum suis unanimiter perseverasse in deprecatione et obsecratione dicuntur actorum primo. Et ecclesia Hierosolymis collecta perseverasse in doctrina apostolorum, communicatione, fractione panis, et orationibus commemoratur act. cap. II. Pro Petro quoque incarcerato oratio flebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum, act. cap. XII. De formula orationis Tertullianus libro de fuga in persecutione, ait: orationem esse legitimam. Item de rebus petendis in apologetico dixit: scitote praeceptum esse nobis etiam pro inimicis Deum orare, et persecutoribus nostris bona precari. Ibidem: precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis et Caesaris vota sunt. Item oramus pro imperatoribus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Origenes tractatu I. in Matthaeum, orandum Deum ait pro intellectu sui verbi. Et Martialis in ep. ad Burdegal. cap. XVII. pro impiis, inquit, assidue orate, ut ad agnitio-

(1) Qui multo plura de hoc argumento cognoscere avet, adeat Bern. Ferrarii eruditissimum opus de ritu sacrarum ecclesiae veteris concionum E.
(2) 1. ad Corinth. cap. XIIII.
(3) 1. ad Timoth. cap. II

nem Dei convertantur; Iustinus in respons. ad orthodoxos, Clemens ult. stromatum, Tertullianus in apologetico, Basilius in lib. de Spiritu sancto, Athanasius quaest. XIIII.

Orare autem ex apostolorum traditione solebant ad orientem versi veteres christiani, tamquam mundi partem honoratiorem, et ad orationem Dei destinatam. Solebant etiam orantes sese in terram genibus flexis abiicere, caput et manus in caelum extendere. In ultima vero acclamatione orationis, alacritate spiritus pedes excitare; Clemens ultimo stromatum, ubi multa de oratione disserit. Tertullianus in apologetico caelum suspicientes, inquit, manibus expansis, capite nudo, precamur pro omnibus. Et in libro de corona militis, genibus flexis christianos adorare significat. Idem testatur Origenes homil. IIII. in numeros. Stantes autem orare solebant die dominico, et toto eo tempore quod est inter pascha et pentecosten, unde preces illae et stationes vocantur; Tertullianus in libro de ieiunio, Basilius in lib. de Spiritu sancto, canon vigesimus concilii nicaeni. Sollemniores quoque fuisse indicat orationes ad Dei aram factas Tertullianus, qui ibidem testatur eas stationes interdum usque ad vesperam productas esse. Stationum seu stantium ad orandum (1) meminit et divus Cyprianus in sermone de oratione dominica, qui et eodem loco refert quod quando preces christiani inchoaturi erant, sacerdos praefatione quadam mentes fratrum excitabat et praeparabat ad orationem, invocationem dicens: sursum corda; cui concio respondebat: habemus ad Dominum Et Origenes in homilia XI. in Hieremiam formulas quasdam orationum profitetur similes his quas vocamus hodie collectas, ut: da omnipotens; da nobis partem cum prophetis, da cum apostolis Christi tui; da ut inveniamur ad vestigia Unigeniti tui, et similia. Sanctus Basilius preces dici solitas a toto coetu refert, postquam suggestum docturus aut explicaturus aliquid ex scriptura episcopus conscendisset, episto-

(1) *Stamus*, inquit, *ad orationem*. Reapse in picturis coemeteriorum rom., itemque in arcis marmoreis, in vitris, et diptychis eburneis, christiani plerumque stantes orant, manibus passis. Sic etiam sancta martyr Felicitas in pictura proprii oratorii ad Titi thermas. Nostra adhuc aetate sollemniores preces sacerdos surgens publice dicit. E.

la XXIII. Hae autem publicae preces tractationem sacrarum scripturarum vel praecedebant, vel subsequebantur.

Pro quibus vero rebus orarint, notum est ex Tertulliano, pro temporum videlicet tranquillitate, pro magistratibus politicis, pro aversione et mitigatione publicarum calamitatum. Pro martyribus eos etiam orasse refert Cyprianus lib. II. epistola IIII. Athanasius post psalmorum lectionem preces postea fieri Alexandriae curasse refert, ut ex ipsius apologetico commemorat Theodoretus lib. II. cap. XIII. Ambrosius litanias non in gallicis solum ecclesiis receptas fuisse, sed etiam in aliis indicare videtur lib. primo de vocatione gentium cap. IIII. (1) Praecipit, inquit, apostolus fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum et omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur a populis christianis. Supplicat ergo ubique ecclesia Deo non solum pro sanctis, et in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, et inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris suis persequuntur, pro iudaeis, pro haereticis, et schismaticis. Gregorius papa saevissima in urbe peste grassante, post sollemnem concionem septiformes litanias hac ratione constituit ad avertendam mitigandamque Dei iram: ut clerus primum egrederetur ab ecclesia sanctorum martyrum Cosmae et Damiani cum presbyteris regionis VI; omnes abbates cum monachis ab ecclesia sancti Vitalis cum presbyteris regionis IIII; omnes abbatissae cum congregationibus suis ab ecclesia sanctorum Marcellini et Petri cum presbyteris regionis primae; omnes pueri ab ecclesia sanctorum Iohannis et Pauli cum presbyteris regionis II; omnes laici ab ecclesia sancti Stephani in Coelio monte cum presbyteris regionis VII; omnes viduae ab ecclesia sanctae Euphemiae cum presbyteris regionis V; omnes coniugatae ab ecclesia sancti Clementis cum presbyteris regionis III; et omnes de his ecclesiis exeuntes cum precibus et lacrimis ad basilicam sanctae Mariae maioris

(1) Heic, et interdum alibi, Panvinius, nondum perfecta arte critica, prisca opera sub vulgo creditis auctorum nominibus laudat. E.

congregabantur (1). Idem beatus Papali tanlas in die sancti Marci ad beatum Petrum instituit. Diversi postea Pontifices romani litanias alias ante ascensionem Domini celebrandas esse ad alias ecclesias sanxerunt, ut infra ostendam. Nostra vero aetate in singulis ecclesiis quae vel monachorum aut presbyterorum, vel aliorum religiosorum opera gubernantur, septem horae canonicae per interiectas vices decantantur, sacra missarum mysteria celebrantur cum hymnis et canticis spiritualibus, conciones habentur, et omnia sacramenta administrantur.

CAP. VII.

De septem ecclesiae sacramentis, quorum administratio in ecclesiis fiebat; de exorcistis, et de oblationibus fidelium.

Fideles aliquot in christianorum publicis congressibus baptizatos fuisse, legitur act. cap. II. X. et XIX. Baptizatos etiam per manuum impositionem confirmatos act. cap. VIII. Caenam autem dominicam christianos usurpasse in ecclesiis, apparet ex iisdem act. cap. XX. ubi Paulus Troade cum patribus qui convenerant panem frangit et gustat, seu sacratissimae eucharistiae mysterium celebrat. Item ex prima ad Corinth. cap. XI. In illis coetibus apostolum Matthiam, et septem diaconos ordinaverunt, act. cap. I. VI. Peccatores paenitentes absolvebant, 2. ad Corinth. cap. II, et ad Galat. cap. VI. Oleum sanctum quo aegroti ungerentur a presbyteris tradi solitum, docet Iacobus in epistola catholica cap. V. Matrimonia etiam in ecclesia celebrata fuisse, quamquam in sanctis scripturis non meminerim me legisse, tamen haud longe post apostolos ex romani Pontificis Evaristi (2) decretis statutum est, ne novi sponsi simul coirent antequam a sacerdote in ecclesia benedicerentur. Iustinus re-

(1) Sumit haec Panvinius ex Gregorio turon. hist lib. X. 1; namque in maurina Gregorii papae editione variat ordo praedictus ecclesiarum, in homilia scilicet quae ponitur post evangelicas. E.

(2) Confer quae adnotavimus p. 94-95. Namque a Burchardo ibi citato confusum Soterem cum Evaristo non adeo miror, siquidem etiam noster Panvinius p. 161. pro Anastasio Caelestinum scripserat. E.

fert in apologia, cum quispiam baptizandus esset, fratres in ecclesia convenire solitos ut baptizato adessent. Cui sacramento administrando, crescente religione christiana, sacra quaedam loca peculiaria destinata sunt, baptisteria appellata, in quibus omnes tingerentur, ut Romae, Florentiae, Bononiae et Parmae adhuc videri potest. Ceterum de baptisterio romano infra dicam (1).

Quamquam autem eiusmodi baptisteria huic praecipue deservirent muneri, nihilominus tamen etiam in ecclesiis aliis baptizari solebant. Munus baptizandi episcopi, presbyterorum, et diaconorum initio fuit, ut auctor est Tertullianus (2). Post ad episcopos tantum seu praepositos contractum est, ut refert divus Cyprianus in libro ad Iubaianum de hereticis baptizandis, excepto casu necessitatis quo omni omnino homini, et mulieribus etiam baptizare fas est. Confirmationis post baptimum mentio est saepe apud ecclesiasticos auctores. Item in canone XLVIII. concilii laodiceni (3) sub Damaso celebrati. Hanc nostro saeculo episcopi tantum conferre solent. Eucharistiam in ecclesiis episcopos et presbyteros confecisse, eamque fidelibus porrexisse, quemadmodum etiam nunc in usu est, referunt Clemens paedagog. lib. I. et II, Iraeneus, Iustinus, Tertullianus in libro de corona militis, Rufinus lib. I. cap. VI, Nazianzenus in oratione super funere fratris, Ambrosius lib. IIII. de sacramentis cap. IV. et V. (4), Athanasius in-

(1) Scilicet in libris de basilica lateranensi. E.

(2) Lib. de baptismo cap. XVII: *dandi quidem baptismi habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate.* Ergo quod ait mox Cyprianus, nempe ut baptizandi offerantur praepositis, non differt (pace tua, Panvini, dicam) a Tertulliani doctrina. E.

(3) Apud nos in Spicil. T. VII. p. 160. E.

(4) Contra declamationes graeci schismatici Cabasilae, qui invocatione tantummodo sancti Spiritus fieri panis calicisque eucharistici consecrationem contendit, legantur haec duo Ambrosii capitula, quibus nihil evidentius validiusque est pro sententia nostra, quod nempe Christi verbis fiat consecratio. Sed graeco adversario graecum patrem nobilissimum opponamus Ioh. Chrisostomum homil. I. de proditione Iudae edit Maur. T. II. pag 384: *σχῆμα πληρῶν ἕστηκεν ὁ ἱερεύς τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα· ἡ δὲ δύναμις καὶ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἐστι·* ΤΟΥΤΟ ΜΟΥ ΕΣΤΙ ΤΟ ΣΩΜΑ

apologia II, et Augustinus. Sacros ordines soli conferre solent episcopi ex apostolica traditione, iis qui totius ecclesiae suffragio ad id munus fuissent delecti (1). Erant autem viri spectatae probitatis, pleni Spiritu sancto et sapientia, et bonum testimonium habentes. Episcoporum porro, presbyterorum, et diaconorum ordinationes praeter alias preces, per manuum eorum qui ordinabant episcoporum impositionem fiebant, ut Eusebius lib. VI. cap. VIII. et X, ubi de Origenis presbyteri et Narcissi Hierosolymorum episcopi ordinationibus loquitur, tradit. Quam ordinationem, ut dixi, suffragia clericorum et plebis praecedebant, ut ex divi Cypriani epistolis apparet, et Basilius epistola ·LXIII· ad Meletium probat: eas autem in ecclesiis fieri solitas, satis manifestum est.

De publica paenitentium confessione, contritione, et satisfactione, quam in ecclesiis fieri testantur Iraeneus lib. I. cap. XIII, Iustinus, Clemens, Tertullianus, Cyprianus, Damasus in Pio, Eusebius quoque lib. VI. ubi de Novati schismate loquitur, pulchre meminit. Sozomenus lib. VII. cap. XVI: « in romana, inquit, ecclesia perspicuus est paenitentium locus, in quo stant moesti ac veluti lugentes. Peracta autem liturgia a mysteriis exclusi, quae ad initiatos pertinent, cum lamentatione et planctu ad terram sese pronos abiiciunt. Episcopus ex adverso cum lacrimis occurrens, et ipse ad pavimentum lamentando provolvitur, et universa ecclesiae multitudo lacrimis suffunditur. Postea episcopus primus exsurgit, et iacentes erigit, et quatenus convenit pro peccatis paenitentium facta oratione ex ecclesia illos dimittit. Seorsum autem quisque sponte sua vel ieiuniis, vel balnei aut eduliorum abstinentia, sive aliis modis, secundum quod iussus est, se se affligens tempus expectat, quod episcopus determinavit. Constituto autem die, peccati multa quasi debito quodam remissa, populo in ecclesia coniungitur.» Hunc morem videtur innuere divus Hieronymus in epistola

φησί· τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει τὰ προκείμενα: *figuram implens stat sacerdos verba illa proferens; virtus autem et gratia Dei est; HOC EST CORPUS MEUM, inquit. Hoc verbum transformat ea quae proposita sunt.* Idem repetit Chrysostomus homil. II. de ead. prod. p. 394. E.

(1) Act. I. et VI.

ad Oceanum: in ecclesia romana, ait, peccator saccum induebat, ante diem paschae in ordine paenitentium stabat, peccatum publice fatebatur, episcopo presbyteris et omni populo collacrimantibus. Haec in basilica lateranensi fieri solita, indicat idem in epitaphio Fabiolae: quis hoc crederet, inquit, ut post mortem secundi viri in semet reversa, saccum indueret, errorem publice fateretur, et tota urbe spectante romana ante diem paschae in basilica Laterani staret in ordine paenitentium?

Oleum sanctum ad infirmorum unctionem in ecclesia confici, intelligitur ex epistola Iacobi cap. V: infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis fuerit, remittentur ei. Ritus aliquos honestos in ecclesiis circa legitimas nuptias observatos fuisse, dubium esse non debet. Qui autem hi fuerint initio, parum compertum est. In romana ecclesia episcopus Evaristus constituit, quod Xystus confirmavit, feminam honeste et legitime viro desponsatam a sacerdote precibus et oblationibus benedici. Huc alludere videtur Tertullianus lib. II. ad uxorem: unde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, angeli renuntiant, pater ratum habet? Concilium laodicenum can. LII. tempore quadragesimali nuptias interdixit (1). Concilium IIII. carthaginiense constituit, ut non ante sponsi convenirent, quam in templo ante altare a sacerdotibus benedicerentur. Idem confirmat S. Ambrosius in virginis institutione cap. XVII. Evaristi et Xysti decreta Romae renovarunt et confirmarunt Silvester, Iulius, et Siricius papae, ut ex tomo I. conciliorum apparet. Is mos nostris temporibus in ecclesia adhuc observatur: sponsi enim audita missa, a sacerdotibus in ecclesiis ante altare benedici solent. Malignorum sive immundorum spirituum coniurationes sive exorcizationes in ecclesiis fieri solitas, quemadmodum adhuc in usu est, commemorat Tertullianus in libro de corona militis, et in apologetico: daemones, inquit, id est genios, adoriri consuevimus,

(1) Apud nos Spicil. T. VII. p. 174. E.

ut illos de hominibus exigamus. Item: daemonia de vobis sine mercede, sine praemio depellimus. Quod et in libro ad Scapulam ostendit. Cyprianus de idolorum vanitate id etiam docet. Origenes, praeter exorcismum, etiam alios ritus recenset, ut invocationes, et manuum impositiones, homilia XXIIII. in Iosuam. Hinc in romana ecclesia exorcistarum ordo, de quo in epistola ad Fabium antiochenum meminit Cornelius apud Eusebium libro VI. cap. XLIII. (1) Canon ·XC· concilii quarti carthaginiensis exorcistis mandat, energumenis manus quotidie imponere.

De eleemosynis, quas sanctus Paulus vocat collectas, benedictiones, et oblationes, quae in publicis congressibus fiebant, quum fideles pro suae voluntatis arbitrio, rerumque facultate aliquid pecuniae conferebant in commune ad suppeditandum egenis, mentio multa est (2). Et quidem I. ad Corinth. cap. XVII: « ceterum de collatione in sanctos quemadmodum ordinavi ecclesiis Galatiae, ita et vos facite, ut una sabbatorum unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quicquid commodum fuerit. » Iustinus in apologetico refert, christianos post acceptam eucharistiam, contulisse quaecunque voluissent, in subsidium pauperum, pupillorum, et aegrotantium. Tertullianus etiam eleemosynas pro pauperum cura, aut senum, aut orborum, aut exulantium, aut captivorum per mensem collectas esse in publico coetu testatur. Idem de eleemosynis confirmat in apologetico, in loco quem supra citavi. Oblationum postremo meminit Hieronymus (3), quae in conventibus publicis ita factae videntur, ut inter offerendum diaconus publice adstans in templo proclamarit, offerentium nomina adiiciens: tantum offert illa, tantum ille pollicitus est. Marcellinus lib. XXVII. cap. III. refert episcopos romanos ditari solitos ex matronarum oblationibus. Idem etiam in ecclesiis orientalibus (4) usitatum fuisse inde videtur, quod ut scri-

(1) Vide superius p. 153. E.

(2) Act. XI. XXIIII. Rom. XV. Et 2. Corinth. VIII. IX.

(3) Comment. in Ezechielem lib. VI. ad cap. XVIII.

(4) Lege sis Severi antiocheni utramque homiliam de sancta Droside a nobis editam Scripl. vet. T. IX. E.

bit Sozomenus lib. VI. cap. XVI, Valens imperator cum aulicis in festo epiphaniae in ecclesia munera ad sacram mensam obtulerit. Oblationum eiusmodi usus posterioribus saeculis cum in omni ecclesia tum in romana frequentissimus fuit: in qua pietas, liberalitas, et in pauperes misericordia semper maxime viguit. Hinc tot xenodochia, monasteria, ecclesiae, oratoria, et loca pia multis et magnis proventibus Romanorum devotione fabricata sunt. Ceterum de coemeteriis, quae templis ipsis videntur fuisse olim coniuncta, ut etiam nunc sunt, latius in fine libri disputabo, ubi etiam de sepulturae ritibus, et caerimoniis disseram.

CAP. VIII.

De temporè conventuum publicorum.

Sub ipsius religionis initio, act. cap. II. dicitur quod quotidie apostoli perduraverint unanimiter in templo: Idem refertur act. cap. V. quod quotidie in templo et singulis domibus docuerint. Id autem fieri principio necesse fuit, quo citius ecclesia congregari posset; qua deinde constituta et ordinata, in die postmodum sabbati plerumque convenisse dicuntur (is festus erat) quo etiam solebant Iudaei convenire, unde act. cap. XIII. Paulus et Barnabas ingressi in synagogam die sabbatorum dicuntur. Ibidem auditores rogabant ut sequenti sabbato sibi loquerentur sermonem. Thessalonicae quoque Paulus per sabbata edisserebat eis act. XVII; et disputabat in synagoga per omne sabbatum act. XIII. Et fratres una sabbatorum ad frangendum panem convenisse dicuntur act. XX. Diei vero dominicae mentio fit in apocalypsi cap. I. « fui in spiritu in dominica die ». In eo etiam, quem primam (1) sabbati vocat Paulus christianos convenire solitos intelligitur ex cap. XVI. epistolae primae ad Corinthios, ubi ea die oblationes fieri iubet. Quonam autem tempore christiani se a Iudaeis dis-

(1) Vulgatus textus *unam*. Sed et alias differentias retro vidimus, quia Panvinius ante sixtinam clementinamve editionem scripsit, quod semel monuisse sufficiat. E.

iunxerint, et die dominica feriari coeperint, haud clare constat. Sed priore illo saeculo alios sabbatum, alios dominicum diem celebrasse, testimonio esse possunt quaestiones quae sequenti aetate de paschate die dominico celebrando excitatae sunt.

Epiphanius in compendiaria forma fidei catholicae ait: ex constitutionibus apostolorum synaxes ordinatas esse quarta, prosabbato (1), et dominica. Pro necessitate etiam tum nocturnos, tum diurnos habuerunt conventus; unde Paulus Ephesiis dicit act. XX. se die nocteque eos docuisse et monuisse. Troade quoque quum Paulus esset postridie discessurus, fratribus convenientibus ad frangendum panem protraxit sermonem usque ad mediam noctem act. XX. Et ex 1. ad Corinthios cap. XI. apparet etiam vespere Corinthios convenire solitos. Meminerunt acta etiam horarum; nam Petrus et Iohannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam act. III. Cornelius etiam circa horam diei nonam se orasse dicit act. X. et Petrus Ioppe ascendit in superiora domus, ut oraret circa horam sextam, ibidem. Horarum orationis tertiae, sextae et nonae mentionem facit Clemens alexandrinus ultimo stromat. quas Tertullianus lib. de ieiunio insigniores esse in orationibus divinis affirmat. Cyprianus quoque in orationis dominicae expositione primam, tertiam, sextam et nonam horas dicit orandi antiquitus observatas. Hinc horarum canonicarum VII. in ecclesia usus introductus. Subiicit Cyprianus, mane quoque et vespere orandum esse. Et Origenes precum matutinarum et vespertinarum meminit lib. III. commentariorum in Iob. S. Hieronymus horarum tertiae, sextae, nonae, diluculi, et vesperae orationi destinatarum meminit ad Eustochium, et in commentariis in Danielem, eiusque rei causam affert. Post apostolorum tempora, eorundem publicorum conventuum usum permansisse constat, sed quando et quam crebro convenire soliti fuerint, aut qua de caussa, non ita clare est expressum. Plinius in epistola ad Traianum antelucanos coetus christianorum commemorat. Ex Iustini vero descriptione aliquo modo intelligi potest duo fuisse illis praecipua in publicum con-

(1) Id est feria sexta. Locus extat in panario lib III cap XXII. E.

veniendi tempora; primum in baptizatione alicuius, qui ab ethnicis ad christianam fidem nuper conversus erat: tunc enim, sicut ex ea descriptione clare liquet, convenire soliti sunt. Deinde diebus dominicis, quos festos etiam fuisse Dionysius corinthius scribit apud Eusebium lib. IIII. cap. XXIII; cuius rationem Iustinus hanc refert, quod die solis Deus mundum fecerit, eodemque die Christus resurrexerit, ac conspicuum se apostolis praebuerit. Tertullianus lib. II. ad uxorem publicorum conventuum, quos nocturnos fuisse scribit, meminit.

Quoties vero aut quibus diebus praeter dominicum convenerint, clare non traditur, nisi quod ex Origenis homilia X. in genesin colligi potest, christianos non festis tantum diebus, verum et aliis convenire solitos ad audiendum verbum Dei. Sicut et homilia IX. in leviticum eos obiurgat, qui festis tantum diebus ad ecclesiam concurrebant; et homilia II. in numeros subindicat singulis diebus aliquot horas precationibus et concionibus fuisse destinatas, ait enim: unam aut duas horas ex integro die deputet Deo, et ad orationem veniat in ecclesiam, vel in transitu verbum Dei audiat. Tale quiddam et de collectis celebratis, in quibus praedicatum sit verbum Dei, significare videtur in homilia X. in genesim. Significat et diebus parasceves multitudinem in coetum congredi solitam, homil. V. in Esaiam. Sub initio autem libri contra Valentinianos Tertullianus indicat quasdam fuisse domos et in edito sitas in quas convenire christiani soliti fuerint. Dionysius alexandrinus commemorat, Aemilianum praesidem dixisse quum ipse in exilium ageretur, nequaquam licebit amplius vobis synodos colligere, vel ad coemeteria ut vocant ingredi. Unde patet ea publica loca congressibus destinata fuisse, quae christianis in Valeriani persecutione erepta, iis reddi iussit Gallienus, ut ad ea convenire possent. Sed de his alias latius. Ceterum persecutionibus maxime vigentibus, verisimile est christianos certos quosdam et statos dies, praeter dominicum, et tempora non habuisse quibus convenirent, sed eos congredi solitos prout commodum esset. Pace deinde ecclesiae data, statuti sunt dies et tempora firmata, quibus fideles ad ecclesias confluerent. In ecclesiis siquidem occidentalibus

post Constantini tempora consuetudinem fuisse noctu conveniendi et vigilias ducendi ex Lactantio liquet, qui pervigilii eius caussam etiam indicat lib. VII. div. inst. cap. XIX. Haec nox est, inquit, quae a nobis propter adventum regis et Dei nostri pervigilio celebratur. Cuius noctis duplex ratio est, quod in ea et vitam tum recepit cum passus est, et postea orbis terrae regnum recepturus est. Vigilias nocturnas in epistola ad Sabinianum, vigilias et pernoctationes in basilicis martyrum in epistola adversus Vigilantium, commemorat divus Hieronymus. Tertullianus quarta sabbati et sexta, inquit, plurimum fungimur. Et stationes etiam ipsae suos dies habent quartae feriae et sextae. Romae conventus ecclesiasticos non fuisse in sabbato, quemadmodum in aliis terrarum ecclesiis, Sozomenus indicat. lib. VII. cap. XIX. E contra Constantinopoli, et fere apud omnes ecclesias in sabbato, et una consimiliter sabbati (1), christianos convenisse, Sozomenus ibidem docet.

In Ecclesiis vero orientalibus congressus publici tempus fuisse antelucanum, perinde ac in saeculis superioribus, indicat Basilius in epistola ad clericos neocaesarienses. Idem in dedicatione templorum fideles media nocte convenisse scribit in enarratione in psal. CXIIII. Vigilias antelucanas profitetur etiam Ephraem syrus in sermone ad monachos. Alexandriae Athanasius quoque noctu conventus plerumque cogebat, ut ipse indicat in apologetico suo. Nazianzenus stationum totius noctis meminit in sermone in praesentia ·CL· episcoporum. Et Epiphanius lib. III: matutini, inquit, hymni in ecclecclesia perpetuo fiunt, et orationes matutinae lucernalesque, simul psalmi et orationes. Hilarius pictaviensis episcopus hymnorum vespertinorum atque adeo totius ecclesiae progressus per diem ad hunc modum meminit in expositione psal. LXIIII. Dies, inquit, in orationibus diei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur. De diebus vero conventuum christianorum Eusebius libro primo de praeparatione evangelica cap. IIII: « cuncti simul

(1) Sic interpretatur Panvinius τῇ μιᾷ σαββάτου, quod alii intelligunt *die dominico*. Manat autem ambiguitas ex hebraica dictione אחד *unus* vel *primus*. Quod si *primus* intelligatur, reapse est *dies dominicus*. E.

et innumerabiles viri et mulieres seniores et pueri, servi et liberi, nobiles atque ignobiles, docti simul atque indocti, in omni ab ortu solis ad occasum loco ubi homines habitant, quotidie ferme ad percipiendam disciplinam Christi confluunt ». Sozomenus etiam libro VII. cap. XIX. docet, in multis civitatibus ac pagis apud Aegyptios, usitatos fuisse conventus ad vesperam sabbati; quem diem publici fuisse congressus etiam Athanasius significat in libro de interpretatione psalmorum, ubi conventuum ecclesiasticorum dies hos nominat, sabbatum, diem dominicum, secundam sabbati, parascevem, et quartam sabbati. Rursus in homilia de semente idem ait: sabbato congregati sumus, non quod laboremus iudaismo, sed in sabbato ideo convenimus, ut dominum sabbati Iesum adoremus. Et de die dominico: olim, inquit, priscis temporibus in summo pretio sabbatum fuit, quam quidem solemnitatem Dominus in diem dominicam transtulit.

Nostro saeculo conventus christianorum ad ecclesiam singulis diebus fiunt, sed in festis praecipue, quorum praecipua sunt dies dominicus, ut supra dixi, ab apostolis immo ab ipso Domino ordinatus, Pascha et Pentecoste ab ipsis etiam apostolis celebrata (1), dies natalis Domini VIII. kal. ian. de quo Theophilus caesariensis episcopus in epistola paschali, Parasceve de quo Origenes lib. VIII. contra Celsum mentionem faciunt. Circumcisio Christi, epiphania, purificatio, annunciatio, assumptio, et nativitas Virginis deiparae, natalis Iohannis Baptistae, festa sanctae crucis et angelorum, apostolorum item, martyrum, confessorum et virginum, anniversarii obitus dies, et similia, de quibus Eusebius (2). Tertullianus lib. II. ad uxorem et de corona militis, Origenes lib. III. in Iob., Cyprianus lib. III. ep. VI. ad presbyteros S. R. E., Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, Ambrosius, Hieronymus in enarratione cap. IIII. ad Galatas, Nicephorus lib. VII. cap. VI, Basilius in sermone de humana Christi generatione, Nazianzenus in orationibus, Athanasius in enarratione evangelii de beata Virgine, Eusebius libro IIII. de vita Constantini,

(1) Act. II. XII. XX. 1. Corinth. XVI.
(2) Hist lib. IIII. cap. XV. lib. VI. cap. IX.

divus Augustinus in libris de civitate Dei, sanctus Gregorius in homiliis, et omnes veteres sancti patres multam mentionem fecerunt. Ceterum de festis diebus latius disputabo, ubi de stationibus urbis Romae verba faciam.

Tempus vero, quo nunc christiani convenire solent, praecipue matutinum est, dum sacra missarum mysteria celebrantur, et conciones a praedicatoribus verbi Dei potissimum haberi solent. Conveniunt et vergente die ad horam illam canonicam, quam vesperum vocant, sed id nonnisi in dominicis diebus festis et solemnitatibus Christi et sanctorum. Clerici vero et religiosi viri, qui templis deserviunt, septies (ut dixi) in die convenire solent, tempore matutino, hora prima, tertia, ad missam, sexta, nona, vespere et completorio. Sed quum has horas in psallendo coniungant, ex septem vicibus ad pauciores eorum conventus contrahunt; nam ad matutinum primum: deinde ad primam, tertiam, et sextam cum missa: tertio ad nonam: quarto ad vesperas: quinto ad completorium convenire solent; idque in recte institutis ecclesiis. Nam in aliquibus in duas vices contrahunt, quinque horas cum missa ante prandium, duas reliquas a prandio celebrantes. Quot autem psalmorum numero, et quibus precibus orationes ipsae horarum editae sint, satis manifestum est. Porro autem ut temporibus omnibus aliqua commoditas esset ad conveniendum in ecclesiis, in singulis templis turres additae sunt cum campanis, quae a ministris templorum per singulas horas, et quando sacrificium celebrandum est, et quando item est habenda concio pulsantur; quibus tamquam signis fideles ad ecclesiam convocati conveniunt. Sabiniani papae, qui Gregorio sancto successit, inventum hoc fuisse scimus (1).

Omnes porro fideles, qui ad ecclesiam conveniunt, postquam aqua benedicta, quae ad templorum fores in pilis servatur, se asperserint, statim genibus positis orare incipiunt, et in primis signo se crucis in fronte munire solent. Aquae

(1) Utrum Sabiniano PP., an S. Paulino episcopo nolano, an denique cuivis alii posteriori, tribuenda sit institutio publicarum in ecclesiis campanarum, disputat Ferrarius nuper citatus lib. I. cap. VII, nec non Fr. Cancellarius in tractatu de novis campanis capitolinis cap. IV. E.

benedictae usum primus invenit Alexander papa hoc decreto: aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea omnes aspersi sanctificentur et purificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. De geniculationibus et signo crucis, tam in omnibns vetustis scriptoribus, quam in Tertulliano frequentissima mentio est. Ab ecclesiastico porro conventu prohiberi mos fuit omnes, qui quocumque nomine christianae religionis hostes esse existimarentur, aut pietatis simulatores, ut ethnici, infideles, lapsi, haeretici, schismatici, et omnes qui manifestis et magnis criminibus infames essent; auctores Origenes et Tertullianus. Propterea ostiariorum ordo in romana ecclesia institutus fuit. Hoc exemplo, in ecclesia antiochena, ut scribit Philostorgius lib. VII. n. 8, Babylas episcopus Numerianum imperatorem gentilem, nostrorum mysteriis interesse cupientem, animose probibuit. Et divus Ambrosins Theodosium augustum, ob thessalonicensem caedem, Mediolani ex ecclesia eiecit, ut omnes tradunt historiae ecclesiasticae scriptores.

CAP. IX.

De basilicis et ecclesiis urbis, et Romanorum religione.

Quum superioribus capitibus, quae ad ecclesias sive templa tamquam in universum et generatim pertinebant, disseruerim, qnia instituti bnius mei praecipua intentio est de urbis Romae basilicis et ecclesiis speciatim verba facere, nunc de his particularem narrationem aggrediar: tum quod mihi initio proposuerim, omnem antiquitatis romanae sacrae et profanae memoriam, quantum in me est, restituere; et propterea multa in hoc genere hactenus scripsi; tum etiam quod praesens argumentum iucundissimum legentibus, et non inutile futurum existimavi, si qui nunc in humanis agunt, anilibus fabulis reiectis, veram et germanam praeteritarum rerum notitiam habeant, qnae de eiusmodi rebus tradi potest. Ea vero huinsmodi est: quis singula tempia construxerit, quot vetusta

monumenta, quae ornamenta, quae reliquiae, quot sanctorum corpora, quid memoratu dignum in iis gestum fuerit, et similia. Si enim aliquo in loco unquam pietas et religio viguit, templa multa Christo sanctisque eius dedicata sunt, magnis proventibus aucta, ornata, et visitata sunt, hoc Romae factum est. Unde sanctus Hieronymus in prohoemio libri II. commentariorum in epistolam ad Galatas romanae plebis laudat fidem: ubi enim, inquit, alibi tanto studio et frequentia ad ecclesias et ad martyrum sepulchra concurritur? ubi sic ad similitudinem caelestis tonitrui amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod habeant aliam Romani fidem, nisi hanc quam apostolus recitat (1), sed quod devotio in eis maior sit, et simplicitas ad credendum. Idem intelligitur ex Prudentio libro primo contra Symmachum in his versibus:

Exultare patres videas pulcherrima mundi
Lumina, concilium senum gestire Catonum.
Sequitur longus Prudentii tractus, quem nos omisimus, usque
Atque inter veteres cera numerentur et aere.

Et Procopius de bello gothico lib. I. cap. XXV: « christianae fidei disciplinam, si uspiam alii unquam, Romani praecipue sunt venerati. » Cuius rei inter alia praecipuum et maximum argumentum est, tot ecclesiarum, xenodochiorum, monasteriorum, oratoriorum, et similium aedificiorum sacrorum magnificae fabricae, ornamenta, et redditus, quae tam priscis quam nostris temporibus in Urbe fuisse constat. Quum enim ego accurate seriem scriptorum ecclesiasticorum, et S. R. E. monumenta evolverem, ad mille templa vel monasteria aut xenodochia, diversis licet temporibus, in Urbe fuisse inveni. De quibus omnibus tractaturus, omnem illorum explicationem in duas praecipue partes distribuam. Primum enim de iis loquar sacris aedibus, quae adhuc supersunt; deinde de iis quae diu dirutae vel profanatae sunt; et quarum tantum memoria vel in libris vel in aliquibus parietinis superest. De iis vero quae adhuc supersunt verba facturus, eas etiam in duas par-

(1) Sancti Hieronymi vulgatus textus: *nisi hanc quam omnes Christi ecclesiae*. E.

tes dividam. Iu prima enim de iis loquar ecclesiis Urbis quae basiiicae (1), tituli, et diaconiae (2) tum antiquis tum nostris temporibus vocatae sunt; quae praecipuae in Urbe semper fuere, quod in his Pontifex maximus, et primarii quidam e clero romano patres Cardinalesque omnes S. R. E. residere solebant. In altera vero parte, de reliquis ecclesiis, xenodochiis, monasteriis, et oratoriis (3), item coemeteriis (4), variis titulis et nominibus distinctis, disseram. Scribere autem incipiam a basilica lateranensi (5).

(1) ttunc tractatum de basiiicis, et de aiiis romanae urbis insignioribus aiiquot ecclesiis, iatine iiabemus in primo capitulo libri primi de basilica iateranensi; italicum autem factum, instante ipso Panvinio, ab Ant. Lanfranco, editumque Romae anno ·M·D·LXX· E.

(2) Extat impressus Panvinii liber de episcopatiibus, et diaconiis Cardinaiium ad Aiex. Farnesium Card. Venetiis ·M·D·LVII· E.

(3) Partem iianc de nrbanis cunctis ecclesiis sacrisque aedificiis, quominus pro rei dignitate et magnitudine scriberet, impeditus aliis occupationibus obituque immaturo Panvinius fuisse videtur. Itaque in eius mss. nonnisi breves aridosque catalogos reperi rom. ecciesiarum, quibus ego alium multo copiosiorem et idoneis saepe documentis comprobatum substitnam. Ecclesiarum elenchus (qui mihi tamen ionge minor iusto videtur) tribus primis christianae religionis saeculis per universum orbem exstructarum extat a ceiebri Ciampinio concinnatus in monum. vet. cap. XVIII. E.

(4) De coemeteriis, et religiosis sepulturae christianorum caerimoniis, iustum se commentarium fecisse, cumque postea in epitomam redegisse, ait ipse auctor in praefatione ad dictae epitomae editionem. E.

(5) De basiiica lateranensi breviter prius scripserat Panvinius in capitulo decimo huius opusculi, quod capitulum ms. est in cod. 6781. f. 160. b. Deinde dilatato consiiio, quatuor de eadem basiiica iibros conscripsit (cod. 6110.) quorum epitomam quandam habemus in italico iibro de septem Urbis ecclesiis. Capituium autem iiiud decimum nos heic haud scripsimus, quia idem est ac libri primi secundum (in opere maiore) quod infra exhibebimus. E.

ONUPHRII PANVINII

DE SACROSANCTA BASILICA, BAPTISTERIO ET PATRIARCHIO LATERANENSI

LIBRI QUINQUE.

Capitulo et Canonicis SS. Basilicae et primae sedis lateranensis.

Onuphrius Panvinius S. D.

Maiorum monumenta, praeteritorumque temporum memorias, et res gestas memoratu dignas cognoscere, quum apud omnes gentes perhonorificum, et magna commendatione dignum semper fuerit, constat sane eas ante omnes longe maximam laudem sui studiosis attulisse, quae ad statum pertineant christianae religionis; quod ex illarum rerum notitia, multo plura, multoque praeclariora, quam aliunde usquam hauriri possint antiquae probitatis exempla, quibus ad sancte vivendum instrui confirmarique homines possunt, et rite christianam pietatem profiteri. Sed et in hisce, aliae aliis praestantiores existunt. Romanarum namque rerum in hoc genere cognitio tanto ceteris omnibus est praeclarior, quanto est caput dignius ceteris omnibus totius corporis membris. Et revera in hac sacra romana historia, tot tantaque ab ipsis statim nascentis ecclesiae primordiis referuntur, quot, quantaque vix in tota reliqua ecclesia facta memorari possunt. Ad quas ego res tractandas, cum a puero usque, ingenium operamque meam a gravissimis philosophiae et theologiae studiis convertissem; inter multas, quae altissimis vetustatis tenebris oppressa, vel hominum incuria oblitterata iacebant, egregium quoque de Urbis basilicis volumen scribere aggressus sum. Opus sane ob variam praeterea multarum aliarum rerum, quas id argumentum requirit, cognitionem, valde utile, et quod

a nemine hactenus, pro tantae rei dignitate, sit tractatum. Porro autem tanta mihi haec in secretioribus et arcanis sanctae romanae ecclesiae scriniis perlustranti, ipsius basilicae facies, tanta maiestas, tanta demum maximarum undique occurrentium rerum ubertas sese obtulit, ut merito eam cunctarum ecclesiarum matrem et caput, veteres sanctos Pontifices appellasse existimaverim. Scribere igitur exorsus, quum a totius orbis terrarum principe, vestra lateranensi basilica, initium fecissem, ea, quorum breviusculos indices nunc referam, in unum collecta ex vetustissimis sacris scriptoribus, et romanae sedis monumentis in lucem produxi, et cum vestri praecipue nominis praescriptione, in publicum exire volui. Aequum enim mihi visum est, ut vobis, quibus eiusdem sanctissimae basilicae praecipua cura incumbit, quique eam sacris operaturi assidue frequentatis, de eodem templo scriptum opus nuncuparetur. In quo quicquid scitu memoratuque dignum ibidem, postea quam ipsa est basilica exstructa, factum unquam fuit, quinque est libris accurate a nobis expositum.

CAPITA PRIMI LIBRI.

CAPITA SECUNDI LIBRI.

CAPITA TERTII LIBRI.

CAPITA QUARTI LIBRI.

CAPITA QUINTI LIBRI.

Haec porro quis non maxime scitu digna iudicabit? quae a me ita tractata sunt, ut facillime a litterarum etiam imperitis comprehendi queant. Librum igitur cum vestri nominis titulo prodeuntem aequis animis accipite, quem si, quando per otium licuerit, legere curabitis, suscepti vos laboris nunquam paenitere existimo, et me ipsum non improbaturos, qui tot rebus iam caeca tenebrarum nocte oppressis lucem aliquam hoc tractatu adferre totis viribus curaverim. Valete. Romae kalendis mart. anno Domini ·M·D·LXII·

EDITORIS MONITUM.

Panviniani operis de basilica lateranensi delineationem vidimus in quinque libros distributi, quorum tantum priores quatuor in codice vat. 6110. *accurate descripti extant, quamquam in hoc etiam codice praefatio auctoris quinque promittit. In codice autem* 6781. *quinti quoque libri capitulorum tituli traduntur, sed et priorum librorum nonnisi partes adsunt, et quintus pariter liber desideratur, cuius scribendi defuisse tempus Panvinio arbitror; praesertim quia collectio ex tabulariis atque regestis bullarum tot ac privilegiorum a Pontificibus maximis ei basilicae concessorum, haud brevis lepidusve labor futurus erat.*

Nunc mihi deliberanti, utrum id panvinianum opus typis traderem, nec ne, primo quidem innotuit compendium eius quoddam extare in Panvinii eiusdem libello, quem italice scriptum legebam in romana editione anni .M·D·LXX· de septem Urbis insignioribus ecclesiis: verum id breviarium tam est exiguum, prae latini operis magnitudine, ut huius editionem nullatenus impedire queat. Sed enim aliud gravius accessit panviniano operi incommodum vel infortunium, quod haud scio an quisquam ante hanc diem satis agnoverit: dum enim in arcanis forulis bibliothecarum labor hic paucis cognitus diutissime delitescit, Caesar Rasponius lateranensis basilicae canonicus, centum fere post auctoris obitum annis non mediocre de ea basilica et patriarchio volumen edidit, et Alexandro ·VII· pontifici obtulit, in quod panvinianum codicem plenis manibus transtulit. Quippe Rasponius et opus suum in quatuor similiter libros dispescuit (etenim Panvinii quintum nusquam extitisse iam diximus) et plerosque omnes capitulorum titulos, ordinemque ipsum ex dicto codice sumpsit, ac prope universam argumenti sui doctrinam et tractationem indidem mutuatus est, additis de suo partibus illis, quae ad renovatam postea basilicam pertinent. Utique in praefatione profitetur Rasponius nomina Iohannis diaconi lateranensis, Anastasii bibliothecarii, et Cincii camerarii, quorum scriptis adiutum se ait: revera tamen, etiamsi his praetermissis, unum Panvinium in eo prohoemio appellasset, praecipuam sui libri originem satis indicavisset. Non eo tamen inficias quod Rasponius aliquem Panvinio honorem attribuerit: nam lib. IV. cap. I. post eius laudem, tamquam auctoris locupletissimi, et eximia omnis antiquitatis cognoscendae sollertia praediti, diserte ait se ab eo pleraque sumere quae de lateranensi patriarchio dicturus est. Recte sane; sed tamen hoc testimonium alibi etiam ac saepius a Rasponio dictum pervellem. Item lib. III. cap. XIV. tractum uberem de bibliothecis, et praesertim de lateranensi, ex ore disertissimi, ut ait, Panvinii recitat. Alibi quoque, etsi paulo rarius, Panvinii nomen memorat; non ita tamen ut lectores, sine codice Panvinii, verum tot notitiarum auctorem agnoscere queant.

Quae quum ita sint, meo quidem iudicio, dignus est adhuc Panvinii codex, ut in lucem a studioso aliquo protrahatur, primo quia opus continuum et integrum multo utilius legitur quam eius excerpta: deinde quia res quaevis ab alienis interpolationibus libera, gratior est: praeterea ut debita ad Panvinium post fata laus redundet: denique ut codicis 6110, *qui unicus inter vaticanos Panvinii opus integrum servat, ruinae succurratur; etenim atramenti veteris acrimonia sic chartam multis in locis rosit, ut scriptura fatiscens ad exitium vergat. Verumtamen mei consilii atque instituti non erat, tam defloratum simul vastumque opus, in hoc Spicilegio concludere. Satis igitur mihi sit unum exhibere capitulum, primi scilicet libri secundum, quod Rasponius nonnisi breviter p. 7. seq. expilavit. Sic ergo luculenter Panvinius.*

LIBRI I. CAPUT II.

De basilica lateranensi, et huius vocis origine, et Lateranorum aedibus.

De nobilissima, et toto orbe terrarum primaria ecclesia, sive basilica, quae sancti Salvatoris nomine in celeberrimis Lateranorum aedibus Romae in monte Caelio a Constantino magno imperatore prima in imperio romano fabricata est (quare et constantiniana et lateranensis vocitata fuit) verba facturus, non alienum ab hoc instituto esse existimo, primum de utriusque nominis ratione et origine disputare, deinde cur basilica ipsa lateranensis vocata sit disserere. Basilica igitur ἀπὸ τοῦ βασιλέως, hoc est a rege, dicta, latine regia dici potest, idest domus regis: graeci enim βασιλικὴν regiam appellant, in quibus quia antiquitus tamquam locis publicis negotiationes, consilia, et iudicia exercebantur, hinc factum est, ut loca in quibus eiusmodi res tractarentur, proprie basilicae postea sint vocatae, quamquam nullus amplius in iis rex habitaret. Unde Vitruvius libro V. cap. I. basilicas foro adiunctas esse debere scribit. Seneca (1): fremitu iudiciorum basilicae resonant. Et Plinius in

(1) De ira lib. III. cap. XXIII. E.

epistola 21. lib. V: «descenderam in basilicam Iuliam auditurus quibus proxima comperendinatione respondere debebam.» Postea basilicae verbum latius se extendit. Nam iurisconsulti de verborum significatione, basilicam esse dicunt locum publicis omnibus usibus accommodatum. Quidam basilicam accipiunt pro loco domus ampliore, in quo dominum expectabant salutatores; clientes patronos; servi heros; in quo et choreae, et convivia maiora fieri solebant, unde et dominica vocabantur.

Quum vero christianismus passim, abrogato ethnicismo, vires acquireret, et veteres christiani Constantini edictis liberi Christum colere possent (quod iis ad ea usque tempora interdictum fuerat) tum aedes publicas sacras, ad quas convenirent sacra tractaturi, plurimas et magnificentissimas fabricare coeperunt: quas quia non ad templorum gentilium formam quadratas, vel rotundas, ne ethnicos aemulari viderentur, sed oblongas basilicarum more exstruebant, eas non templa, sed basilicas vocare coeperunt; tum ob eam causam, tum quod ibi regi omnium Deo cultus et sacrificia fiunt. In omnibus enim rebus gentilium superstitionem veteres christiani aversati sunt, et praesertim in ritibus et caerimoniis religionis, ne quod gentiles daemoniis, ipsi Deo vero attribuere viderentur. Basilica igitur apud ecclesiasticos, idem est quod apud gentiles templum, sed maximis substructionibus fabricata, quemadmodum sunt Romae lateranensis, apostolorum Petri et Pauli, et aliae, de quibus mox disseram. His expeditis, nunc de voce lateranensi dicam.

Laterani igitur, quod cognomen vetustissimae gentis Sextiae plebeiae fuit (fuit enim et Sextia patricia) incerta origo, ut aliorum multorum est. Ego id vel a latere, quod terrae in fornace excoctae corpus solidum est, quo in fabricis utimur; vel a latere, quod est infra alam, originem habere existimo. Ut ut illud sit, eo primus romanorum omnium, quod sciam usus est, ut ex fastis marmoreis capitolinis liquet; L· Sextius, Sex· F· N· N· Sextinus, qui Lateranus etiam cognominatus est. Hic cum ·L· Aemilio, L· F· Mamertino patricio primus consul Romae e plebe creatus est anno Urbis ·CCCXCVIII· (1)

(1) Legesis Panvinii nostri commentarium in fastos ad hunc annum. E.

quum eius tribuni plebis praecipue opera, plebs post multas seditiones et certamina consulatum e patriciorum potestate in se etiam transtulisset. Hunc Diodorus ·L· Lateranum vocat. Post hunc nullius Laterani mentionem fieri inveni usque ad Neronis, et sequentium imperatorum tempora. Nam sub Nerone Plautii Laterani; sub Marco Aurelio Sextilii Laterani; sub Severo, ut opinor, Claudii Laterani mentio extat. Plautium Lateranum suffectum consulem designatum ·P· Silio Nerva, et ·C· Iulio Attico Vestino cos. anno Urbis ·DCCCXVIII· Neronis vero Imperii ·XI· in pisoniana coniuratione profitetur Tacitus lib. XV: «Annaeus Lucanus, inquit, Plautiusque Lateracos. des. vivida odia in Neronis coniurationem intulere. Lucanum propriae causae accendebant; Lateranum consulem designatum nulla iniuria, sed amor rei publicae sociaverat.» Et paulo post: « proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adiungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus poenis sepositum, manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec tribuno obiiciens eandem conscientiam. De Sextilio Laterano Iulius Capitolinus in vita ·L· Veri imperatoris: post quaesturam, inquit, statim consul est factus cum Sextilio Laterano. Fuit is annus Urbis ·CMVII· cuius consulatum commemorat haec vetusta marmorea tabula.

SEXTILIO . LATERANO
AQVILIO . ORFITO . COS.

Claudii Laterani mentio extat in vetusta hac inscriptione, quae est Augustae Vindelicorum in domo Chunradi Peutingeri sic.

MERCVRIO
CVIVS . AEDES . A . TERGO
SVNT
AP . CL . LATERANVS
XV . VIR . SACR . FAC.
COS . DESIGN.
LEG . AVG . PRO . PR.
LEG . III . ITAL.
V . S . L . M.

Quando vero is consul fuerit, incertum. Illud tamen constare potest, eum post Marci imperatoris tempora fuisse necesse

esse; nam Marcus legionem III. italicam, cuius hic propraetore dicitur, instituit, ut libro LV. refert Dio. In fastis consularibus, cuiusdam Laterani mentio extat sub Severi imperio anno Urbis ·CML· cum Rufino consulis; sed is an Claudius Sextilius, Plautiusne fuerit, incertum. A quo autem potissimum horum lateranenses aedes, quas Romae in monte Caelio, ubi nunc est basilica constantiniana, fuisse refert in Marci imperatoris vita Iulius Capitolinus, primum constructae vel nominatae fuerint, non ita clarum est. In Marco quidem Aurelio sic scribit Capitolinus: «Marcus imperator natus est Romae in monte Caelio VI. kal. maii in hortis, avo suo II. et Augure cos. Educatus est in eo loco, in quo natus est, in domo avi sui Veri, iuxta aedes Laterani.» Hinc eius aeneam equestrem statuam per longa annorum saecula eo loci permansisse constat.

Iuvenalis Lateranorum aedes, quas egregias esse conscribit, Plautii Laterani cos. des. a Nerone interfecti fuisse subindicare videtur satyra decima, ubi de Neronis saevitia loquitur, cum ait:

Temporibus diris igitur iussuque Neronis
Longinum, et magnos Senecae praedivitis hortos
Clausit, et egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors.

Iuvenalis sententiam confirmare videtur sanctus Hieronymus in epitaphio Fabiolae: «quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri in semet reversa, saccum indueret, et errorem publice fateretur, et tota urbe spectante romana, ante diem paschae in basilica quondam Laterani, qui caesariano truncatus est gladio, staret in ordine paenitentium?» Nullius enim praeterea Laterani mentio extat ab aliquo imperatore occisi, praeter quam huius Plautii. Quare si iste Plautius is est, cuius aedes lateranenses fuerunt in monte Caelio, necesse est eum Lateranum, qui sub Severo consul cum Rufino fuit, e gente Plautia fuisse, huiusque Laterani a Nerone interfecti pronepotem, vel abnepotem. Ipse enim Severo augusto gratissimus, atque in omnibus bellis civilibus et externis maximo usui fuit. Quapropter, ut inquit Aurelius Victor in Severi vita, ab eo val-

de ditatus est. Ex quibus divitiis avitas aedes lateranenses magnificentissimas refecit in Caelio. Ait enim: «Severus benevolentia, quo inclinasset, mirabili ac perpetua, ad quaerendum diligens, ad largiendum liberalis, in amicos inimicosque pariter vehemens. Quippe qui Lateranum, Cilonem, Anulinum, Bassum, ceterosque alios ditaret, aedibus quoque memoratu dignis, quarum praecipuas videmus Parthorum, quae dicuntur, et Laterani.» Unde tam Sex. Rufus, quam ·P· Victor in libris, quos de regionibus urbis Romae scriptos reliquerunt, in regione II. Caelimontium, domos Parthorum et Laterani singillatim commemorant. Ab hoc igitur Laterano Severi amico insignes illas lateranenses aedes factas, sive restitutas esse, facile intelligere ex Sexto Victore possumus. Quarum possessionem, forte virili Plautiorum genere deficiente, sive per confiscationem, vel alio quovis casu, fiscus progressu temporis occupavit. Nam victo et occiso Maxentio, centesimo decimo anno post Lateranum illum, eas in potestate Faustae augustae uxoris magni Constantini fuisse, elicitur ex Optato milevitano libro I. contra Donatistas cap. XXIII, ubi ita scribit: ab imperatore Constantino iudices dati sunt in causa Caeciliani carthaginiensis episcopi, Maternus coloniensis, Rheticius augustodunensis, et Marinus arelatensis episcopi, quibus Romam venientibus, convocatis a papa Miltiade quindecim aliis italis episcopis, in domo Faustae lateranensi concilium coactum est, Constantino et Licinio augustis III. cos. sexto nonas octobris die, feria sexta. Fuit is annus Christi CCCXIII (1); quo anno, quarto idus decembris Miltiades papa moriens successorem habuit in episcopatu romano magnum Silvestrum, inter omnes romanos pontifices clarissimum, cuius rogatu, ut Damasus refert, imp. Constantinus, qui Romae per eos annos commorabatur, aliquot magnas basilicas, et in his lateranensem, construxit.

(1) Sic in fastis consularibus Panvinius, qui tamen in chronico Pontificum orditur S. Silvestri pontificatum anno sequente CCCXIIII. E.

EDITORIS MONITUM.

Ad aliud nunc accedimus doctissimi Panvinii opus de basilica vaticana, septem libris comprehensum, quod in codice vat. 7010. *plenum extat, sed ab amanuensibus imperite scriptum: quamobrem mihi ad alios quoque codices respiciendum fuit, nempe ad* 6115. *autographum; itemque ad* 6780. *partim aeque autographum; verum hi duo nonnisi stamen veluti operis continent: denique ad codicem* 6237, *haud quidem malae frugis, sed tamen imperfectum. Ceteroquin hac ego adiutus exemplarium copia, panviniani scripti meliorem demum lectionem consequi potui. De basilica vaticana duo leguntur apud Bollandianos tomo iunii septimo prisci tractatus, quorum prior a Petro Manlio Alexandro III. PP. inscriptus, Romae primum editus fuit a Paulo de Angelis: alter vero Maphaei Vegii, qui sub Eugenio ·IV· et Nicolao ·V· floruit, quem ego quoque tractatum in vat. codicibus videram, sed mox a bollandiano Ianningo curatam eius editionem cognovi. De aliis qui ante se id argumentum tractarunt dicturum in praefatione generali Panvinius promisit; verum ea praefatio in nullo ex praedictis codicibus superest, sive ea exciderit, sive numquam conscripta fuerit: namque Panvinium supremam manum huic vaticano operi non imposuisse, exploratum est: quod nihilominus Alpharanus (apud Bonannium hist. templi vat. cap. VIII.) prae ceteris de hac re tractatibus admiratur atque extollit, Ianningus autem suis oculis cernere frustra optavit.*

Sane neque Ciampinius, etsi librum de sacris aedificiis Romae scribebat, quo tantopere vat. basilicam illustravit, panvinianum scriptum se vidisse dicit: neque ipsi Bonannio prae manibus fuisse puto, qui in sua vat. templi historia tot aliis scriptoribus utitur, numquam Panvinio: etsi enim et initio eum nominat, et ad suam paginam 132. *citat in margine Panvinium ms. de rebus memorab. basil. vat. cap.* 4, *alieno potius testimonio, ut puto, utitur; neque enim fieri poterat ut Bonannius in suo tam diligenti et operoso libro, locupletissimum omnium argumenti sui tractatorem Panvinium neglige-*

ret. Praeter quam quod, citato capitulo, libro indicto, nihil magnopere de ea re se scire denotat. Sed ne Dionysius quidem in libro de cryptis vaticanis Panvinium se legisse innuit; docti autem duumviri, qui nuper appendicem Dionysio appinxere, noverunt quidem Panvinii scriptum, sed eo perraro utuntur; quod contra facit saepe Fr. Cancellarius in opere de secretariis basil. vat. Vetustiori Hugonio non fuisse id incognitum, patet ex eius libro de stationibus p. 86; *idque pariter aio de Severano, lectis eius pp.* 74. *et* 91. *de septem Urbis ecclesiis: postremo id adfirmo etiam de Platea ephemer. vat.* 30. *iun. p.* 386. *Reliquos auctores non persequor; et quidem a minutioribus puto citari tantummodo vel intelligi scripta edita Panvinii de septem ecclesiis, et de coemeteriis.*

Mihi vero editionem operis panviniani molienti, etsi id plane egregium et luce dignissimum iudicabam, nihilominus cavendum videbatur, nequid his meis tomis complecterer, quod vel in aliis Panvinii libris publice extaret, vel nimia ubertate diffflueret, vel controversiam de primatu inter duas basilicas lateranensem et vaticanam respiceret: satis enim contenti sunt Canonici vaticani privilegiis plurimis a celebri constitutione Benedicti XIV. (bullar. Ben. T. III. p. 478-512.*) confirmatis et auctis: praeter quam quod ipsius Panvinii sententia varia fuit, qui* ἀλλοπρόσαλλος *modo lateranensi modo vaticanae basilicae primatum adseruit, ut vaticani codices perspicue demonstrant. Ego igitur primum librum totum omisi, quia tribus illis Panvinii, quos de primatu Petri impressos legimus, tota haec materia, et quidem saepissime ad litteram, continetur. Secundo autem libro capitulum detraxi de coemeteriis, quod olim editum extat; nonum item capitulum de Constantini historia notissima; nec non decimum, cuius argumentum iam p.* 187. *recitatum a nobis fuit; denique ultimum utpote nihil novi recitans amputavi. Tertium vero librum paene totum retinui, quia prae ceteris materialis basilicae et circumstantium sacrorum aedificiorum descriptionem diligentem exhibet. Ex quinto pauca, pauciora ex sexto, pleraque omnia ex septimo ob dictas causas excerpsi.*

ONUPHRII PANVINII

DE REBUS ANTIQUIS MEMORABILIBUS, ET PRAESTANTIA BASILICAE SANCTI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS

LIBRI SEPTEM.

PRAEFATIO.

Antiqua sacrae historiae monumenta accuratius repetenti, et (quae ecclesiasticarum rerum non exigua pars est) a praestantissimis viris divina templa exaedificata consideranti, mentem et sensus meos hebetavit ac perstrinxit maiestas, magnitudo, atque undique occurrentium pulcherrimarum rerum copia, quas toto terrarum orbe, de augustissima primariaque basilica sancti Petri apostolorum principis vaticana, per omnia ecclesiae catholicae commentaria passim inveni; quae talia tantaque sunt, ut si quis ea scriptione comprehendere voluerit, praeclarissima ingenia defatigare, vocalissimas voces extinguere, indefessas in scribendo manus remorari posse videantur. Ita ut vere beatus Gregorius in tertio dialogorum libro scribat, quod si cuncta quae in beati Petri ecclesia gesta sunt evolvere quis conetur, ab omnium iam procul dubio narratione conticescet. Omitto substructionis antiquae et novae magnificentiam, aurea argentea sericeaque ornamenta, sacratissimas sanctorum martyrum reliquias: nihil Romae a mille trecentis annis praeclarum, egregium, memoria et scriptu dignum actum est, cuius maiorem partem non sibi basilicae vaticanae locus auctoritasque vindicaverit. Et ut de multis pauca percurram, sacramentum illud, quod indiculum appellabant ab electo statim Pontifice de recta fide in Vaticano praestari solitum, publicaque eiusdem sanctae fidei ac mandata litteris professio, ex hac ad cunctos christianos populos basilica mittebatur. Ibi consecratio, et coronatio non solum pontificum, sed etiam regum et impera-

ratorum. Ibi supremus eorumdem sepulchrorum honos, et religio, ibi conciiia de magnis ecclesiae rebus, ibl sollemnes stataeque suppiicationes et litaniae, ibi anni iubilaei sollemnia, et sanctorum canonizatio, ibi palliorum archiepiscopalium consecratio et susceptio, ibi alia multa praeclara et memoratu digna celebrata, quae passim infra variis locis a me litteris tradentur.

Quorum ut maior illustriorque auctoritas esset, sapientissimi illi, sanctissimi maximique antiqui patres sanxere, ut ea potius ibi, quam alibi fierent ubi requiesceret summus ipse apostolorum princeps Petrus, religionis nostrae caput et magister, cuius causa iure et merito etiam sacra ipsa basilica illi dicata cunctas alias uti nomine et auctoritate, ita magnarum quoque rerum honoribus et privilegiis antecederet. Erga quam tanta fuit perpetuo summorum pontificum, imperatorum, regum, et aliorum principum affectio, amor, devotio, ut quae eius unius ornandae causa erexerint altaria, oratoria, sacelia, sepulchra, domos, palatia, balinea, formas, moenia; quibus eam ornaverint pavimentis, columnis, epistyliis, tectis plumbeis, picturis, caelaturis, marmoreis incrustationibus; quae dona ei sericea, aenea, argentea, aurea, gemmata; quas possessiones, agros, vilias, fundos, massas, redditus, vectigalia contulerint, si quis litteris mandare velit, nullum scribendi neque initium neque finem invenire posse videatur. Tanta vero privatim romanorum Pontificum fuit erga unam hanc ecclesiam reverentia, ut quamquam nullum apud eam, quod incolere commode Pontifices possent, esset habitaculum, utpote extra urbem loco parum commodo, parumque tuto expositam, ad ipsam tamen ilii ex Laterano, ubi non tam commode et tute, quam magnifice habitant, saepissime praecipue diebus festis nativitatis Christi, epiphaniae, paschatis, ascensionis, pentecostes, et cum quid magnum sollemne memoriaque dignum acturi essent, clero populoque romano comitante procederent; quasi nullam ingentium earum rerum quas agi oporteret, nisi in basilica illa fieret, auctoritatem habere putarent.

His igitur tot tantisque rebus inflammatus, nefas esse pu-

tavi, si tot romanis basilicis a me celebratis (1), templum vaticanum omnium primarium silentio praeterirem. Integram igitur, magnamque de eo tractationem instituens, eam septem libris digessi: primo sancti Petri vitam, et quae ante Constantinum pertinent: secundo Constantini res gestas circa basilicam vaticanam: tertio eiusdem basilicae topographiam, ornamenta, reliquias, et mysteria explicavi: quarto eiusdem basilicae ceteris collatae praestantiam et praerogativas; quinto et sexto varios eiusdem honores et dignitates comprehendi: septimo ecclesiam novam, veterem quae superest, palatium, bibliothecam vaticanam, et urbem Leoninam descripsi. Primi libri initium ab apostoli Petri vita convenientissime auspicabimur, deinde reliqua huic argumento necessaria prosequemur. Quare fiet, ut multa, quae iam hominum incuria exolevere, restituantur; cunctorumque mortalium, summa eius dignitate et excellentia cognitis, amor, pietas, devotio erga eam augeantur.

CAPITA PRIMI LIBRI.

(1) Intelligit librum editum de insignioribus Urbis ecclesiis, vel maius lia quod opus quod non absolverit. E.

CAPITA SECUNDI LIBRI.

CAPITA TERTII LIBRI.

CAPITA QUARTI LIBRI.

CAPITA QUINTI LIBRI.

XVI. Sudarium S. Salvatoris in basilica sancti Petri conservatur.
XVII. Plures stationes in praecipuis diebus festis.
XVIII. Quod iuramentum ad altare sancti Petri praestabant patrimonii sanctae rom. ecclesiae rectores noviter instituti; item ecclesiae militantes.
XIX. Papa census regnorum, provinciarum, et civitatum, ac protestationes sollemnes suscepit in porticu sancti Petri.
XX. Quod presbyterium ibidem clero romano dabatur.

CAPITA SEXTI LIBRI.

Praefatio in sextum librum.
Cap. I. Quod iurabant episcopi et metropolitani obedientiam S. R. E. super altare sancti Petri.
II. Quod pallia de corpore sancti Petri ibidem tantum assumuntur pro archiepiscopis.
III. Sollemnes episcoporum et regum excommunicationes absolutionesque, quae ad Papam spectant, in hac tantum basilica sunt celebratae.
IV. Limina apostolorum ab episcopis visitata.
V. Episcopi haeretici suos errores in ea abiurabant.
VI. Iurabant reges super altare sancti Petri.
VII. Omnes reges ibidem tantum coronati.
VIII. Imperatores ibidem tantum coronantur.
IX. Imperatores, reges, et viri clarissimi mortui Romae, ibidem sepulti sunt, Honorius, Valentinianus III, Otho II, Maria, Thermantia, Hagnes augusta, Probus praefectus praetorio, Cedoaldus et Offas reges Anglorum, et alii.
X. Papa electus sollemne sacramentum quod indiculus appellabatur, in ecclesia sancti Petri praestabat de sanctis fidei dogmatibus usque ad mortem tuendis.
XI. Papae ibidem tantum consecratio, et coronatio perpetuo celebrata.
XII. Papae electi rectae fidei confessio, dogmatica epistola inclusa, ex basilica vaticana ad omnes christianos mittebatur.
XIII. Leges contra ambientes papatum antiquitus editae tabulis lapideis incisae in atrio sancti Petri locabantur.

CAPITA SEPTIMI LIBRI.

In codice vat. 6237, *si quis titulo credat, subtexitur octavus operis liber. Falso id tamen ibi supponitur: etenim nihil est aliud quam nota historia sollemnis translationis ex Graecia ad vat. basilicam capitis Andreae apostoli, Pio II. pon-*

tifice: cui subtexitur prolixa Rhodi insulae descriptio et historia, deinde Pii quoddam iter, et gesta, et cum Gallis controversia, quae nihil prorsus ad vaticanae basilicae argumentum attinent, neque Panvinii calamo unquam exciderunt.

C A P. I.

De monte vaticano, in quo condita est basilica sancti Petri.

Mons vaticanus trans Tiberim, non procul ab amne in Etruria est a ponte Milvio usque ad mare protensus, cuius pars, quae urbis muris clausa porrigitur, Ianiculum dicitur. Vaticanus vero antiquitus neque admodum frequens erat, neque ad urbem pertinebat; ita dictus, ut ex Verrio tradit Festus, quod eo potitus sit populus romanus vatum responso expulsis Etruscis. Gelius lib. XVI. cap. XVII. scribit: « agrum vaticanum, et eiusdem agri deum praesidem appellatum esse a vaticiniis, quae vi aut instinctu eius dei in eo agro fieri solita essent. M. Varro in libris rerum divinarum aliam istius nominis rationem tradit. Nam sicut Aius, inquit, deus appellatus, araque ei statuta est, quae est in infima nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat, ita vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanae initia, quoniam pueri simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quae prima in vaticano syllaba est. Idcirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis. » Augustinus libro IV. de civitate Dei cap. VIII. et XI. vagitanum, alias vaticanum, dixit deum, tamquam infantium vagitibus praesidentem, unde vagire dicuntur: ipsum, inquit, in vagitanos apponat, ut vocetur deus vaticanus, alias vagitanus. De monte vaticano Marcus Cicero epistolarum ad Atticum libro XIII. 33: « casu sermo a Capitone de urbe augenda, a ponte Milvio Tiberim duci secundum montes vaticanos, campum Martium coaedificari, illum autem campum vaticanum fieri quasi Martium campum. » De monte et agro vaticano Plinius lib. III. cap. V. (nunc IX.) « Tiberis citra ·XIII·

millia passuum Urbis, veientem agrum a crustumino, dein fidenatem, latinumque a vaticano dirimit. » De hoc monte Horatius carminum lib. I. ode XX. ita:

Clare Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul et iocosa
Redderet laudes tibi vaticani
Montis imago.

Porphyrio Horatii interpres hoc loco vaticanum montem scribit non longe esse a theatro Pompeii, quem resonuisse simul cum ripis plausu populi dicit. Martialis saepius eiusdem collis meminit, cuius vina pessima fuisse scribit (ep. I. 19.)

Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere falerno
In vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?

Quem collem cretosum vasisque fabricandis opportunum fuisse intelligitur ex Plinio et Iuvenale. Hic enim satyra VI. 344. ait:

Et vaticano fragiles de monte patellas.

Ille vero libro XXXV. cap. XLVI: « Vitellius in principatu suo II-S. decies condidit patinam, cui faciendae fornax in campis exaedificata erat. » Campos vero vaticanos intelligit (de quibus et Livius lib. X. cap. XXVI) quorum terram argillam esse ad fabricam commodissimam videmus (1). Tacitus lib. hist. II. cap. XCIII. infamem vocat: « postremo, inquit, ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars militum tetendit; inde crebrae in vulgus mortes. » De vetustissima ilice, quae in Vaticano fuit, Plinius lib. XVI. cap. XLIV: « vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus aereis litteris etruscis religione arborem iam tunc dignam fuisse significat. »

Iulius Capitolinus auctor est, L. Verum imperatorem volucri equo prasino ab se adamato, mortuo sepulchrum in Vaticano fecisse. In eodem monte vaticano ubi nunc basilica

(1) De figlinis Romae operibus videsis quae disserit Caietanus Marinius in prologo ad veteres doliares epigraphas, quem nos edidimus Script. vet. T. VII. part. 2. p. 163. seqq. Magnus in agro vaticano detectus est numerus fictilium vasorum, laterculorum, tegularum etc. quia ibi et olim fornacariae officinae fuerunt, et nunc etiam haud procul basilica exercentur, propter idoneae cretae copiam. E.

sancti Petri est, circus antiquus fuit, cuius adhuc integer suo loco extat obeliscus, in eiusdem basilicae latere, cum eiusmodi inscriptione.

DIVO . CAESARI . DIVI . IVLI . FILIO . AVGVSTO
TI. CAESARI . DIVI . AVGVSTI . F. AVGVSTO
SACRUM.

De quo Plinius lib. XXXVI. cap. XI: «tertius obeliscus, inquit, est in vaticano Caii et Neronis principum circo, ex omnibus unus omnino fractus in molitione eius, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus. Eiusdem remanet et alius centum cubitorum, quem post caecitatem visu reddito, ex oraculo soli sacravit.» Tranquillus in Claudio cap. XXI: «circenses etiam frequenter In Vaticano commisit, nonnumquam interiecta per quinos missus venatione.» Lampridius in Heliogabalo, ipsum elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse scribit, dirutis sepulchris, quae obsistebant. Tacitus historiae augustae lib. XV. 44: «hortos suos in Vaticano sitos ei spectaculo, christianis necandis, Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat habitu aurigae permixtus plebi, vel curriculo insistens.» Inde loca ea parte declivia, prata neroniana vocata. Plinius lib. XVI. cap. XL: «abies praecipuae admirationis visa est in navi, quae ex Aegypto Caii principis iussu obeliscum in vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum adduxit, qua nave nihil admirabilius visum in mari, certum est. CXXM. modiorum lentis pro suburra ei fuere.» Idem lib. VIII. cap. XIV: «boae Italiae serpentes in tantam amplitudinem exeuntes, ut divo Claudio principe occisae in Vaticano, solidus in alvo spectatus sit infans.» Hunc circum imperator Constantinus demolitus est, quando in eo maximam divi Petri honori basilicam a fundamentis exstruxit eo potissimum loco, quo crucifixus et sepultus fuerat, qui locus Petri confessio idest martyrium dicebatur, cum eum sanctus Silvester eo adduxisset. Hic mons qui specialim hodie Vaticanus dicitur, ubi est basilica sancti Petri, ad ortum spectat campos vaticanos, Hadriani mausoleum et Tiberim; ad occasum campos neronianos, in quibus ex creta et argilla vasa fiebant, de quibus supra ex Plinio et Iuvenale dixi; ad meridiem Ianiculum, quod

eius pars est; ad septentrionem prata Quinctia, montem Marii, et pontem Milvium. In eodem monte et circo aediculam Apollinis fuisse referunt Damasus et Bibliothecarius; qui Neronis quoque palatium sive amplam domum ibidem fuisse adfirmant, circum pro palatio haud dubie intelligentes, cui multa cubicula et conclavia in angulis inerant. Certe Cornelius Tacitus eo loci Neronis hortos fuisse commemorat, quos affligendis christianis obtulisse tradit. Si vero horti ibidem fuere, profecto non sine insigni aedificio eos consitos fuisse existimandum.

CAP. II.

Quod ante Constantinum, ubi nunc basilica vaticana extat, aliud templum sive ecclesia, quae principalis Romae esse potuit, fuerit.

Multa hodie, antiquis christianae reipublicae monumentis amissis, paulo obscuriora esse videntur, quae olim clarissima et manifestissima fuere: quarum rerum ita obscuratarum accurata et expressa cognitio, ex multorum locorum collatione, ex mutua singulorum veterum auctorum examinatione, facile haberi potest, ut quod auctores ipsi singillatim tacent, coniuncti aperiant. Haec apparens obscuritas cum multis rebus tum basilicae vaticanae et ecclesiae, sive martyrio illi, in quo divus Petrus apostolus et eius successores iacuere, accidit. Petri enim sepulturae locum, ante Constantini imperium persecutionum tempore, primarium in Urbe conventibus christianorum habendis, sive (ut hodie dicimus) primariam ecclesiam fuisse, quamquam dubium apud me non sit, id tamen certis argumentis (quia apertis auctorum testimoniis, quorum summam penuriam immo nullum paene habemus, destituimur) et validis rationibus probare me posse non diffido. Atque ante omnia propositiones quasdam examinandas praemittam, ex quibus quod supra dixi facile demonstrari poterit. Persecutionum tempore materiales fabricae, quas nos modo ecclesias vocamus, in quibus coetus publicos plures christiani in unum congregati agerent, perpetuo fuerunt, quae coemete-

ria, confessiones, memoriae vocabantur: ex his vero in singulis civitatibus unum praecipue instar ecclesiae cathedralis erat: divi Petri sepulchrum in Vaticano, coemeterium, confessio, memoria, et illa quidem praecipua ante Constantinum erant: ergo persecutionum tempore, et ante Constantinum divi Petri ecclesia quaedam praecipua et materialis erat; qua postea diruta, Constantinus ampliorem basilicam erexit. Constantinus vero imperator obiit anno salutis CCCXXXVII.

CAP. III.

De ecclesiis ante Constantinum.

Propositionis maioris prima pars ita probari potest. Iohannes epistola III: Diotrephes, qui amat primatum gerere in eis, fratres de ecclesia eiicit. Paulus epistola I. ad Corinthios cap. XI. numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? an ecclesiam Dei contemnitis? Et cap. XIV: sicut ubique in omni ecclesia doceo. Et rursus: mulieres vestrae in ecclesiis taceant (1). Quibus locis ecclesiae nomine locum significari, ad quem conveniebant christiani homines, docent non solum docti et sancti interpretes, sed apostolus etiam ipse ostendit, cum dicit: convenientibus vobis in unum etc. Divus Hieronymus (2) de beato Iohanne apostolo et evangelista loquens ait: « beatus Iohannes evangelista cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres, qui aderant, taedio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: magister, quare semper hoc loqueris? qui respondit dignam Iohannem sententiam, quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit. » Legimus et Athenis iisdem temporibus,

(1) Haec iam dixit Panvinius in libro de ecclesiis christ. p. 141, quo in loco casu omissus a typotheta fuit capituli titulus, qui est huiusmodi: *de ecclesiae vocabuli significatione et origine*. E.

(2) Comment. in ep. ad Galat. lib. III. cap. VI. v. 10. E.

quibus Iohannes erat Ephesi, fuisse exstructam ecclesiam sub nomine Θεοτόκου, hoc est Dei genitricis, quo loco erecta fuerat ara Deo ignoto (1). Eusebius historiae ecclesiasticae lib. VII. cap. XV: « Theotecnus Caesareae episcopus manu Marini apprehensa, eum ad ecclesiam ducit, atque intro ad ipsum sanctuarium constituto, evangeliorum librum ostendit. »

De ecclesiis in urbe Roma protonotarius S. R. E. auctor vitae S. Praxedis virginis: in titulo, quem pater Praxedis et Pudentianae virginum Pudens, nomine beati Pastoris dedicavit una cum consilio beati Pii sedis apostolicae episcopi, fontem baptismatis construere soror et ipsa student. Damasus papa in Pii papae vita: hic rogatu beatae Praxedis dedicavit ecclesiam thermas Novati in vico patricio, in honorem sororis suae Pudentianae, ubi et multa dona obtulit, et saepe sacrificium Domino offerens ministravit; ubi et fontem baptismi construi fecit, et manu sua benedixit et consecravit, et multos venientes ad fidem baptizavit. Alius protonotarius in lectionibus festi dedicationis basilicae S. Salvatoris: populus conveniebat ante Silvestrum ad ecclesias, ad collectas, ad audiendum verbum Dei, ad percipiendum dominici corporis sacramentum. Et ad sacrificandum conveniebant sacerdotes, ut ex vita beatae Petronillae intelligitur. Damasus in Calisto papa: hic fecit basilicam trans Tiberim, quae sanctae Mariae appellatur. Alius protonotarius auctor vitae sanctae Caeciliae: Urbanus episcopus apostolicae sedis domum sanctae Caeciliae ea petente in aeternum eius nomini consecravit, in qua beneficia Domini exuberant. Damasus papa in Dionysio: Dionysius papa presbyteris divisit ecclesias, et coemeteria, parochias, et dioeceses constituit. Damasus papa in Felice: Felix papa constituit supra memorias martyrum missas celebrari, et via aurelia basilicam fecit, ubi ipse sepultus est.

S. Clemens papa (2): sacerdotum, aliorumque clericorum ecclesiae servientium honores a laicorum loco discrete appa-

(1) De antiquo more dedicandi Mariae nomine sacras aedes, copiose scribit Trombellius in sexto tomo de vita et gestis B. V. Mariae dissert. XIX. quaest. III. E.

(2) Sequentia sumit Panvinius ex Gratiano de consecratione E.

rere convenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco ubi sacerdotes, et reliqui clerici consistunt (quod presbyterium nuncupatur) quando missa celebratur consistere, ut libere ac honorifice possint sacra officia exercere. » Sanctus Evaristus papa: « omnes basilicae cum missa semper debent consecrari; altaria vero placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. Si vero altaria non fuerint lapidea, ad celebranda divina officia non consecrentur. Ubi etiam ecclesia est, de cuius ambigitur consecratione, a vicinis presbyteris et parochianis fideliter requiratur. Hi ergo cum ceteris omnibus in synodali concilio ab episcopo pro suo sunt contestandi sacerdotio, si illorum temporibus vel antecessorum suorum sciant ecclesiae illius dedicationem, die, vel officio unquam fuisse celebrem. Quod si affirmando in hoc concordant, non fiat iniuria ecclesiae legitimae, vel suo defensori. Sin autem, in arbitrio sit episcopi claudere, seu aperire eam.» Sanctus Hyginus papa: «omnes basilicae cum missa debent semper consecrari, et ecclesiae destructae. Ubi autem plures sint, quam necesse sit, aut maioris magnitudinis, quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi providentia modus inveniatur qualiter consistere possint, aut restaurari. Si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia. Si tantum parietes mutantur, et non altare, salibus tantum exorcizetur. Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur, et denuo consecretur; distinct. I. 38. Ligna ecclesiae dedicatae non debent ad aliud corpus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus. In laicorum vero opera non debent admitti.» De altari quoque, in quo publice missae celebrarentur, mentio est in apostolorum canonibus tertio et quarto. Et in tertio quidem: si quis episcopus aut presbyter, praeter ordinationem Domini, alia quaedam in sacrificio offerat super altare, idest aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, et confecta quaedam, deponatur. Et in quarto: offerre non liceat aliquid ad altare, praeter novas spicas etc.

Christianorum ecclesias Romae existentes profitentur etiam ethnici auctores Lampridius et Vopiscus. Ille quidem in vi-

ta Alexandri Severi imperatoris sic: cum christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, Alexander rescripsit: melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. Vopiscus in Aureliano eiusdem epistolam recitat ita: miror vos, patres sancti, tam diu de aperiendis sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in christianorum ecclesia non in templo Deorum omnium tractaretis. Eusebius libro VIII. cap. II. persecutionem Diocletiani referens ait: imperii Diocletiani anno XIX. edicta principis per omnem terram proposita sunt, quibus praecipiebatur, ut cunctae, quae usquam sunt ecclesiae, ad pavimentum usque destruerentur. Ex ecclesiis porro, maiores principaliores, coemeteria vocata fuisse ostendam, cum quid coemeterium apud veteres christianos fuerit explicavero.

CAP. V.

Quid confessionis nomine apud christianos intelligeretur.

Confessio, quod verbum in Bibliothecario et aliis ecclesiasticis scriptoribus frequentissimum est, idem apud Latinos significat, quod apud Graecos martyrium. Hi enim ecclesias Deo privatim dicatas, dominica; martyribus vero, martyria vocabant, hoc est, in quibus martyrum memoria coleretur. Unde basilicam vaticanam, apostolorum martyrium vocat Iohannes chrysostomus. Quia vero martyr graece, latine a Cypriano confessor sive testis exprimitur, a confessore confessio manavit, ut a martyre martyrium. Est vero confessio ecclesia, in qua confessorum hoc est martyrum memoria colitur. Quos enim nos modo martyres, veteres patres, in his Cyprianus, confessores appellant, quod in cruciatibus, citra mortem intrepidi Christum confessi essent. Epist. VII. lib. II. cleri romani ad Cyprianum episcopum: «quamquam confessorum quoque, quos hic adhuc in carcere dignitas suae confessionis inclusit.» Item epist. VI. lib. II. Cypriani ad martyres et confessores: «exulto laetus, et gratulor fortissimi ac beatissimi fratres, cognita fide ac virtute vestra, in quibus mater ecclesia gloriatur;

et nuper quidem cum confessione perstante suscepta poena est, quae confessores Christi fecit extorres. Et alibi passim, qui Christum in cruciatibus et carcere confessi fuerant, modo confessores voce latina, modo etiam voce graeca martyres appellantur.

Antiquitus igitur confessio idem erat, quod martyrium, scilicet ecclesia in martyrum honorem consecrata. Nunc vero in omnibus totius orbis terrarum christianorum ecclesiis, quae duplices sunt, superior scilicet, et inferior (quales multae per totam Longobardiam, et Italiam, Romae etiam modo extant, et plures extabant); appellatur confessio usque hodie inferior ecclesiae pars sub altari maiori aedificata, ut Parmae in cathedrali, Veronae ad sanctum Stephanum, Romae ad sanctam Priscam, ad sanctum Martinum in montibus, et alibi. Sic ergo confessio dicitur locus imus sub gradibus et altari maiore ecclesiarum sancti Petri, sancti Pauli, basilicae lateranensis, sancti Laurentii extra muros, sanctae Mariae maioris, et aliarum. Quae confessio nunquam, ut de liminibus et memoria infra dicetur, sine materiali ecclesia fit. Anastasius bibliothecarius in vita Xysti III. papae: Xystus papa, inquit, fecit confessionem beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam. Fecit quoque ibi ad confessionem altare sancti Laurentii de argento purissimo librarum quinquaginta; cancellos argenteos supra platonias porphyreticas librarum tercentum; absidam super cancellos cum statua beati Laurentii argentea librarum ducentum. Igitur confessio materialem ecclesiam significat. Ita ut verbum confessio, vel ecclesia materialis sit, vel ecclesiam materialem praesupponat; neque ulla sit confessio ubi non sit altare et ecclesia. Igitur confessio non solum praesupponit, sed etiam significat ecclesiam materialem.

Oratorium quoque ecclesiam significare Bibliotecarius in vita Bonifacii papae his verbis exponit: « hic fecit oratorium in coemeterio sanctae Felicitatis iuxta corpus eius, cuius, ac sancti Silvani, sepulchra exornavit, ubi posuit haec dona, patenam argenteam librarum XX. (eucharistiae scilicet distribuendae) amam argenteam librarum XIIII. (vino pro sacrifi-

cio importando) scyphum argenteum librarum X. (pro laicis communicandis) calices minores duos argenteos singulos librarum quatuor, pro sacerdotum et clericorum usu. Item coronas argenteas tres singulas librarum XV. Ex quibus verbis liquet, in coemeteriis fuisse etiam aliquando oratoria, in oratoriis vero sacramenta, et praesertim eucharistiae, celebrata. Martyria pro locis, in quibus martyres sepulti sunt, commemorant Bibliothecarius in vita Damasi papae sic: « hic multa corpora sanctorum martyrum requisivit, quorum etiam martyria versibus exornavit. » De memoria, quam ecclesiam fuisse ostendam, infra commodius dicam.

CAP. VI.

De ecclesiis cathedralibus persecutionum tempore.

Ecclesias autem cathedrales in singulis civitatibus fuisse intelligitur ex Eusebio lib. VII. cap. XIX. ubi de Iacobi apostoli cathedra sacerdotali agit. Scribit enim: Iacobi cathedra, qui primus ab ipso Salvatore et ab apostolis Hierosolymorum episcopus est constitutus, quemque fratrem Domini divina volumina designant, usque in hodiernum diem inibi conservatur, atque in ea sedent omnes qui usque ad praesens tempus sedis illius sacerdotium sortiuntur. Servatur ergo cum ingenti studio velut a maioribus tradita memoria sanctitatis, et cum magna veneratione habetur, vel vetustatis, vel primae sacerdotii sanctificationis obtentu. Idem saepe sedem et cathedram romanam materialem commemorat ut lib. VI. cap. XXIX. Fabianum columbam episcopatu dignum docuisse, eumque continuo ab universo populo cathedrae impositum legitimum sacerdotem esse acclamatum. Et cap. XXXIX: Fabianus martyrio coronatus sedem sui episcopatus Cornelio reliquit. Et lib. VII. cap. II: post Cornelii mortem episcopatus sedem Lucius suscepit.

Erat igitur Romae episcopatus, et episcopalis sedes, quae procul dubio in ecclesia materiali erat. Eusebius idem eodem libro infra cap. XXX: « Paulus samosatenus, antiochenus epi-

scopus, in haeresim lapsus, intra ecclesiam tribunal sibi multo altius quam fuerat exstrui, et thronum in excelsioribus collocari iubet. Secretarium quoque sterni et parari sicut iudicibus saeculi solet. » Et paulo infra : « Paulus itaque episcopatu privatus est, et Domnus in ministerio ecclesiae antiochenae substitutus. Cum autem Paulus de domo ecclesiae nollet exire, imperator Aurelianus interpellatus, convenientissime decrevit iis praecipiens ecclesiae domum tradi, quibus Italiae sacerdotes, et romanus episcopus in dogmate concordes scriberent. Ad hunc modum Paulus summa cum ignominia per mundanum principatum ecclesia expellitur. » Marcellinus lib. XXII. cap. XIII. de temporibus Iuliani apostatae scribens ait : daphnaei Apollinis fano Antiochiae exusto, ad id usque imperatoris ira provexit, ut quaestiones agitari iuberet solito acriores et maiorem ecclesiam Antiochiae claudi; suspicabatur enim id christianos egisse. Ex hisce locis liquet, ecclesias et domos episcopales, quas maiores vocabant, circa et ante Constantini tempora in usu fuisse; quod si alibi, tum Romae id praecipue fuisse necesse est, cuius episcopi nobilissimi inter omnes, et ditissimi erant. Constat enim ex testimonio vetustissimorum auctorum, Romae fundatam et constitutam fuisse ecclesiam a beatissimis apostolis Petro et Paulo; et Petrum apostolum XXV. annis cathedram sacerdotalem Romae tenuisse, ibique administrandae ecclesiae episcopatum Lino primum, deinde Clementi tradidisse; atque in ea cathedra, in qua sedit Princeps apostolorum, sedisse reliquos qui suo quisque tempore legitime successerunt. Quae si ita sunt, longe ante Constantinum fuit Romae cathedra Petri apostoli, et ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis orta est, ut Cyprianus, Optatus, Hieronymus, et Augustinus affirmant.

Quod si fuit cathedra Petri Romae, ut certe fuit, et est, si sederunt triginta tres Pontifices in ea cathedra, ut certe sederunt ante quam ab imperatore Constantino constructae fuissent ecclesiae sub sancto Silvestro papa, necesse est ut intelligamus fuisse Romae loca aliqua Deo ipsi consecrata, quae generali vocabulo ecclesiae, speciali a Latinis oratoria, a Graecis εὐσχητήρια, nonnumquam μαρτύρια, templa item, coemete-

ria, confessiones, memoriae, nominantur, quibus Pontifices ipsi suo quisque tempore cum christiano populo conventus habere, collectas facere, baptisma, eucharistiam, et alia sacramenta christianis ministrare, evangelicis praeceptis illos instruere, postremo ad charitatem mutuo exercendam hortari, quemadmodum de divo Iohanne evangelista narrat sanctus Hieronymus. Quae Deo sacrata loca si Romae fuisse nos fateri necesse est, quod etiam supra abunde probavimus, quisnam locus eorum praecipuus decentiorve fuisse putabitur, Christoque magis acceptior, quam is qui sanctissimorum apostolorum Petri et Pauli sanguine consecratus, perpetuisque trophaeis illustratus, Romam ipsam ad eam gloriam provexit, ut esset gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia? ut caput orbis effecta latius praesideret religione divina, quam dominatione terrena, ut praeclare Leo papa in sermone natalitio sanctorum apostolorum profitetur.

C A P. VII.

De coemeterio, sive memoria, sive confessione sancti Petri in Vaticano.

Vaticanum vero coemeterium, seu coemeterium fontis sancti Petri, quia ibidem etiam baptisterium erat, ut illud vetustissimi libri censuum camerae apostolicae auctor Cencius camerarius, qui postea Honorius III. fuit; sive oratorium aut memoriam, ut Anacletus, et antiquus notarius; sive confessio, ut idem notarius vocant; procul dubio amplissimam primariamque fuisse ecclesiam, dubium non erit isthaec consideranti: quae trecentis plus minus annis ante Constantinum iuxta templum Apollinis, Caiique et Neronis circum, via triumphali in hortis neronianis, ubi nunc est basilica sancti Petri apostoli, condita fuerat, ut Damasus tradit, in qua praeter beati Petri corpus, decem sanctorum quoque romanorum Pontificum, qui eidem apostolo successerunt, scilicet Lini, Cleti, Anacleti, Evaristi, Xysti, Telesphori, Hygini, Pii, Eleutheri, Victoris, et aliorum innumerabilium martyrum ossa prope san-

cti Petri corpus iacuisse refert Damasus papa. Et Cornelius papa epistola prima scribit, se Petri corpus decenter posuisse inter corpora sanctorum episcoporum in Vaticano. Adiicit Petrus Manlius multa corpora sanctorum episcoporum et martyrum ob reverentiam beati Petri in Vaticano prope eius corpus sepulta fuisse. Horum decem Pontificum corpora in basilica vaticana a Constantino condita, dextera eiusdem basilicae parte, secus murum inter templi minorem portam, et altare sancti Gregorii, atque chorum ubi hodie canonici divina officia celebrant, collocata fuisse auctor est idem Petrus Manlius, qui id se ex maiorum relatione, et antiquis monumentis intellexisse tradit.

Hoc coemeterium, oratorium, confessionem, memoriam, sive universali nomine ecclesiam, ubi episcopi romani sepulturae tradi possent, cum aliis aliquot, a sancto Anacleto papa Petri apostoli discipulo coustructum, exaedificatum, et exornatum fuisse tradit his verbis in eius vita Damasus papa: hic memoriam fecit beati Petri, et composuit, hoc est locum sepulchri eius condidit, et exornavit (dum presbyter factus fuisset a beato Petro) sive alia loca ubi episcoporum corpora sepulchro reconderentur. Ex quibus verbis intelligimus fuisse oratorium illud, vel coemeterium, vel ecclesiam constructam ab Anacleto, cum adhuc esset presbyter: ita ut intelligere possimus eodem fere tempore, vel paucis annis post Petri martyrium fuisse constructam ecclesiam illam, vel coemeterium, aut memoriam, vel monumentum. Fieri enim potest, et a Damaso dicatur memoria, quod a Graecis dicitur μνημεῖον hoc est monumentum, sive oratorium, coemeterium, aut generali nomine ecclesiam appellare velimus. Illud vero satis constat, romanos Pontifices et christianos homines semper reveritos et veneratos fuisse locum, quem beatus Petrus apostolus sanguine suo consecravit; quippe qui (ut ait S. Leo pontifex) « in sacro beatae dormitionis toro eadem, qua praesedit, carne quiescit. »

Ceterum hoc loco memoriam pro monumento et loco religioso, cui aedes sacra sive ecclesia imposita sit, in qua missae super altare dicebantur, ministeria fiebant, conventus ce-

lebrabantur, tum ex iis quae infra afferam, tum ex alio hoc Damasi loco interpretor. Ait enim in vita sancti Felicis papae, et martyris: « hic constituit supra sepulchra, sive memorias martyrum, missas celebrari. » Quod si missae ibidem celebrabantur, idque nonnisi coram multitudine tunc fiebat, certe sequitur pro memoria ecclesiam nos debere interpretari, quae praeter quam sit ecclesia eius sancti, cui dicata est, memoriam vel monumentum intra se comprehendit. Nam ecclesiae solius voce sacram tantum aedem sine ullo insigni monumento Damasus intelligit. Hanc rem confirmat canon XX. concilii gangrensis, cum ait: « si quis superbiae usus affectu conventus abominatur qui ad confessiones martyrum celebrantur, et ministeria quae in eis sunt simul cum eorum memoriis execratur, anathema sit.» Nicolaus papa in epistola ad Michaëlem imperatorem constantinopolitanum: coram omnibus nationibus, quae penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur. » De eodem coemeterio sive ecclesia sancti Petri mentionem faciunt veteres patres, Cletus apud Martinum, Anacletus apud Gratianum, Protonotarius sanctae romanae ecclesiae in vita sancti Hermetis sub Alexandro papa, Caius apud Eusebium, divus Cyprianus libro I. epist. III. ad Cornelium papam, alius Protonotarius in vita sanctorum martyrum Marii, Marthae, Audifacis, et Abachum, et alii, quorum singulas sententias ad verbum hic adiiciam.

Cletus papa omnibus populis scribens approbat, et commendat peregrinationes ad sanctos, et maxime ad limina sancti Petri, asserens quod validior est ad salutem sancti Petri visitatio, quam duorum annorum ieiunium; et illos anathemate execratur, qui visitationem apostolorum impediunt et dissuadent. Anacletus papa Cleti successor apud Gratianum distinct. XCIII. 4. « Iuxta sanctorum patrum, et canonum instituta omnes episcopi, qui huius apostolicae sedis ordinationi subiacent, et qui propinqui sunt annue circa idus maii sanctorum principum Petri et Pauli praesententur liminibus, omni occasione seposita. Qui vero de longinquo sunt, iuxta chirographum suum impleant. Qui autem huiusmodi constitutionis contemptor extiterit, praeter quam si aegritudine fuerit detentus, sciat

se canonicis subiacere sententiis.» Protonotarius sanctae romanae ecclesiae, qui vitam sancti Hermetis martyris scripsit, et sub sancto Alexandro papa vixit, quae vita legitur in veteri breviario ita scribit: «tunc increpare me coepit nutrix eius dicens: si eum ad limina sancti Petri duxisses, et credidisses Christo, filium tuum incolumem haberes.» Quoniam hoc verbum limina, alieno quo accipitur a scriptoribus ecclesiasticis et romanis Pontificibus sensu detorqueri posset, illud scitu dignum, limina de nullo loco, monumento, aede sacra, coemeterio, basilica, sive ecclesia unquam usurpatum fuisse, nisi de vaticana, vel de loco, in quo apostolorum corpora iacuerunt, cuius in antiquis ecclesiae monumentis frequentissima mentio est. Sanctus Gregorius papa registr. lib. I. ep. VII. ad Anastasium patriarcham antiochenum: «vos honore restituto ad sancti Petri apostolorum principis limina venire.» Bibliothecarius in vita Theodori papae: «Pyrrhus patriarcha constantinopolitanus ex Africa in urbem Romam ad limina apostolorum venit; qui ingressus libellum obtulit apostolicae sedi.» Et in Claudiano versus de basilica vaticana loquens: per cineres Pauli, per cani limina Petri. Per limina igitur ecclesiam materialem intelligi ex eo liquet, quod basilica sancti Petri usque ad hodiernum diem limina apostolorum vocatur, quae vox nulli parvo aedificio attribuitur, sed tantum magno, et ei quidem soli beati Petri, quod fit propter reverentiam.

Nam templum Petri adeuntes in ipsis liminibus procumbebant veneraturi eiusdem corpus. Eius rei similitudine hodie dictum illud usurpamus ire ad pedes Pontificis, quod propter reverentiam dicitur, cum tamen intelligatur coram Pontifice. Ad locum glossae, quod per limina intelligatur Pontifex, animadversione dignum id primo historice et materialiter intelligi debere, alias sententia Cleti esset nulla, quando ait: quod plus valent peregrinationes ad sanctos, et maxime ad limina sancti Petri visitatio, quam duorum annorum ieiunium. Id quod intelligi de Pontifice nullo modo potest, cum Anacletus diserte dicat: omnes episcopi sanctorum principum Petri et Pauli circa idus maii annue liminibus praesententur. Sed hanc rem manifestius explicat divus Gregorius papa registr. lib. I.

ep. XXVIII: « indico suggestionem me apud piissimos Dominos fecisse, ut Anastasium patriarcham concesso usu pallii, ad beati Petri apostolorum principis limina, mecum celebraturum sollemnia missarum, transmittere debuissent. » Et alibi saepissime apostolorum limina commemorat. Romanus Pontifex in libro casuum papalium anathematizat impedientes venire ad limina sancti Petri. Qua ratione fit, ut verbum limina de amplissima sancti Petri basilica, usque in hodiernum diem usitatum, monumento applicari non possit, si eo nomine sepulchrum solum, sine ecclesia intelligamus. Coemeterium limina habere posse concedimus et non ambigimus, si illud sancti Petri constituamus. Igitur monumentum non potest habere limina, et verbum limina obstat. Et si concedamus habere monumentum limina, dicemus limen non limina; quod per excellentiam de ampla sancti Petri ecclesia tantum, non de parvo monumento intelligitur; nullaque ratione credi potest, supradictas Cleti, Anacleti, Protonotarii, et Caii sententias de monumento simplici intelligi potuisse, nisi ei quoque, ut necessarium est, superimposita fuisset ampla et capax ecclesia. Veteres limen et limina per figuram synecdochem, partem scilicet pro toto dixerunt de amplissimis regiis et palatiis. Virgilius: ventum erat ad limen. Horatius limina superba civium potentiorum vocat.

Eiusdem coemeterium, sive ecclesiae vaticanae, mentionem facit apud Eusebium lib. II. cap. XXV. Caius vir ecclesiasticus, qui sub Zephyrino papa ad Proclum, qui haeresi Cataphrygarum praeerat scribens, haec ipsa de locis ubi sanctorum apostolorum Petri et Pauli posita sunt tabernacula dixit: « ego vero apostolorum trophaea habeo, quae ostendere possum. Si enim procedas via triumphali, quae ad Vaticanum ducit, aut via ostiensi, eorum invenies trophaea, quibus ex utraque parte statutis romana communitur ecclesia. » Divus Cyprianus epistola III. libri primi ad Cornelium papam de schismaticis Novatianis loquens ait: « Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem. » Protonotarius in vita sanctorum Marii, Marthae etc. ait: « tem-

poribus Claudii II. imperatoris, venerunt de Perside Marius, Martha, Audifax, Abachum, viri christianissimi ad oratorium apostolorum. Venientes autem Romam, coeperunt corpora sanctorum per carceres et sepulturas conquirere. » Protonotarius sanctae rom. ecclesiae in vita sancti Silvestri episcopi: « Constantiuum imperatorem adduxit Pontifex ad confessionem sancti Petri apostoli. » Ex his locis procul dubio liquet, coemeterium, confessionem, oratorium, memoriam, martyrium, sive limina sancti Petri in Vaticano, ante Constantinum ecclesiam principalem Romae fuisse. Quod si quis inficiabitur, quamnam quaeso fuisse dicemus, cum illud constet unam esse debuisse episcopi romani sedem? Convenientissime porro, eam esse credendum est, in qua divi Petri, et tot eius successorum corpora iacuisse certissimum est.

Ex his omnibus sequitur, quod si ecclesia, quae nunc est beati Petri, ante tempora Constantini erat memoria, vel confessio, in ea conventus et ministeria fiebant et missae celebrabantur. Si missae celebrabantur, ergo ecclesia erat et consecrata, quandoquidem sanctum Felicem papam ante sanctum Silvestrum instituisse constat templorum consecrationes, utque nonnisi in loco sacro a presbyteris sacrificaretur. His additur omnino absurdum videri in memoria beati Petri missas non fuisse celebratas, cum praesertim visitatio eiusdem validior ad salutem fuisse comprobetur, quam duorum annorum ieiunium, auctoribus Landulpho et Martino paenitentiario in vitis Pontificum, ut supra diximus. Damasus ante Constantinum nonnisi trium aedium sacrarum Romae mentionem facit, quarum unam sanctae Pudentianae ecclesiam vocat, reliquas duas sanctae Mariae trans Tiberim, et sancti Felicis via aurelia basilicas nominat, quia cum scriberet vitas Pontificum, tres Pontifices illas fabricasse memoravit; cum etiam Romae essent aliae ecclesiae, quas cum alii, tum ipse saepe, non tamen eas nominatim appellando, sed in genere profitetur. De ecclesia sancti Petri non facit mentionem, quia erat notissima et celebris, nullamque eius commemorandae occasionem habuit. Vel etiam dicere possumus, quod eam innuerit, quando eam appellavit memoriam sancti Petri, ubi episcopi re-

conderentur sepulchro, quam propter excellentiam peculiari memoriae sive monumenti nomine, non communi ecclesiae vocabulo appellavit; quippe cum vox ecclesia dominicis, martyriis, oratoriis, monumentis, basilicis, templis, coemeteriis, cunctisque fabricis, quaecumque demum fuerint communis sit, in quibus christiani ad sacra convenirent. Unde divus apostolus Paulus privatam domum ecclesiam vocat cap. IV. ad ad Coloss. « Salutate Nympham, et quae in domo eius est ecclesiam. »

Cum vero dicitur, verisimile est non fuisse ecclesiam, quia non est de ea mentio, quantum valeat argumentum a negativa omnes norunt, praesertim in tanta rerum obscuritate et librorum Pronotariorum sanctae rom. ecclesiae, qui in persecutionibus combusti fuere, penuria. Immo potius longe verosimilius est fuisse ibi ecclesiam, cum nulla sit in contrarium mentio,. et ibi sepultus fuerit Petrus cum decem Pontificibus martyribus, et infinita aliorum martyrum multitudine, super cuius corpora, et sepulchra, et ut Damasus ait, memorias sanctus Felix papa et martyr iussit missas celebrari. Quod si sepulchrum sancti Petri, coemeterium, confessio, oratorium, et memoria erat, in ea profecto (ut ex locis supradictis apparet) missae, et alia sacramenta celebrabantur. Si id fiebat, ecclesia omnino erat. Nec obstat, quod in paucissimis his, quae nobis supersunt ante Constantinum ecclesiae romanae monumentis, non vocetur hoc verbo ecclesia, quia est nimis commune, sed vocetur nominibus particularibus coemeterium, oratorium, memoria, monumentum, confessio, martyrium, tabernaculum, trophaea, quibus ecclesiae vox communis est, quae sine ecclesia materiali esse non possunt, et praeter ecclesiam materialem simplicem aliquid aliud maius comprehendunt, cum, ut supra dixi, ecclesia vocetur qualiscumque locus etiam privatus, ubi christiani rei divinae faciendae gratia conveniunt.

Ceterum cum temporum iniuria, scriptorum sententiis destituamur, praeter ea quae diximus, hoc quoque non leve argumentum adhuc adferre est operae pretium, probans ecclesiam materialem sancti Petri ante Constantinum fuisse. Cer-

tum est (ut sancti Damasus, et Gregorius papa affirmant) corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli diu ante sanctum Silvestrum papam a sancto Callisto, ut ego infra demonstrabo, ex locis in quibus sepulta iacebant ob temporum calamitates, ad coemeterium ad tertium ab Urbe lapidem via appia ab eodem Callisto papa conditum, quod Callisti vocatum est, intra ecclesiam, quae nunc sancti Sebastiani dicitur, in eius coemeterii parte, qua modo catacumbae a sepulchrorum circuitu vocantur, translata; et metu sublato, ad pristina loca reportata fuisse a sancto Cornelio papa septuaginta circiter ante sanctum Silvestrum annis; et corpus quidem sancti Petri in Vaticano ubi crucifixus, sancti Pauli via ostiensi ubi decollatus fuerat, reposita. Adhuc supersunt augustissimae antiquitatis catacumbae, quarum forma cernitur. Ibi adhuc est amplum, et vetustissimam antiquitatem referens, marmoreum altare, subter quo corpora apostolorum iacuerunt, in quo missae celebrabantur: ibi in medio adhuc e rudi marmore humilis, et simplicissimus extat sanctissimorum illorum pontificum Callisti, Urbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, Corneliique martyrum episcopalis thronus: ibi extant adhuc clericorum sanctae rom. ecclesiae circumcirca latentia sedilia: ibi extant maeniana paulo altiora, quibus ab loci angustiam plebs fidelis sacris ministeriis adstabat: ibi demum extant in circuitu martyrum sepulchra, tumbarum more facta, et simplicibus aliquot gypseis emblematibus ornata, non sine veneratione visenda. Nulla igitur ratione fieri potest, quin corpora apostolorum eo loco, quando allata illuc fuerunt, propterea fabricato, longe ante Constantinum mota, et ad loca, in quibus nunc eorum ecclesiae sunt translata, si non maiore saltem non deteriore conditione fuerint; cum ecclesia romana pietatis tenacissima eosdem ritus, easdem caerimonias, quae pietatem augent, nunquam diminuerit, sed semel recepta perpetuo persequuta fuerit et auxerit. Quod si ita est, longe ante Constantinum necesse fuit, ut in Vaticano super corpus sancti Petri fuerit ecclesia, altare, cathedra episcopalis, sedilia clericorum, gradus, loca plebis, sepulchra martyrum, et piorum hominum et similia, quae adhuc in catacumbis vide-

mus. Haec forte non considerarunt hi, quibus conveniebat; quia longe diversa ratione pertractantur iura civilia, quam historiae ecclesiasticae. De altari portatili lateranensis ecclesiae, scilicet quod fuerit sancti Petri, nulla extat memoria authentica, sed solum per verbum FERUNT in chronica Martini, qui multarum aliarum rerum, quae non satis comprobantur, aliquando auctor est, ut alibi demonstravi: praesertim quia constat ex decretis Pontificum, qui longe ante sanctum Silvestrum fuerunt, Evaristi, scilicet et Hygini, in altaribus marmoreis romanos Pontifices missas celebrasse, quorum unum elegans, et vetustate venerabile, adhuc extat in coemeterio sancti Sebastiani ad catacumbas, sub quo aliquando iacuerunt corpora apostolorum.

C A P. VIII.

De translatione corporum apostolorum Petri et Pauli.

Ceterum cum neque Zephyrinum papam, qui Victori successit, neque ex his qui Zephyrino successerunt quemquam amplius in vaticano coemeterio sepultum animadverterim, in suspicionem veni Heliogabalum imperatorem, qui per ea tempora vixit, cum sepulchra vaticana, quo, ut scribit Lampridius, elephantorum quatuor quadrigas laxius et commodius agitaret, quae obsistebant, disiecisset, apostoli quoque Petri et aliorum Pontificum coemeterium et sepulturas, quae in eodem loco erant destruxisse. Hoc autem factum fuit circa annum Christi CCXX. sub Zephyrini successore Callisto, qui toto Heliogabali tempore pontificatum romanum obtinuit. Meam autem hanc opinionem confirmat maxime, quod annis circiter viginti duobus post, Damasus scribit sanctum Cornelium papam Lucinae matronae romanae rogatu corpora apostolorum Petri et Pauli a catacumbis, ubi simul a fidelibus christianis post disiectum sancti Petri ab Heliogabalo sepulchrum collata fuerant, noctu (quod minus forte quam par erat honorifice iacerent, et furto praedaeque magis exposita sunt) sustulisse, et prioribus suis in locis relocasse: corpus quidem sancti Pauli

via ostiensi in praedio eiusdem Lucinae iuxta locum ubi decollatus fuerat; beati vero Petri in Vaticano, ubi crucis martyrium pertulerat. Ita vero in sancti Cornelii vita tradit Damasus papa. «Cornelius episcopus rogatus a quadam matrona Lucina, corpora beatorum apostolorum Petri et Pauli e catacumbis levavit noctu: primum quidem corpus beati Pauli beata Lucina posuit in praedio suo via ostiensi iuxta locum, ubi decollatus est: beati vero Petri corpus accepit beatus Cornelius episcopus, et posuit iuxta locum ubi crucifixus est inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis in Vaticano palatii neroniani.» Eadem iisdem verbis repetuntur in epistola prima Cornelii papae tomo conciliorum primo de translatione corporum apostolorum Petri et Pauli.

Corpora autem apostolorum in catacumbis aliquando iacuisse, praeter communem consensum, et Damasi auctoritatem, refert etiam divus Gregorius papa epistola XXX. libri IIII. registri ad Constantinam augustam; quamquam rem paulo aliter narrare videtur. Ait enim: « de corporibus vero beatorum apostolorum, quid ego dicturus sum, dum constet quia eo tempore quo passi sunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicuti civium suorum repeterent? Quae ducta usque ad secundum Urbis milliarium, in loco, qui dicitur ad catacumbas, collocata sunt: sed cum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio impetu terruit, atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, et in locis ubi nunc sunt condita posuerunt.» Et paulo supra « corpora sanctorum Petri et Pauli apostolorum, tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis, atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi.» Haec ille. Sunt autem catacumbae martyrum quaedam sepulchra subterranea pone basilicam sancti Sebastiani extra muros Urbis via appia. Corpora apostolorum antiquis sepulchris restituta, per annos circiter septuaginta in his iacuerunt usque ad pii Constantini imperatoris imperium. Si igitur vetustissima ante Constantinum sancti Petri ecclesia, memo-

ria, confessio, coemeterium fuit, etiam locus conventibus christianorum commodus, idoneus et praecipuus quidem in Urbe fuit tum propter corpus, tum quia ita a tot scriptoribus celebratur, qui de aliis urbis Romae ecclesiis omnino silent. Cuius rei veritatem secutus Gregorius IX. papa in epistola quadam, quam infra subiiciam, ait basilicam beati Petri apostoli, ut tempore priorem, ita etiam honoris dignitate praestantiorem esse.

CAP. XI.

Quis vaticanam basilicam construxerit et dedicaverit, et de tempore quo condita est.

Cum pientissimus imperator Constantinus augustus, post miraculosam crucis in caelo visionem, insignemque et memorabilem de tyranno Maxentio victoriam adeptam, perfecte in Christum et integre (quemadmodum supra demonstravi) credidisset, omnibus pacatis, ne eius fides bonis operibus vacua esse existimaretur, et non immemor tantorum Dei beneficiorum, infinita paene christianae religioni beneficia, maxima quidem et tanto principe digna aperte contulit. Primum enim multas leges et edicta, quibus religionem christianam adversus hostium nostrorum vim et audaciam communivit et extulit, promulgavit: omnibus deinde romanum orbem incolentibus edixit, ut unicuique libere Christum (quod hactenus interdictum fuerat) colere liceret. Postremo gentium templis clausis, profana sacrificia fieri amplius prohibuit. His gestis, illud modo restabat, ut christianorum oratoria paulo ante in acerbissima Diocletiani persecutione disiecta restaurare procuraret. Quapropter animum ad ingentium basilicarum et templorum erectionem, ut in his christiani coetus suos congregare Christumque adorare possent convertit, multasque sacras aedes per diversas orbis romani partes imperatoria magnificentia dignas exstrui iussit, pecuniis a fisco suo in tantum opus largitis. Igitur circa annum Domini ·CCCXVI· aedes illas magnificas et egregias lateranenses, sive ab uxore Fausta, sive ab se hactenus possessas, beato papae Silvestro, et sanctae

rom. ecclesiae donavit, et publicis sumptibus eas in magnificentissimam sub sancti salvatoris domini nostri Iesu Christi nuncupatione basilicam convertit, propinquo etiam palatio ad romanorum Pontificum usum a fundamentis exstructo. Per id etiam tempus optimus imperator basilicam vaticanam, de qua agimus, centum marmoreis nobilibusque sublimem columnis, beato Petro erexit: recte ex eius nomine, quem omnibus mundi ecclesiis Deus praefecisset ostendens, ut ea utique supra ceteras praecipue basilicas coleretur, praecipueque omni honore et veneratione digna apud posteros haberetur.

Merito vero Constantinus augustus non alium in urbe locum elegit in quo amplissimum apostolorum principi templum construeret, quam illum, quem is crucifixus sanguine suo consecraverat, et in quo tercentum iam annis quieverat, ut ex Damasi libro, qui eo tempore vixit, intelligi potest qui ita tradit: « eodem tempore Constantinus augustus fecit basilicam beato Petro apostolo ex rogatu Silvestri episcopi in templo Apollinis, in quo loco corpus eiusdem apostoli mirifice collocavit. » Extat primo conciliorum tomo caput quoddam de Constantini imperatoris in christianos munificentia, ubi haec verba scripta sunt: « vir religiosissimus Constantinus imperator primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem terrarum, sub suo degentes imperio, nón solum fieri christianos, sed etiam fabricare ecclesias, et praedia tribuere posse constituit. Denique idem princeps donaria immensa contulit, et fabricam templi primae sedis beati Petri principis apostolorum instituit. » Basilicam igitur vaticanam tempore sancti Silvestri papae, et eius rogatu in honorem sancti Petri apostolorum principis admirabili artificio a fundamentis christianissimum imperatorem Constantinum exstruxisse, etsi apud omnes iam satis constet, manifeste tamen id etiam demonstrabant versus duo in ipsius maiore arcu ante quam dirueretur ita inscripti:

QUOD DUCE TE MUNDUS SURREXIT IN ASTRA TRIUMPHANS,
HANC CONSTANTINUS VICTOR TIBI CONDIDIT AULAM.

Qui characteres vetustissimi et praegrandes et iam exolescentes nullum aliud quam Constantini tempus, quo ibi scripti

sunt, arguere videbantur. Extabant et in minore arcu absidis super aram maximam aliae litterae, quae temporis iniuria diu ante musivo delapso corruerunt, sed ex paucis earum, quae exolescentes aliquandiu superfuerunt, verba haec deprehensa sunt:

CONSTANTINI. EXPIATA HOSTILI INCURSIONE.

Hanc et sancti Pauli basilicam a Constantino conditas Prudentius Clemens poëta elegans, his temporibus vicinus, in peri stephanon carm. XII. passionem beatorum apostolorum Petri et Pauli canens, ita commemorat:

Dividit ossa duûm Tibris sacer ex utraque ripa
  Inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum etc.
Parte alia tituli Pauli via servat ostiensis,
  Qua stringit amnis caespitem sinistrum.
Regia pompa loci est; princeps bonus has sacravit arces,
  Clusitque magnis ambitum talentis.

Hanc itaque basilicam condidit Constantinus iuxta templum Apollinis, Caii et Neronis circo demolito. Quo in loco sanctus Petrus apostolus cruci affixus, trecentis prope annis iacuerat. Ferunt Constantinum christianissimum augustum, basilicae vaticanae fundamentis iaciendis primum omnium rastro solum effodisse, duodecimque aggeris et glebarum sportulas inde asportasse, XII. apostolorum honori id tribuens. Condidit etiam via ostiensi basilicam sancti Pauli apostoli, in quo loco capite caesus, et sepultus fuerat. In iisdem basilicis sanctus papa Silvester sub altaribus maioribus corpora sanctorum apostolorum Petri, et Pauli loculis pretiosissimis recondidit, quas utrasque basilicas perfectas eadem die, scilicet XIIII. kal. decembris, Silvester papa finitimis episcopis convocatis, adstante imperatore, clero, et populo romano fideli, sollemni ritu, et comprecatione in honorem Iesu Christi filii Dei vivi, beatae Mariae matris eius, et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli dedicavit. Quo die perpetuis temporibus peccatorum indulgentias concessisse iis, qui easdem basilicas oraturi adirent eundem sanctum Pontificem, auctor est Petrus Manlius. Basilicae vaticanae post sanctum Silvestrum mentio primum

est apud Damasum in vita Liberii papae sic: « Liberius papa de exilio reversus tenuit basilicas beatorum Petri et Pauli apostolorum, et constantinianam annos sex. » Divus Hieronymus in tractatu ad Eustochium de custodia virginitatis sic scribit: « vidi nuper (nomen taceo ne satyram putes) nobilissimam Romanorum mulierem in basilica beati Petri, semiviris antecedentibus, propria manu, quo religiosor putaretur, singulos nummos dispertire pauperibus. » Et Prudentius, qui eo tempore vixit, libro priore v. 579. in Symmachum Urbis praefectum, ubi plebem romanam in Christum credidisse commemorat, ita scribit:

Posthinc ad populum converte oculos, quota pars est
Quae Iovis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit caenacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis;
Aut vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses.
Coetibus aut magnis lateranas currit ad aedes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.

In vetustissimo registro sanctae romanae ecclesiae ab eiusdem aliquot clericis tempore papae Damasi scripto, cuius mihi copiam fecit Marcellus papa II. (1) sempiternae memoriae homo, ita scriptum est in relatione Symmachi praefecti urbis ad Honorium imperatorem: « clerici romanae ecclesiae cum presbytero Bonifacio ad sancti Petri apostoli basilicam processerunt. » Idem in alia relatione « Eulalius episcopus cum omni multitudine ad sancti Petri apostoli basilicam sollemnia celebravit. »

(1) Huius hortatu ait alibi Panvinius se a profanis antiquitatibus et historia, ad res ecclesiasticas illustrandas animum convertisse.

LIBER TERTIUS.

PRAEFATIO.

Non exigua huius operis pars est basilicae ipsius, et adiacentium ecclesiarum, quam hoc libro describere instituimus topographia, quo eiusdem situm, formam, aras, sacella, porticum, monasteria, baptisterium, coemeterium, vicina oratoria, episcopia, domos hospitales, ornamenta, reliquias, custodes, incolas, stationes, res memoratu dignas, quae in ea acciderunt, et quae eiusdem sunt argumenti accurate explicabimus. Quibus in rebus tradendis multa scitu dignissima, et ipsissimam maiestatem eius referentia aperiemus, quae in ea a sanctis patribus antiquitus facta sunt; docebimusque ea tanta esse, ut nulla sacra aedes toto terrarum orbe sit, quae ei comparari possit, fabricarum magnitudine, ornamentorum et lampadarum numero, reliquiarum excellentia, rerum memorabilium in ea gestarum commemoratione. Haec brevissime praefati, primum caput de veteris basilicae forma aggrediamur.

CAP. I.

De vetere basilica, muris, parietibus, eiusdem forma, et ichnographia.

Veteres christiani gentilium superstitionem adeo suut aversati, ut non tantum in his, quae ad praecipuum Dei cultum pertinent, sed etiam in rebus indifferentibus, quas adiaphoras Graeci dicunt, nullum eorum exemplar, quantum iis fieri licuit, imitari voluerint. Imperatores quidem christiani capitis ornamenta, sive coronas ex laureis et radiatis quas ethnici observabant, in gemmatas mutarunt; vestes, paludamenta, calceos, labara, praecipua imperii signa transformarunt, ne iis similes viderentur, qui religionem, quam profitebantur, aliquando persecuti fuerant. Idem in sacrarum aedium aedificatione observarunt. Nam cum gentilium templa, aut rotunda,

aut quadrata, aut sesquialtera, aut ex duobus quadris constarent, et circa ipsorum cellas, porticus columnatas haberent, eorum exemplum christiani aspernati in sacris Christo Deo aedificandis aedibus, non templorum gentilium, sed basilicarum formam sunt secuti, quae aedificia erant rebus profanis, et iudiciis praesertim tractandis circa fora fabricata. Quarum multa Romae circum fora fuerunt, ut Sempronia, Porcia, Opimia, Iulia, et similes. Unde etiam christianorum antiqua templa ab earum forma basilicae sunt vocata, quemadmodum lateranensis, et sanctae Crucis intra Urbem, extra vero S. Pauli, et S. Laurentii, et de qua nunc sermo est apostolorum principis Petri, quae inaequali et parum concinna structura facta est prout ea tempora omnium bonarum artium rudia ferebant, quam quidem accuratius, quam fieri poterit, explicare non gravabimur.

Quadriporticus igitur et frons basilicae orientem, absida occidentem spectant, dextera pars meridiem, sinistra septentrionem respicit. Basilica ipsa ex duobus quadris praeter transversam navim, et absidam, constabat longitudine pedum (1) . . latitudine vero . . . cum navi autem transversa, quae lata fuit . . longa pedum . . Addita vero absida a sede pontificia usque ad portam argenteam, pedum . . Ipsa tota ex lateribus coctis constructa fuit, cuius muri crassitudo erat pedum . . Eius altitudo est pedum . . Parietes lateritios super columnarum peristylia tectum substinentes habet quatuor maiores, latos pedes . . altos pedes . : Habuit parietes alios e latere cocto maximis fornicibus, parastatis, et columnis sustentatas, qui basilicae cellam transversae navi coniungebant, quorum modo nullum extat vestigium. Haec, et quae dicturi sumus, ut accuratius contemplari liceat, totius basilicae, quadriporticus, graduum, altarium, sacellorum, et vicinarum ecclesiarum ichnographiam accuratissime ex iis quae supersunt monumentis, re-

(1) Mensurarum numerales notae desunt in utroque operis codice, quia nondum accuratam, ut videtur, ipsarum notitiam Panvinius deprehenderat. Ceteroqui lacunae supplementum dat Bonannius hist. T. vat. capp. III. qui mensuras illas ex diversis auctoribus non sine varietate sumptas exhibet.

liquiis parietinis, eorum quoque, qui eam integram viderunt relatione, aut vetustis libris exceptam subliciam (1).

CAP. II.

De absida, cruce, navibus, peristylio, tecto, pavimento, et picturis.

Absidam basilicae, sive tholum, quam Graeci chalcidicum, nos maiorem tribunam vocamus, musivis figuris primus ornavit Constantinus, quarum paulo extra, ex utroque parietum latere aliquot vestigia extant, ut ex his versibus, quae in ea erant manifestum est. Quod duce te mundus *etc. ut p.* 225. Musivas easdem imagines temporis iniuria exolescentes renovavit Severinus papa, ut tradit Bibliothecarius; quas dirutas omnino, ut nunc aspicimus, refecit Innocentius III, quod eius nomen et versicuii indicant:

INNOCENTIUS PAPA III. ECCLESIA ROMANA.

Summa Petri sedes haec est sacra principis aedes,
Mater cunctarum decor et decus ecclesiarum.
Devotus Christo qui templo servit in isto,
Flores virtutis capiet fructusque salutis.

Ibi imagines Salvatoris, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctae romanae ecclesiae iuvenculae vexillum cum clavibus manu tenentis, et eiusdem Innocentii papae III. Absida altare sancti Petri, mensam lapideam ad sacrificii usum, Pontificis sedem, et Cardinalium subsellia, cantorum chorum, et exiguam cellam ob vestiendum celebraturum continet. Sub altari sancti Petri est confessio eiusdem. Sub tribuna sunt oratoria quaedam, ad quae ab uno latere per gradus iter est. Transversam basilicae partem, quam crucem vocamus, inter tribunam et ecclesiae corpus sitam, arcum maximum habuit in medio ecclesiae, quem antiqui triumphalem vocabant, totum musivis figuris ornatum, cum Constantini hac exolescente inscriptione: CONSTANTINI *etc. ut p.* 226. A cuius latere dextro

(1) Haec item ichnographica tabula deest in codd. Sed eam supplet non uno exemplari Bonannius.

intra ecclesiae transversam partem erat locus, in quo viri tantummodo orabant, a sinistro vero in quo mulieres a viris separatae Deum precabantur. De utrisque meminit Bibliothecarius, qui in vita Gregorii III. ait: hic Pontifex fecit oratorium intra basilicam sancti Petri iuxta arcum principalem in parte virorum. Et in vita Sergii papae: hic Pontifex fecit imaginem auream beati Petri apostoli, quae est in parte mulierum. In cruce a dextero latere fuerunt oratoria sex, sancti Xysti, sancti Leonis, Hadriani, Pauli, sanctorum Processi et Martiniani, et Gregorii III; altaria tria sancti Martialis, sancti Mauritii, et sancti Silvestri; aliquot romanorum Pontificum, in his Gregorii III, Pauli, Hadriani, Urbani II. Eugenii III. Adriani IIII, Eugenii IIII. tumuli. In medio vero Mariae augustae sepulcrum. A sinistro latere fuerunt antiquitus altaria tria, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sancti Bartholomaei, sancti Pastoris. Deinde diruto sanctae Luciae sacello, eiusdem S. Luciae addita ara fuit. Inter crucem et mediam navim fuit marmoreus chorus canonicorum, in quo divinas laudes psallere solebant; qui, ecclesia diruta, translatus est ad sacellum Xysti IIII.

Basilica vaticana quinque partes habet, quas naves vocant, maiorem scilicet, et duas ex unoquoque latere minores. Testudinis medianae tectum contignatum est, aereis tegulis coopertum. Sustentabantur eiusdem altissimi parietes XX. crassis columnis, et quatuor parastatis, duabus frontem, totidem tribunam versus. Uterque medianus paries habebat fenestras latas . . . (1): Porticus, quas minores naves vocant, inter basilicae extremos muros, et medianae testudinis columnas duplices ex utroque latere; quarum medianae proxima, longe depressior est: rursum novissima muro ecclesiae adhaerens, altera paulo humilior. Tecta e tignis et coctis imbricibus. Quatuor porticus, quas minores naves vocant, binae scilicet ex utroque latere, medio hinc inde pariete . . columnis minoribus intersecantur e marmore. Columnae testudinis medianae e marmore sunt cum capitulis numero XX, quarum duae versus portas basilicae sunt e marmore omnium pulcherrimo, crassitudine . . . Peristylia

(1) Heic quoque mensurae desunt in utroque codice.

maxima marmorea sustentant, quibus parietes sunt impositi. Minores columnae, quae minores naves intersecant, numero sunt . . e marmore . . cum capitulis, peristyliorum loco arcus supra se habentes. Supersunt in veteri ecclesia ex utraque parte et singulo ordine XI. columnae.

Tectum basilicae vaticanae, ligneum a Constantino factum fuit, quod collabescens restituit divus Gregorius papa, ut ex sequenti epistola intelligitur. Gregorius episcopus Arichi duci beneventano. Quia sic de gloria vestra etc. Indicamus autem, propter ecclesiam beatorum Petri et Pauli aliquantas trabes nobis necessarias esse. Et ideo Sabino subdiacono iniunximus de partibus Bruttiorum aliquantas incidere, et ut usque ad mare in locum aptum trahere debeat Et quia in hac re auxilio indiget, petimus ut actionariis vestris, qui in illo loco sunt, mandetis, ut homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in eius auxilium transmittant; quatenus vobis concurrentibus, melius quod ei iniunximus possit perficere etc. ut narrat Paulus diaconus libro IIII. cap. XX. historiae Langobardorum. Tum tectum alicubi ruinosum XIV. trabibus renovatis refecit Honorius papa, quod etiam cooperuit aereis pretiosissimis imbricibus, quas ex templo Iovis capitolini cum Heraclii imperatoris consensu abstulit. Ii sunt sesquipedales ex pulcherrimo corinthio aere deaurato. Cum vero multae ex iis ob materiei pretium ablatae fuissent, plumbeas et minoris pretii aereas restituerunt Pontifices hi, quorum in iisdem tegulisi nomina sunt scripta sic: Innocentius papa II, Alexander papa III, Celestinus papa III, Innocentius papa III, Benedictus papa XII, Frater romanus. Benedictus autem XII. totum sancti Petri tectum refecit, ut ex hoc elogio, quod imagini eius, quae super altare mortuorum extat, suppositum est, liquet. BENEDICTUS PAPA XII. TOLOSANUS FECIT FIERI DE NOVO TECTUM HUIUS BASILICAE SUB ANNO DOMINI MCCCXLI. Pavimentum basilicae sancti Petri marmoribus quadris albis, et variis coloribus variarum etiam formarum constravit Symmachus papa, ut auctor est Bibliothecarius, sub quo ubique sunt romanorum Pontificum et aliorum clarorum hominumtumuli.

Anteriorem basilicae partem supra porticum egregiis mu-

sivis figuris ornavit Sergius papa, cum veteres exolevissent: quibus omnino dirutis has, quas nunc cernimus refecit Gregorius IX. papa, ut ex indice liquet, hosque versiculos apposuit:

Ceu sol fervescit sidus super omne nitescit,
Et velut est aurum rutilans super omne metalium,
Doctrina quae fide calet sic pollet ubique.
Ista domus petra super fabricata quieta.

Eorum partem dirutam refecit Eugenius IIII. papa: sunt vero Christus, beata Virgo, sanctus Petrus, quatuor evangelistae, sub quatuor apostolis: infra seniores cum coronis restituti ab Eugenio IIII. papa. Primus (quod sciam) post Constantinum imperatorem Leo magnus papa (ut Anastasius auctor est) renovavit basilicam beati Petri apostoli, et cameram ibi fecit, quam etiam ornavit. Benedictus II. (ut idem auctor est) ecclesiam beati Petri apostoli restauravit. Sergius I. papa tigna et cubicula, quae circumquaque in basilica vaticana sunt, et quae propter longa tempora stillicidiis et ruderibus fuerant dissipata, studiose reparavit et renovavit: specula eiusdem ecclesiae, tam quae super sedem, quam quae super regias argenteas maiores, refecit. Gregorius III. papa accubitus, qui erant in hac basilica in ruinis positi, a fundamentis noviter restauravit, ac depinxit. Formosus papa totam sancti Petri apostoli basilicam veteri pictura, quam ex musivo Constantinus fecerat, exolescente, variis novis picturis eximie totam condecoravit, quae adhuc supersunt. Nicolaus III. papa totam eam renovavit depictis in peristylio supra maiores columnas romanorum Pontificum imaginibus. Iottus celebris suo tempore pictor multas imagines Dei, beatae Virginis, angelorum, et sanctorum ibidem in muro pinxit. Supersunt adhuc magnus angelus super organum, Christi vultus, et beatae Virginis imago.

CAP. III.

De portis basilicae vaticanae.

Anterior basilicae vaticanae ante quadriporticum pars quinque veteres portas habet, quae medianae vocatae, suo etiam

specialiter quaeque nomine appellatae sunt; quarum media omnium maior et dignior vocatur argentea, quoniam antiquitus laminis argenteis decorata erat et variis caelaturis ornata primum ab Honorio papa, qui cum omnes ipsas eximie argento munisset, hanc mediam nobilibus etiam tabulis totam argenteis variisque picturis ornavit; quae ornamenta cum a Saracenis convulsa fuissent, a Leone IIII. papa pulchrius et pretiosius restituta sunt, perduraruntque usque ad Innocentii II. tempora: postmodum vero corrupta deformataque paulatim in dies magis fuerunt, adeo ut porta ipsa nomen proprium, quo argentea vocabatur amiserit; donec Eugenius IIII, qui fuit pontifex omni virtute exellens, eam restauravit, ac pristino decori restituit, ex aere, magno sumptu, miro artificio expressis ibi magnis ac praestantibus rebus ab se gestis, martyriis apostolorum, Christi sanctaeque Mariae insignibus, non quidem ex argento, prospiciens altius, ne forte aliquando, quemadmodum superioribus temporibus, nefanda praedonum cupiditate violarentur, cui et impressa sunt epigrammata in rerum ab eo gestarum testimonium sic:

Ut Graeci, Armenii, Aethiopes, hic aspice ut ipsam
Romanam amplexa est gens Iacobina fidem.
Sunt haec Eugenii monumenta illustria quarti,
Excelsi haec animi sunt monumenta sui.

Iuxta hanc portam in vestibulo iacet Benedictus III. In ecclesia vero, ante eam portam sub rotundo marmore porphyrite traditum est iacere corpus venerabilis Bedae presbyteri. Porta quae est iuxta eam a parte dextera vocatur Ravenniana, a Ravennatibus qui trans Tiberim habitantes per eam intrare consueverunt; quorum nomine et Tusci, et Transpadani homines, qui per eam ingrediebantur, simul significabantur: vel etiam a Transtiberinis dicta, quorum civitas Ravennatium vocabatur; iuxta quam in atrio sepultus est Sergius III.

Tertia post eam, secretarium versus, dicebatur porta iudicii, quoniam mortui eà in basilicam sancti Petri inferebantur a Domino iudicandi; solaque nomen suum adhuc, cum ceterae amiserint, servat. Iuxta quam in porticu iacent Nicolaus II, Iohannes VIII, et Iohannes IX. Ab alia parte, porta quae argen-

tcam consequebatur, dicebatur romana, quoniam Romani et praesertim mulieres frequentius eâ ecclesiam ingrediebantur; iuxta quam in vestibulo sepultus est Iohannes XV. papa. Ultima versus palatium porta, iuxta vultum sanctum, et portam sanctam, dicitur Guidonea verbo vulgari a Guidonibus dicta, qui venientes per porticum, quod erat iuxta turrim campanariam, per eam introducebantur ex urbe. Antiquitus faculae et cerei ibidem vendebantur, iuxta quam in vestibulo iacet Iohannes IX. papa. Septima porta, quae sancta dicitur, recentioribus temporibus addita est: anno iubilaei, videlicet XXV. quoque anno, redeunte aperitur et clauditur. Quae supra de beati Petri apostoli argentea porta dixi, commemorat Bibliothecarius his verbis: Honorius papa valvas regias maiores in ingressu ecclesiae sancti Petri, quae medianae vocantur, argento vestivit. Hadrianus papa portas aereas maiores mirae magnitudinis decoratas a Perusia deducens, in basilica beati Petri ad turrim compte erexit. Leo IIIi. papa fecit in ecclesia beati Petri apostoli portas argenteas maiores post depraedationem Saracenorum, idest portam medianam laminis argenteis cooperuit, quae durarunt usque ad tempus Innocentii II, quae in schismate Anacleti II. a schismaticis direptae sunt. Cum Desiderius Langobardorum rex hostili in Romanos animo ad Urbem veniret, Hadrianus papa ecclesias beati Petri et Pauli spoliavit, cunctumque illarum ornatum, et cimelia Romam introduxit, et omnes ianuas sancti Petri claudi fecit, et intus serras supponi, et muniri, ne ipse rex sine licentia Pontificis aditum in eamdem basilicam haberet, nisi animae suae praeiudicio ipsas infringeret ianuas: Sic narrat Bibliothecarius.

CAP. IV.

De altari maiore sancti Petri.

Erecta igitur vaticana basilica, Constantinus imperator tum altare etiam maius fundavit maximis quadratis marmoreis tabulis constitutum, una semper cum beato Silvestro papa benedicente omnia, et consecrante, habito quoque magno epi-

scoporum aliorumque sacerdotum, et clericorum conventu concurrentique simul plurimo exultantium, et Deum laudantium christianorum turba. Post quae non minore etiam cum laetitia sacratissimum corpus sancti Petri apostoli ex humiliore loco eductum sub altari maiore basilicae ipsius Silvester et Constantinus summo cum honore ita collocarunt. Primo fabricarunt ei insignem thecam argenteam aere undique et cupro conclusam, in qua decentius conditum esset, omni ex latere in longum et in latum, sursum ac deorsum pedes V. protensam; ac desuper arcam deauratam. Supra corpus quoque eius posuit crucem ex puro auro factam CL. librarum, in qua descriptum est: CONSTANTINUS AUGUSTUS ET HELENA AUGUSTA HANC DOMUM REGALI SIMILI FULGORE CORUSCANTEM AURO CIRCUMDANT. Supra altare autem, cui subiacet corpus, statuit nobile tegmen sive suggestum, quem ciborium sive camerum vocabant argenteam deauratam, quatuor porphyreticis, quae adhuc extant, columnis erectam, quod postea ciborium Leo papa IIII. argento puro eximie exornavit. Demum Pius II. marmoreum fecit. At Constantinus posuit ante altare sancti Petri, ad basilicae ornatum, XII. columnas vitiaeas elegantissimas ex Graecia translatas. Eadem theca ita fabricata pius imperator Constantinus corpus sancti Pauli apostoli via ostiensi sub altare maiore basilicae eius nomini dicatae, conclusit.

Theodoretus cyrensis episcopus in epistola ad Leonem papam ait: sepulcra apostolorum illuminant totum mundum. Xystus III. papa ornavit confessionem beati Petri apostoli laminis argenteis librarum CD. Easdem refecit Honorius papa, additis argenti libris CXXCVII. Sanctus Gregorius papa fecit ad altare beati Petri apostoli ciborium cum quatuor columnis ex argento puro. Ante altare sancti Petri pendebant canthari, et coronae argenteae. Sergius papa fecit in circuitu altaris trabiles (1) octo, quatuor albos, totidem coccineos. Hadrianus papa pavimentum confessionis sancti Petri argenti libris CL. cooperuit. At Leo IIII. fecit ciborium argenteum super altare S. Petri apostoli cum columnis argenteis. Arcam altaris maioris sancti

(1) In textu Anastasii edito *tetravela*.

Petri quam Constantinus exstruxerat deauraveratque, cum nonnihil sorduisset, ipse etiam intus et extra argento munivit, magnum aureum crucifixum ibidem locavit, fecitque tabulam auream librararum CCXVI. gemmis distinctam ad eiusdem altaris ornamentum, cum signis novi et veteris testamenti. Callistus II. papa altare sancti Petri nimia vetustate hominumque incuria deforme, et quasi violatum, dolatis et elegantibus, qui adhuc apparent, lapidibus restituit et decoravit, ac in die celebri annunciationis beatae Mariae anno MCXXII. cum toto episcoporum, abbatum, Cardinaliumque concilio, et populorum applausu, qunm ipse mille fere praelatos congregasset, lapidem altaris pie consecravit. In qua dedicatione concessit perpetuo pro peccatis remissionem annuam trium annorum omnibus, qui eodem die illuc devote accederent. Pius II. ciborium e pario marmore cum historia passionis apostolorum, eleganti opere quatuor columnis porphyreticis sustentatum, super altare ipsum sancti Petri fecit, ad quod per gradus porphyreticos ascenditur, infra quos est confessio sancti Petri. Innocentius III. cancellum aereum ante confessionem sub altare sancti Petri fecit, quem adeuntes passim populi deosculari solent; quam rem hi versiculi exponunt:

Si cum discipulis bis sex Christus residebit,
Cum reddet populis cunctis quod quisque debebit.
Tertius hoc munus dat Innocentius unus.
Sit comes in vita tibi Petre coisraëlita.

Ante altare sunt sex columnae versatiles, quas antiqui a vitibus eas conligantibus vitineas vocarunt, e pretiosissimo pario marmore, miri operis et laboris. In extremo absidae pariete est romani Pontificis marmorea sedes.

Ad altare sancti Petri nemo sine romani Pontificis licentia, bulla plumbata edita, sacra facere potest. Nemo ad eius altare consecrare potest nisi Papa, vel Cardinales de eius licentia per bullam obtentam; et nemo episcopus archiepiscopus, aut patriarcha aliquem consecrat, aut ipse consecrari apud idem altare potest; solus enim ea praerogativa potitur Pontifex romanus. Eam rem ita exponit Petrus Manlius: « sanctus Gregorius papa praecepit ne ad altare maius sancti Petri alia con-

secratio fieret quam romani Pontificis. Utque quando electus Pontifex sit consecrandus, descendat primum ad sanctum Andream, et ibi faciat benedictionem; qua expleta, revertatur ad altare maius, et consecratus expleat missam. » Mos fuit in vigiliis, quae noctu ante altare sancti Petri cantabantur, cum novem lectiones legerentur, singulo nocturno thure venerari, quod antiquitus quotidie fiebat. In stationibus vero nocturnis ad singulas lectiones thurificari mos fuit. Ante altare sancti Petri summi Pontifices subiiciunt se omnibus ipsos arguere volentibus, tamquam ipso Petro sententiam laturo. Hinc sanctus Gregorius papa: si quis nos redarguere velit, veniat ad sedem apostolicam, ubi ante confessionem Petri mecum iuste decernat.

CAP. V.

De oratoriis, sive potius sacellis et altaribus basilicae vaticanae.

Antiquitus in basilica vaticana, praeter altare maius, XX. alia altaria partim sacellis vel oratoriis inclusa, partim sine aediculis fuere. Quorum primum a dextera altaris maioris, in transversa basilicae parte, iuxta cancellos ferreos maioris absidae, fuit sacellum sive oratorium et altare sancti Xysti papae et martyris, quod respiciebat suggestum ubi evangelium cantabatur. Supra quod altare erat absidula musivo opere ornata, sub quo (ut scribit Paschalis papa) post depraedationem coemeterii Callisti positum ab se fuisse corpus beati Xysti papae et martyris ante corpus beati Petri iuxta septa ferrea, super quod est factum altare lapidibus ornatum, et super altare arcus ex pretioso musivo. Sepulti sunt vero ibidem cum Xysto etiam duo alii Pontifices sancti, Fabianus martyr et Sergius II, ut ex epithaphio in ipso altari invento apparet, quod in capite de sepulcris Pontificum recitabimus. Secundum oratorium prope superius locatum, fuit Leonis IIII. papae iuxta portam, qua ad ecclesiam et monasterium sancti Martini retro basilicae absidam iter erat. In quo, sicut a maioribus traditum, est Paschalis II. recondidit corpora sanctorum pontificum Leo-

num I. II. III. et IIII. Hoc ex adverso respiciebat altare sancti Mauritii. Sequebatur portula exiens retro basilicam sancti Petri septemtrionem versus, iuxta quam tertium oratorium fuit Hadriani papae, in quo idem pontifex sepultus fuit, cuius adhuc extat insigne quoddam marmoreum e lapide quadrato atro numidico, vel luculleo epitaphium, quod infra capite de sepulcris Pontificum ponemus, qua inscriptione ostenditur Hadrianum papam ibidem curante Carolo magno, qui id epigramma fecit, sepultum esse; quem adeo Carolus magnus dilexit, veneratusque est, ut mortem eius magnis cum lacrimis et lamentatione persecutus fuerit. Fuit vero is Hadrianus papa longe benignus et beneficus erga ecclesiam sancti Petri, cui inter alia castrum Capracorum donavit. In ipso oratorii sancti Hadriani altari, loco egregie ornato, collocata fuit cathedra, super quam sedere beatus Petrus solebat, quae etiam hodie a basilicae sacerdotibus servatur.

Prope Hadriani papae delubrum, fuit sepulcrum Urbani II. pulchrum decensque, cuius etiam ante basilicae ruinam memoria exoleverat. Prope Urbani II. loculum in angulo fere transversae basilicae partis, fuit sacellum sanctae Mariae, in oratorio quod feminae olim nefas ingredi sibi putabant, conditum a Paulo papa in honorem beatae Mariae virginis, quod pulcherrimis imaginibus elegante musivo pictis ornavit, et aeneis cancellis conclusit, in quo ipse sibi sepulcrum delegit. Fecit vero in eo imaginem argenteam deauratam beatae Mariae, multa sanctorum corpora et reliquias de coemeteriis translatas ibidem collocavit, ob quarum reverentiam mulieres eius ingressu arcebantur. De eo ita scribit Bibliothecarius: « Paulus papa infra ecclesiam beati Petri novum oratorium in honorem Dei Genitricis construxit, iuxta oratorium beati Leonis papae, ante fores introitus sanctae Petronillae, et beati Andreae apostoli, quod musivo et diversis metallis exornavit, ubi et effigiem beatae Mariae argenteam deauratam constituit, in quo sepulturam etiam sibi construxit. » Ante id oratorium Iohannes XV. papa, intra ipsum vero dictus Paulus sepulti sunt. Non quod heic defunctus fuerit, nam apud basilicam sancti Pauli cum per aestivos calores eo secessisset, vita migravit: ubi cir

citer tres menses iacuit, donec convenientes cives romani, cum multis aliis exteris gentibus, ut cum ceteris patribus praecessoribus suis dignius requiesceret, per alveum Tiberis navicula impositum corpus eius ad basilicam sancti Petri, magno cum honore divinarumque laudum celebratione deduxerunt, atque in eo quod ipse fabricaverat oratorio condiderunt.

Ab alia transversae crucis parte, iuxta portam aeneam, quà ad sanctae Petronillae et sancti Andreae ecclesias iter erat, fuit oratorium eximium sanctorum Processi et Martiniani martyrum, quod musivo opere et emblematibus egregie condecoratum Paschalis papa in horum martyrum honorem erexit, consecravit, cancellis aeneis conclusit; et ipsorum martyrum corpora de coemeterio sanctae Agathae, magna cum sacerdotum ac populorum devotione et exultatione translata, ibidem insigni porphyretica concha recondidit, ubi et ipse postmodum sepultus fuit. Habitum fuit semper hoc delubrum magnae venerationi, praesertim mulieribus, quae nec id olim intrare audebant; cuius etiam venerationem augebant multa alia sanctorum Pontificum corpora, quae ibidem sepulta fuerunt. Ab hoc oratorio, in dextera basilicae parte, per directum iuxta templi extremum murum sub minore navi usque ad altare sancti Gregorii, et portam iudicii, dehinc flexu usque ad argenteam portam, ubi modo paenitentiarii permanent, erant sepulcra sanctorum decem Pontificum, qui post Petrum ante Constantinum vixerunt. Extabant praeter alia litterae in pavimento insculptae, quibus ostendebantur corpora Lucii II, et Caelestini III. ibidem collocata fuisse. His addendi sunt Symmachus, Hormisda, Deusdedit, Honorius, Severinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus, Conon, Sisinnius, Constantinus, Zacharias, Valentinus, Nicolaus, Formosus, Lando, aliique, quorum accuratam seriem infra subiiciam, qui non tam in hac basilicae parte, quam per omnem passim ecclesiam, atque etiam in ipso vestibulo atriove sepulti sunt, beatam resurrectionem expectantes.

Subsequebatur altare cum sacello sancti Mauritii, cuius illa singularis erat dignitas, quod imperator designatus, antequam ad altare sancti Petri a romano Pontifice coronam im-

perii, ac gladium defendendae ecclesiae causa susciperet, ibi primum ab episcopis Cardinalibus more veterum benedici, et inungi solebat. Huius arae multa mentio est in actis omnium coronationum romanorum Imperatorum. Huic proximum erat altare aliud sancti Silvestri, in quo reconditum fuisse eius brachium antiquiores ex P. Manlii memoria tradiderunt, nec non et corpus Vigilii papae, quod ex maiorum relatione, et ut in proximo pariete scriptum fuit, inventum est, ut etiam tradit Petrus Manlius. Iuxta fuerunt sepulcra Hadriani papae II. nobili marmorea concha, et Eugenii II. marmoreo tumulo. Post quae fuit oratorium et altare beatae Mariae, quod respondebat choro canonicorum, de quo ita scribit Bibliothecarius: « Gregorius III. fecit oratorium beatae Mariae matris Dei intra basilicam sancti Petri, prope locum, ubi postea fuit chorus canonicorum iuxta arcum principalem, in parte virorum: in quo in honorem Christi, et sanctae Mariae virginis, reliquias sanctorum apostolorum, et martyrum, confessorum, virginum, atque iustorum in toto terrarum orbe quiescentium ex variis coemeteriis collectas recondidit. Quorum festa vigiliarum quotidie per ordinem existentia a monachis trium monasteriorum illic Deo servientium, natilitiorum vero missas a presbyteris hebdomariis in eodem loco celebrari instituit. » Inter quas reliquias, ut traditum est a maioribus nostris, reposuit etiam corpus beati Gabinii presbyteri sanctae romanae ecclesiae, cuius altare mansit ubi usque ad tempora Eugenii III. papae, ad quod Sardinia et Corsica annuum tributum quotannis mittere solebant. Cum quo et aliud altare simul erat beatae Mariae virginis, quod ipse quem diximus Gregorius III. erexerat et consecraverat; sub quibus altaribus cum iussu Eugenii III. papae diruerentur, inventa sunt tria sepulcra ferro et plumbo probe alligata.

Erant porro ambo altaria aeneis cancellis munita et circumsepta. Quibus dirutis unum altare amplum factum est sancte Mariae dicatum, in quo locata fuit imago beatae Virginis filium amplexantis, supra quam in loculo Eugenius III, conveniente psallenteque omni clero romano, reponi mandavit dexterum armum sancti Stephani protomartyris donatum basili-

cae vaticanae a Pelagio II. papa, quemadmodum intelligitur ex historia eius translationis de Constantinopoli Romam factae, quem etiam nunc canonici apud se habent, magnaque cum veneratione custodiunt. In eodem porro oratorio ab omni ecclesiae conventu missarum officiorumque sollemnia quotidie celebrantur. In quo sub arcu opere musivo optime ornato, qui usque ad Eugenii III. tempus permansit, Gregorii III. et Eugenii III. corpora iacuerunt simul tumulata. Ante ostium sacrarii, a dextera parte introitus, extabat Eugenii III. titulus marmori impressus, Gregorii III. diu ante deperierat; quo in loco sepultus fuit Petrus diaconus sancti Gregorii papae, quem ipse beatus pater in dialogis suis colloquentem secum inducit. Iuxta quem locum sepulti etiam fuerunt Eugenius IIII, et paulo procul in diverso latere eins successor Nicolaus V.

Ceterum, ut reliqua Gregorii III. acta persequamnr, illud scitu dignum, eumdem Pontificem in canone missae adiecisse haec verba a sacerdote dicenda: quarum sollemnitas hodie in conspectu tuae maiestatis celebratur, domine Deus, in toto orbe terrarum, quae verba in eodem oratorio tabulis lapideis conscripsit, in quo etiam pergulam lapideam fecit, multaque dona obtulit, quae fuere gabatae aureae duae, et aliae saxicae quinque; cruces pendentes quatuor, et cruces similes decem; amularum argentearum super auratas paria duo pendentia; fibulatoria quinque; corona aurea cum cruce pendens gemmis ornata; patena et calix aurei, aquaemaniles argentei duo; in imagine sanctae Dei genitricis diadema aureum cum gemmis; collare aureum cum gemmis pendentibus, inaures habentes hyacinthos sex. Faciem altaris et confessionem cum sex regiolis vestivit argento. In tribus lateribus altaris posuit cruces argenteas librarum XXX, canistra argentea sex, calicem argenteum unum, qui pendet in apsida ipsius oratorii. Super eamdem absidam cruces argenteas tres, et cetera quae in ornamentum pergulae et ad vestes altaris ordinata sunt. Post chorum canonicorum, prope oratorium Gregorii III, erat altare S. Martialis discipuli sancti Pauli apostoli, antiquum certe et magnae semper venerationis. Atque haec omnia altaria et sacella fuerunt in dextera basilicae et transversa navi supra ecclesiae peristylia.

In sinistra vero haud procul ab altari maiori, et confessione sancti Petri, consecratum fuit altare sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod e regione respicit aliud altare sancti Bartholomaei vetustum utique et magnae olim devotionis, cui proxima erat columna marmorea intorta, vitibus ornata, cui tantam Deus virtutem praestitit, ut qui a daemonibus arpti sunt, apud eam divinis habitis supplicationibus liberentur, quod multis iam certis magnisque exemplis compertum habemus. Post quod iuxta arcum maiorem ecclesiae fuit aliud antiquum sancti Pastoris altare. Haec omnia altaria fuerunt in transversa basilicae navi. In minoribus vero per longum navibus, iuxta basilicae murum, quatuor altaria sive oratoria fuerunt, duo ex utraque parte; a dextera quidem, sancti Gregorii et sancti Thomae; a sinistra vero, sancti Ambrosii, et sancti Salvatoris Sudariique, de quibus ordinatim disseramus. Oratorium altareque sancti Thomae apostoli, quod adhuc superest, condidit Symmachus papa, de quo ita scribit Bibliothecarius: « Symmachus papa fecit oratorium sancti Thomae apostoli ad sanctum Petrum, et eius confessionem argenteam librarum XX, arcum argenteum librarum XVI. » Adhuc superest, in quo sunt Innocentii VII. et aliquot Cardinalium sepulcra. Item baptisterium, quod marmoreo eleganti pilo olim Probi praefecti praetorio sepulcrum fuit. In extremitate ecclesiae, inter murum et portam Iudicii, eo latere ubi sedent, qui paenitentium peccata audiunt, recta via, est oratorium sanctorum Andreae apostoli et Gregorii papae, sub quo iacet corpus eiusdem sancti Pontificis. In ciborio vero, quod est supra altare, extat caput sancti Andreae apostoli, ibi a Pio II. locatum. Hoc oratorium, quod nunc secretarii usum praestat, quando Pontifex romanus consecratur, constructis absidis ante novum secretarium fecit Gregorius IIII, in cuius praecipuo altari collocavit corpus sancti Gregorii papae, illuc ex humiliore loco ante vetus secretarium sub porticu olim iacens translatum, ubi eius anniversaria sollemnitas cunctis certatim pernoctantibus celebrari solebat.

In alio basilicae latere fuit oratorium cum ara sancti Ambrosii episcopi et eximii ecclesiae doctoris, quod diu ante ba-

silicae ruinam suum nomen devotionemque amiserat. Prope finem basilicae versus portam sanctam, est oratorium et altare sancti Sudarii, insigni excultoque musivo opere, dicatum beatae Virgini, de quo ita scribit Bibliothecarius: « Iohannes VII. papa vir eloquentissimus fecit oratorium sanctae Dei genitricis Mariae intra ecclesiam beati Petri apostoli in parte sinistra iuxta portam Guidoneam, opere pulcherrimo, cuius parietes musivo depinxit, illicque auri et argenti quantitatem multam expendit, sub cuius altari sepultus est. » Eadem repetunt Beda, et Petrus Manlius. Ibi Sudarium Christi, quod dicitur Veronicae, alias Berenices, quo ante passionem faciem suam extersit. In hoc altari prima noctis natalitiae missa celebrari solebat. In eius altari, nobili elaboratoque marmoreo operculo, sive suggesto, summa cum veneratione, ut dixi, conservatur, et cum tempora sua postulant, populis ostenditur sanctissimum Christi Sudarium. Huic altari antiquitus Pannonii, Sarmatae, Getae, Illyrii, Dalmatae, multa afferebant dona. In inferiore basilicae latere, quod portas continet, quatuor fuerunt oratoria sive altaria. Primum inter Sudarii oratorium et portam Guidoneam, fuit sacellum cum ara sancti Antonini martyris, cuius nomen longa vetustate exoletum, ante centum annos sub nomine beatae Brigidae colebatur, nunc sancti Erasmi dicitur. Inter Guidoneam, et romanam portas, fuit altare sancti Tridentii martyris, quod nunc sine nomine ob posterorum iniuriam extat; habet Ursinorum insignia. Prope portam romanam et argenteam fuit altare sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi, postea sancti Spiritus, nunc sanctae Annae dictum, quod e regione respondet alteri altari sanctorum Simonis et Iudae, ad quod est accessus per portam Ravennianam, quod nunc mortuorum vocatur; ad quorum altarium ornatum Leo IIII. papa duas magnas cruces fabricavit, unam auream librarum CC, alteram argenteam librarum totidem. Haec et sancti Andreae, ac sancti Gregorii altaria Innocentius III. consecrari iussit, presbyteri cuiusdam nocturna visione admonitus, de qua re extat eiusmodi epistola in registro eius.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri
Octaviano ostiensi episcopo vicario nostro salutem,
et apostolicam benedictionem.

Paucis diebus ante nostrum ab Urbe recessum, sacerdos quidam aetate longaevus, timoratus, ut creditur, ad praesentiam nostram accessit secreto proponens, quod in visione nocturna per somnium ei apparuit beatus Petrus apostolus dicens: accede ad pontificem Innocentium, et ex mea sibi parte significa, quod a nativitate sua quasi filium illum dilexi, et per diversos gradus promotum in mea tandem sede constitui. Quapropter et ipse decorem et honorem domus meae debet diligere, studioque vigili promovere. Sciat ergo quod in ecclesia mea pauca sunt altaria consecrata, unde contingit, quod in altaribus dissecratis divina mysteria celebrantur. Faciat igitur ea saltem cum debita reverentia consecrari, super quae novit frequentius officium celebrari divinum. Verum cum semel et iterum eadem sibi fuisset visio revelata, nec ipse quod mandabatur impleret, tertio tandem idem apostolus, velut offensus intulit dicens: quia non meum obaudisti mandatum, ego tuum tibi tollam auditum. Ex tunc ita surdus effectus est, ut penitus non audiret. Gemens ergo vehementer et plorans ad confessionem beati Petri devotus accessit cum lacrimis, postulans ut misertus sibi restitueret auditum, quia mandatum ipsius illico adimpleret. Quo per Dei misericordiam exaudito, quod acciderat ei nobis per ordinem indicavit. Licet autem secundum apostolum non sit credendum omni spiritui, quia tamen in tali negotio angelus sathanae non transfiguraret se in angelum lucis, et melius est pie credere quam temere dubitare, cum honestum sit quod proponitur, faciendum est, etsi verum non esset, quod asseritur revelatum. Fraternitati tuae, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatenus altaria sanctorum Philippi et Iacobi, Simonis et Iudae, beati Gregorii et Andreae, quae dissecrata dicuntur, tu ipse consecres, vel per alios auctoritate nostra facias consecrari. Credimus enim, quod ex hoc nobis fructus aeternae retributionis accrescet.

Post altare SS. Philippi et Iacobi iuxta portam clausam,

quae mittebat in templum sancti Vincentii, erat aliud altare sancti Abundii, qui fuit mansionarius ipsius basilicae, de quo beatus Gregorius in dialogorum libris mentionem facit. Bibliothecarius in vita papae Symmachi ita scribit: « hic Pontifex fecit ad beatum Petrum apostolum confessionem sanctorum Cassiani, Proti, et Hyacinthi argenteam librarum XXX, et arcum argenteum librarum XII » cuius nullam praeterea mentionem inveni.

C A P. VI.

De quadriporticu ante basilicam, paradiso, cantharo, gradibus, et platea sancti Petri.

Quadriporticum ante basilicam fabricavit Constantinus, cuius ichnographiam supra posui. Is totus erat e latere cocto, extra muro, intra columnis munitus, cum tecto ligneo et imbricato, in cuius singulis angulis totidem ecclesiae erant. Erat vero longa pedes (1) . . lata pedes . . columnas ex omni latere habuit . . . Symmachus papa hanc quadriporticum marmoribus ornavit, atque in ea ex musivo fecit agnos, cruces, patenas, et alia ornamenta, et totum atrium marmoreis tabulis stravit. In media vero area, quae paradisus dicitur, cantharum fecit columnis octo porphyreticis ornatum, cum cariatidibus, vel spondis marmoreis, quae gryphos incisos habent, cuius tegmen aeneum pavonibus ex mole Hadriani erutis, et delphinis inauratis aquas fundentibus decoravit. In cuius medio locavit pineam aeneam deauratam, qua per subterraneos syphones et plumbeas fistulas aqua ex forma sabbatina derivabatur, utque publicae commoditati usui esset, subterranea fistula labrum apud obeliscum replebatur. Tandem aream subdivalem, quae paradisus dicitur, ante basilicam domnus Papa magnis candidis lapidibus marmoreis, qui nunc etiam extant mirifice stravit. Sic narrant Bibliothecarius, Beda, Petrus diaconus lib. V. cap. XI. historiae Langobard. In ea area iuxta portam sepultus est Otho II. imperator.

(1) Heic quoque mensurae desiderantur.

Hanc porticum Procopius libro primo de bello ghotico commemorat sic: «sub porticu ad sacras apostoli Petri pertinentem aedes Gothi latitabant.» Eam Constantinus papa picturis ornavit, quae acta sex sanctorum synodorum universalium continebant, cum eadem Constantinopoli combussisset imperator impius Leontius iconomachus haereticus. Gradus ante basilicam vaticanam a Constantino augusto factos amplificavit Symmachus papa ex lapidibus, quos ex antiquo metae imitante formam sepulcro vaticano evulsit. Idem ornamentis suis spoliatum usque ad Alexandri VI. tempus permansit. Eosdem gradus, additis apostolorum Petri et Pauli colosseis simulacris, restituit Pius II. Idem Symmachus papa fecit alios gradus sub tecto prope basilicam dextera laevaque, quibus ad porticum iter erat. Sub gradibus vero in atrio in medio loci, qui cortina dicebatur, in platea sancti Petri, alium cantharum foris in campo cum concha porphyretica ante ecclesiam sanctae Mariae Hungarorum posuit, cuius usus esset in ablutione unctionis chrismatis feria secunda post pascha, ceteris vero diebus publico usui esset, et hominum commodo. In quo etiam more veteri schola Hungarorum praeparabat lectum in maiore litania romano Pontifici venienti ad sanctum Petrum, in quo paululum de via fessus quiesceret. Alios gradus ante ecclesiam beatae Andreae fecit idem pontifex Symmachus, ibique alium cantharum usui humano locavit. Ante sanctum Petrum magna platea est, quam dirutis aliquot domibus Pius IIII. amplificavit.

CAP. VII.

Monasteriorum, sacellorum, et aliorum aedificiorum, quae erant circa basilicam sancti Petri, epilogus.

Extra basilicam sancti Petri per circuitum erant antiquitus monasteria quatuor, scilicet in dextero basilicae latere, S. Martini, S. Stephani seu Hadriani papae, alterum S. Stephani. In sinistro, SS. Iohannis et Pauli, baptisterium unum honori sancti Iohannis dicatum, coemeterium unum, aedes sacrae, oratoria, sive

sacella tredecim. In dextero basilicae latere, Probi praefecti praetorio, S. Petronillae, S. Andreae, S. Angeli, S. Mariae de febre quod nunc secretarium est. In sinistro basilicae latere, S. Sosii, S. Apollinaris, S. Crucis, S. Luciae. In quatuor angulis quadripartitae porticus, S. Mariae in turribus, S. Apollinaris, S. Vincentii, secretarium quod olim sancti Gregorii, nunc dicitur sanctae Mariae de febre, episcopia duo ab utraque parte graduum, domus hospitales aliquot, quorum ichnographiam et situm in supra posita tabella ostendi.

CAP. VIII.

De quatuor monasteriis basilicae vaticanae.

De fabricis supradictis cum verba facere constituerim, quid antiqui scriptores, qui eas viderunt Petrus Maulius, et Maffaeius Vegius de iis retulerint, scripto subiiciam, cum omnes fere novae fabricae, basilicae vaticanae causa, nunc dirutae sint. Et primum de monasteriis dicam. Quorum unum primus Leo magnus papa apud sanctum Petrum constituit, ut auctor est Bibliothecarius. Gregorii III. papae tempore tria monasteria circa eamdem basilicam iam fuisse incertis auctoribus fabricata, in quibus monachi habitabant, divina ei quotidie officia exhibentes, viventesque in suo quique monasterio ex communibus redditibus, scribit in eius vita idem Bibliothecarius his verbis: «Gregorius III. in oratorio ab se intra basilicam sancti Petri constructo, diebus natalitiis martyrum, quorum reliquias ibidem collocaverat, a monachis trium monasteriorum illic servientium quotidie vigiliarum festa per ordinem existentia celebrari instituit.» Et paulo infra eadem repetens ait: «idem Pontifex constituit secundum constitutum servatum, quod a collegio sacerdotum coram sacro corpore beati Petri factum est, pro celebrandis sollemniis vigiliarum, atque missarum Christi, beatae Mariae, et omnium sanctorum, ut in oratorio nomini eorum dedicato intra ecclesiam beati Petri apostoli sub arcu principali a monachis vigiliae celebrarentur, et a presbyteris hebdomadariis missarum solemnia.»

Haec porro tria monasteria fuerunt, sancti Martini, sancti Stephani, sanctorum Iohannis et Pauli, ut ex tabulis marmoreis eiusdem oratorii ab eodem Gregorio III. papa factis intelligebatur. Quae monasteria Innocentius III. in bulla quadam canonicis sancti Petri concessisse profitetur. Quibus Hadrianus papa addidit quartum etiam monasterium sancti Stephani, haud procul a coenobio sancti Martini. De monachis horum monasteriorum Bibliothecarius in vita eiusdem Gregorii III: hic papa circa titulum sancti Chrysogoni in monasterio abbatem, et monachos constituit ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo, diurnis, atque nocturnis temporibus ordinatas secundum instar officiorum ecclesiae sancti Petri.» Et paulo infra: «idem Pontifex monachos et abbatem restituit in monasterio sancti Pancratii secus basilicam constantinianam ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinae in ecclesia S. Salvatoris iuxta Lateranum diurnis nocturnisque temporibus ordinata ad instar officiorum sancti Petri.»

CAP. IX.

De monasterio sancti Martini.

Monasterium sancti Martini dexterae parti absidae sancti Petri contiguum paene fuit, in quo congregatio monachorum Deo in basilica vaticana servientium longo tempore habitavit; quod quis Pontifex instituerit, incompertum est. In eo Leo IIII. papa diu monachus vixit, ut ex Bibliothecario tradit Petrus Manlius, ex quo ad presbyterum Cardinalem titularem sanctorum quatuor Coronatorum a Sergio II. assumptus est; quo mortuo, cum pontificatum romanum obtinuisset, basilicam sancti Petri in qua educatus fuerat maximis muneribus auxit, et Urbem muro cinxit a se Leonianam vocatam. Huius monasterii oratorium cum aliquot adiunctis domunculis Maffaeius Vegius ante annos CXL. se vidisse scribit, paulo post funditus disiectum. Erat sane oratorium illud summae apud omnes devotionis, maximaque in eo posita erat imago aenea sancti Petri; quo diruto, ad aliud oratorium, intra ecclesiam sanctorum

Processi et Martiniani, et eo etiam disiecto, sub organo modo transportata est. Neque in tota sancti Petri basilica post altare maius ullus locus erat, ad quem maior prae devotione fuerit concursus populorum, maioraque oblatae stipis commoda suspicerentur. Leo IIII, qui (ut dixi) a primaeva aetate in eo monasterio nutritus fuerat, Pontifex, factus memor continuae priorum temporum pristinaeque conversationis, summam semper augendae ornandaeque basilicae suae curam gessit, et praesertim eius, in quo educatus fuerat monasterii. Cui quanta contulerit, ex quodam eiusdem diplomate eidem monasterio concesso, intelligitur. Ubi inter cetera refertur, Leonem IIII. huic monasterio concessisse templum S. Salvatoris in Turrione positum, quod ad Transalpinorum sepulturam construxit, cui et ab aliis patribus, magna etiam multaque munera donata fuerant. Templum item sancti Zenonis illi proximum, et aliud sancti Michaëlis monti adiectum, omniaque simul bona, redditus ac iura eorum. Cum his etiam tria oratoria, quae erant intra basilicam sancti Petri illi proxima, scilicet sancti Xysti, sancti Leonis, et sancti Hadriani, de quibus supra dixi, quemadmodum constat non solum ex Leonis IIII, verum etiam Leonis IX. privilegio, diploma Leonis IIII. confirmante, quod marmoreae tabulae incisum, muro basilicae supra portam, qua ad idem monasterium iter erat, diu affixum extitit. Concessit vero Leo IIII. ea oratoria cum omnibus bonis et iuribus eorum, praesertim cum duobus hospitiis, quae post ipsa oratoria ac basilicam posita erant, a Nicolao V. papa diruta, cum novam basilicae vaticanae absidam facere constituisset, in cuius fundamentis repertae sunt subterraneae cellae ornatissimae, quae superiecta ingenti ruderum congerie intra viscera terrae absconditae, penitus ignotae erant.

C A P. X.

De monasterio sancti Stephani minoris, aliâs Hadriani papae.

Monasterio sancti Martini proximum fuit illud coenobium ab Hadriano papa in sancti Stephani honorem iuxta basilicam

sancti Petri fundatum, quod ad differentiam alterius monasterii maioris eiusdem sancti nomine consecrati, sancti Stephani minoris monasterium, ut magis discernerentur, appellabatur. In quo habitantes monachi, cum aliis simul tribus monasteriis, quae ante Gregorium III. instituta fuerant, quotidie psallentes beato Petro laudum officia exhibebant. Vegii aetate magna ex parte dirutum erat. De eo Bibliotherius: « Hadrianus papa in monasterio sancti Stephani Catabarbara patricia, sito ad beatum Petrum apostolum, congregationem monachorum et abbatem constituit, qui sedulas laudes in ecclesia beati Petri persolverent, quemadmodum alia tria monasteria, ut duo monasteria ex unoquoque latere ipsius ecclesiae Deo nostro canerent laudes.

CAP. XI.

De monasterio sancti Stephani maioris.

Ad sinistrum basilicae latus, paulo supra absidam ecclesiae, ad montis radicem et circi caput, fuit magnum opulentumque sancti Stephani cum templo eximio monasterium, quod a Leone papa fundatum fuisse opinor Catabarbara patricia dictum in antiquis monumentis, quamquam Benedictus X. papa in quodam privilegio illud Catagalia patricia appellet. Id vero prioribus temporibus oratorium fuerat, postea auctum et amplificatum, demum Maffaeii Vegii aetate hominum incuria magna ex parte disiectum, prorsusque desertum erat: et quamquam in multis monumentis antiquis eius mentio extet, nulla tamen vetustior de eo memoria habetur, quam ea, quae in duabus tabulis marmoreis incisa erat, locatis in utroque latere oratorii sanctae Mariae in cancellis, quarum auctor Gregorius III. fuit. In his legitur Pontificem illum statuisse quaedam observanda a congregationibus trium monasteriorum apud basilicam sancti Petri positis, ipsique servientibus, sanctorum scilicet Iohannis et Pauli, sancti Stephani, et sancti Martini. Hoc monasterium Hadrianus papa, ut basilicae vaticanae servitio melius provideret, cum neglectum et dirutum paeneque destru-

ctum, ut nullum officium divino cultui ibidem amplius exhiberetur, invenisset, non modo reparavit et auxit, verum etiam multis et magnis bonis dotavit; siquidem donavit ei castrum paternae hereditatis Capracorum, positum in agro nomentano ad XV. ab Urbe lapidem, et fundum quemdam optimum Bravi vocatum, eique subdidit et univit templa beatae Petronillae et sancti Stephani eidem vicina, cum omnibus bonis eorum, quae magni redditus aestimata sunt. Cui Leo III. eius successor templum sancti Peregrini, hospitaleque cum redditibus eius donavit subiecitque. Hoc sancti Stephani monasterium omnium maius et insignius erat. Cuius abbas ex singulari privilegio simul etiam basilicae vaticanae praeerat, cum singula tamen monasteria suos abbates haberent. Cuius monasterii aedificia quo plures in eis habitabant, eo maiora quoque et magnificentiora erant, ut nullam cum aliis monasteriis comparationem habere viderentur. Maffaeii Vegii aetate aliquot eiusdem monasterii aedificia supererant, reliquis dirutis, in quibus ipse habitavit, cuius domûs atrium, triclinium monasterii fuit, quo monachi mensis accumbebant. Huius monasterii ita meminit Anastasius bibliothecarius: « Stephanus IIII. papa Paschalem, qui ei postea in pontificatu successit, tantis studiis pervigilem et religiouis devotum perspiciens, ei tam monasterium sancti Stephani protomartyris, quam maiorem iuxta basilicam beati Petri ecclesiam, ad regendum commisit.

CAP. XII.

De monasterio SS. Iohannis et Pauli.

Quartum monasterium, sive tertium ex his, quae Gregorius III. papa commemorat in tabulis marmoreis oratorii ab se constructi, fuit sanctorum Iohannis et Pauli ante eiusdem tempora; incertum tamen a quo Pontifice conditum; in quo monachorum congregatio basilicae vaticanae usui adstabat, ut in eius vita tradit Bibliothecarius.

CAP. XIII.

De baptisterio vaticano.

In coemeterio sive basilica vaticana, quae ante Constantinum erat, praeter martyrum sepulcra, baptismi etiam fontem fuisse constat, quod non in omnibus coemeteriis erat; quod signum fuit excellentioris cuiusdam praerogativae. Basilicâ vero a Constantino conditâ, Liberius papa Damasi presbyteri, qui postea papa fuit, opera sacri fontis causa excellens baptisterium retro eamdem basilicam parte sinistra condidit, cuius meminit protonotarius sanctae romanae ecclesiae in actis Liberii papae primo tomo conciliorum cap. VII. sic: veniente die pentecostes satis probatus sexus promiscuus urgebatur ad baptismum propter metum persecutionis. Dixit autem Dionysius presbyter ad Liberium papam: quare non baptizas ad exemplum summi pontificis nostri Petri apostoli? Respondit Damasus et dixit, fac. Erat enim obscurus sensus Liberii dicentis; pater eius fabricavit ecclesiam hanc, et construxit eam; habet ergo potestatem in patris sui domo ferre sententiam. Nam et aqua ibi non emanavit. Homines enim promiscui renasci desiderant, non mori propter me solum. Respondit Dionysius presbyter, et dixit: renascantur, et si mortui fuerint post baptismum in cruore, melius vivent. Respondit Damasus et dixit: non tristetur cor tuum, praesul summe, quia dabo tibi venam fontis emanantem. Gaudio corroboratus est Liberius ad hunc sermonem, et dixit ei: vade construe affluentem spiritu fontem, et ego veniens cum fratribus adorabo illum, quem nobis dimisit Christus, qui pro nobis est passus. et tertio die venit Damasus, venit Siricius, venit Innocentius, venit Priscus, et Dionysius et Urbanus diaconi ad beatum Petrum apostolum, erant enim ibi monumenta, et super iis aqua denatabat. Fecit autem quasi cum illis concilium Damasus, et dixit: date mihi operam ministerii, ut haec aqua mandetur desuper cadavera hominum. Fecit autem cuniculos duos, exinanivit locum illum, qui est a dextera introëuntibus in basili-

eam beati Petri apostoli. Habebat enim ibidem fontem, qui non sufficiebat, et excidit montem Damasus manu sua; intravit aqua plus quam consuetum est, et construxit fontem, et nunciaverunt hi omnes Liberio episcopo quid actum fuisset. Huius rei memoria extabat in veteri Damasi epigrammate tabulae marmoreae baptisterio eidem affixae, inciso his elegantibus versiculis:

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum cineres atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere poenas.
Protinus adgressus magnum superare laborem.
Aggeris immensi deiecit culmina montis,
Intima sollicitae scrutatus viscera terrae,
Siccavit totum quicquid madefecerat humor,
Invenit fontem, praebet qui dona salutis.
Haec curavit Mercurius levita fidelis.

Liberium papam in basilica vaticana baptismum praedicasse testantur eadem acta sic: «et iussit convenire omnes presbyteros, clericosque universi gradus, et fideles, et voce clara dixit; vocat Petrus oves suas; ecce homo fidem servans, Christum audiens; et me peccatorem fecit esse ovile ovium, et dedit eloquio oris mei dulcedinem mellis. Propter quod ego gaudeo, quia non permisit Petrus introire lupum, et vastare oves eius, sciatisque me praedicare baptismum in basilica Petri apostoli. Hoc omnes cum gaudio susceperunt, erat enim proximus dies pentecostes. Fecit ergo convenire monasteria, plebem sanctam christianorum, et cum litaniis venit ad beatum apostolum. Dedit autem dum introivissent hanc orationem: Deus, qui misisti filium tuum et ostendisti creaturae creatorem, respice super vineam istam, et emunda ab ea spinas, et tribulos, et produc palmites eius in fortitudinem, et dona eis fructum veritatis, quae Deum et dominum nostrum Iesum Christum, et Spiritum sanctum agnoscat, qui vivit cum Deo patre omnipotente et a saeculis, et nunc et usque in saecula saeculorum. Et respondit plebs, amen. Et introierunt sabbato pentecostes, et placuit Liberio fons, et prae gau-

dio piorabat omnino, non quidem amare, sed quasi favus mellis videbatur. Ab hora nona cathechizavit omnes, et ad horam quasi iam octavam ad occasum usque in dominicam pentecostes non cessavit baptizare. Multi enim urgebantur baptizari, ita ut in dominica pentecostes sabbati missa celebraretur hora quasi octava, et baptizati sunt promiscui sexus fere octo milia octingenti decem. Multi quoque eodem tempore desiderabant tangere vestimenta Liberii episcopi. Alia autem die, quae est feria II. audivit universa plebs, quod Constantinus, qui adeptus quidem fuerat praeclaram victoriam, sensu alienatus dicebat: in Nicomediam vadam; et transivit usque ad Nicomediam in Acyrone villa: ibi baptizatus est ab Eusebio nicomediensi, et in Arianorum dogma declinavit.

Symmachus papa fecit in baptisterio sancti Petri oratoria duo sanctorum Iohann. Baptistae et Evangelistae, in quorum confessionibus arcus argenteos locavit librarum triginta et cubicula omnia a fundamentis perfecta construxit. Hadrianus papa aquaeductum aquae sabbatinae, qui per viginti annos disiectus manserat, centum formae arcubus a fundamentis reparatis urbi Romae et basilicae vaticanae restituit. Haec aqua decurrebat per centenarium in atrio ecclesiae beati Petri, simulque in balneo ibidem prope sito, ubi fratres nostri pauperes Christi, qui anniversario paschatis die ad accipiendam eleemosynam conveniunt, lavari solebant. Eadem aqua molae aliquot in Ianiculo agitabantur. Affluebat vero aqua baptisterii in concham pretiosissimam, nobili materia et arte elaboratam, e marmore alabastro simile, alabandico vocato, quae ad os fistulae posita erant. Id baptisterium praegrande, et multis altaribus ornatum, semiruptum extabat aetate Maffaeii Vegii cum subterraneis meatibus, quibus per multa milliaria aqua deducebatur, magna arte et impensa fabricatis. Huius nunc vestigia nulla extant. Prope hoc baptisterium erant oratoria sanctae Crucis, et sanctae Luciae, de quibus infra dicam.

CAP. XIIII.

De coemeterio vaticano post basilicam a Constantino imperatore aedificatam.

Cencius Cardinalis, camerarius sanctae romanae ecclesiae, qui postea Honorius III. fuit, in libro censuum apostolicae sedis de antiquis romanis coemeteriis caput scripsit, cuius index et titulus hic est. De coemeteriis, quae inveniuntur in passionibus sanctorum. Coemeterium Calepodii, et cetera; ubi inter viginti quae enumerat coemeteria, duodecimo loco ponit coemeterium fontis S. Petri. Et optime; nam prope baptisterium, de quo supra dixi, etiam Maffaeii Vegii aetate, vetus adhuc et altum quoddam coemeterium penes basilicam et absidam ecclesiae vaticanae, coiii ipsi coniunctum erat, cum oratorio utique semirupto superposito. Quod postquam dirutum fuit, repertus est insignis locus sepulturae gentilium causa fabricatus, continens urnulas more eorum cineribus plenas, quod christiani sui ipsorum usui persecutionum tempore occuparunt. Nam idem christianorum coemeterium fuisse ex eo intelligebatur, quod in eo reperti sunt plures nobiles marmorei tumuli, inter quos unus inventus fuit dicatus Leoni papae cum marmoreo lapide sic inscripto: SALVO PAPA LEONE AGNELLUS PRESBYTER ORNAT. Apud vaticanam basilicam amplissimum coemeterium fuisse inde intelligitur, quod multa Pontificum romanorum corpora nec non Honorii, et Placidi Valentiniani imperatorum, Mariae, et Thermantiae augustarum, Probi praefecti praetorio, et multorum aliorum nobilium virorum cadavera ibidem sepulta fuere. Coemeterii loca, ante basilicam vaticanam, in quadriporticu, et retro sub monte fuisse, ex eorum qui ibi sepulti fuerunt commemoratione ostendam. Bibliothecarius in vita Xysti III: « Bassi viri illustris corpus Xystus episcopus cum linteaminibus, et aromatibus manibus suis tractans, et recondens sepelivit ad sanctum Petrum apostolum in cubiculo parentum eius. » Ambrosii primicerii notariorum in basilica vaticana sepulti adhuc extat epitaphium, quod infra subiiciam. Hadrianus papa iussit corpo-

ra Christophori primicerii et Sergii eius filii secundicerii sanctae romanae ecclesiae interfectorum, cum honore in ecclesia sancti Petri sepeliri. Leo IIII. suo diplomate donavit canonicis sancti Petri ecclesias sancti Salvatoris in Turrione ad sepulturam Transalpinorum, et sancti Iustini in monte Saccorum ad sepulcrum Italicorum cum redditibus suis. Coemeterium vulgo dictum campus sanctus, omnium mortalium sepulturae destinatum, iis antiquis coemeteriis nunc successit.

CAP. XV.

De basilica Probi praefecti praetorio.

Altari maiori, capitique basilicae connexum, atque extra porrectum erat, templum magis prae magnitudine eius, quam oratorium, quod Nicolai V. tempore dirutum fuit, cum is novam basilicae absidam aedificare constituisset. Erat vero nobile, magnum, multisque marmoreis columnis ornatum, sed iam tum negligentius habitum, nullique iam accessum, quod imperitum vulgus confessionem beati Petri, ac eius viventis habitaculum fuisse dicebat. Fuerat porro templum illud extructum ab Anicia Proba clarissima femina in memoriam mariti sui Probi, viri clarissimi, et praefecti praetorio, qui vir fuit summus aetate sua, multis functus in vita magnisque et excelsis honoribus, in Valentiniani et Valentis imperio; a quo cum esset praefectus praetorio Italiae, refert beatus Paulinus episcopus nolanus Ambrosium electum esse ad consilium tribuendum, post quod consulatus etiam insignia suscepisse, ut regeret Ligures et Insubres Mediolani residens; cuius summa illa laus fuit, quod nondum christianus, sed omnium litterarum genere imbutus, et philosophicis disciplinis admodum eruditus, electus est a Constantino imperatore ad audiendas diversas de religione certantium episcoporum circa fidem catholicam opiniones, ferendamque de iis, quaenam verior esset sententia. Quos omnes ita ille audivit intellexitque, ut quam Athanasius alexandrinus episcopus confiteretur fidem commendaret, ac probaret, atque ut veriorem suscipiendam esse iudicaret; iudicans-

que simul ipse, quam antea contempserat, libenter ultroque fidem susciperet. Tanti illum sincerissime ac fortissime argumentantem fecit Athanasium, virum doctum et sanctissimum! Ceterum ad Probum et eius templum redeamus, cuius ita Ausonius gallus meminit:

Perge o libelle Sirmium
etc. usquè ad
Aveque dicto, dic vale.

Hic igitur Probus quum praefectus praetorio esset, in ultima iam senectute ad Christi fidem conversus est. Cuius sepulcrum marmoreo eleganti pilo, imaginibus sacris insculptum, in hoc templo locatum est, quod dum fundamenta altius effoderentur, inventum fuit ruderibus obsitum, sed multo auro pleuum, quod eius vestibus intextum erat. Nunc illud repositum est in oratorio sancti Thomae apostoli, baptismalis fontis causa. Id vero templum ampiis et elegantissimis et pulcherrimis peristyliis, a columnis sustentatis, in circuitu ornatum erat, in quorum zophoris, nunc deperditis, versus sequentes in laudem eiusdem Probi legebantur.

In peristyliis ecclesiae antiquae pone basilicam S. Petri.
Exuvlis resolutus, in aetheris aequore tantum
etc. ut legere est apud Vegium lib. IV. usque ad
Auxilium soboli coniugioque ferat.

CAP. XVI.

De templo sanctae Petronillae.

Templum sanctae Petronillae in dextera basilicae parte fuit, parum infra transversam basilicae navim, antiquum admodum, nobili magnaque impensa et miro cultu elaboratum, in quo altare eiusdem divae fuit, sub quo ipsius corpus iacuit pretioso in sacrophago, translatum illuc ex coemeterio viae Appiae, ac reconditum a Paulo papa, qui illud invenit cum eiusmodi titulo: AUREAE PETRONILLAE DILECTISSIMAE FILIAE. Petrum autem uxorem et filiam habuisse, testatur divus Hieronymus lib. I. adversus Iovinianum sic: legitur in periodis et

uxor Petri et filia. Hoc templo sub Iulio II. papa diruto, sanctae Petronillae corpus ad veterem ecclesiam translatum sub organo locatum est, de quo infra dicam. Hoc templum quidam Apollinis vocarunt.

C A P. XVII.

De templo sancti Andreae.

Paulo ante templum sanctae Petronillae, et illi contiguum fuit templum sancti Andreae a Symmacho papa factum, magnae semper apud omnes devotionis, in quo romani Pontifices sollemnia quaedam in sua coronatione vel consecratione celebrare consuevisse infra ostendam. De hoc templo ita tradit Bibliothecarius in vita Symmachi papae: « Symmachus papa fecit basilicam sancti Andreae apostoli apud beatum Petrum, ubi fecit ciborium argenteum, et confessionem librarum CXX, arcus argenteos tres, singulos librarum LX. Gradus ascendentes, et cantharum ibidem posuit. » Et paulo infra: « Symmachus papa gradus ante ecclesiam beati Andreae ad sanctum Petrum fecit, addiditque ibi alium cantharum, idest lavacrum, publicis necessitatibus sublevandis. » Sanctus Gregorius papa in altari maiore illius templi deposuit brachium illius apostoli, et beati Lucae evangelistae, ex Constantinopoli utrumque ad se delatum. Quorum nunc brachium sancti Andreae, argento pulchre elaborato inclusum, honorifice a canonicis conservatur. Pari modo et caput sancti Lucae, quod brachio eius iunctum erat, debito honore habetur. Honorius papa fecit in hac ecclesia ante confessionem eius tabulam argenteam librarum LXXIII. Iohannes VI. papa novum ambonem exstruxit in eadem basilica. Gregorius III. refecit totum eiusdem tectum, et cameram quam picturis exornavit, et fecit ibi imaginem aeneam beati Andreae cum gemmis librarum octo, et intro confessionem vestivit argento, quod auro purissimo deauravit. Ita Anastasius bibliothecarius. Hadrianus papa ciborium argenteum fecit librarum centum octoginta quinque in ecclesia beati Andreae iuxta sanctum Petrum apostolum.

CAP. XVIII.

De oratorio sancti Michaëlis archangeli.

Ante templum sanctae Petronillae versus murum ecclesiae fuit sacellum, sive aedicula sancti Michaëlis archangeli, dicta in Vaticano, auratis laquearibus ornata, musivo vitreoque opere decorata, quae diu ante exolevit: remansit vero tantum altare dictum sancti Michaëlis, quod etiam hodie amplius non extat. Sic P. Manlius, et M. Vegius.

CAP. XIX.

De antiquo sanctae Mariae de febre templo.

Templum antiquum sanctae Mariae de febre nunc pro sacrario in usu est canonicis vaticanis, in quo omnia basilicae ornamenta aurea, argentea, et sericea, vestes sacrae, reliquiae et libri servantur. Habet altaria tria. Ibi sepulti sunt Callistus III. marmoreo sepulcro, Alexander VI. in pavimento. Hoc templum devotissime olim colebatur, frequentabaturque a populis, quod vota illis facientes enixeque se beatae Virgini commendantes, a febre quotidie sanarentur. Forma est octangula. Antiquum aedificium fuit (et ut quidam tradunt) Marti dicatum.

CAP. XX.

De oratoriis sanctorum Sosii et Apollinaris.

A sinistra parte templi, in quo sepultum fuisse dicimus Probum praefectum praetorio, in angulo absidae et crucis ecclesiae iuxta altare maius, duo magnae antiquitatis sacella suo tempore fuisse tradit M. Vegius, sine ullo prorsus nomine, neglecta tum penitus, ita ut semper occlusa nemo ea unquam adiret. Haec ego existimo fuisse oratoria sanctorum Sosii et Apollinaris a Symmacho papa circa hanc basilicam fa-

cta, de quibus ita in eius vita mentionem facit Bibliothecarius. «Symmachus papa fecit oratorium sancti Apollinaris iuxta basilicam sancti Petri et confessionem argenteam cum arcu librarum XXXI.» Et paulo infra: «Symmachus papa fecit apud sanctum Petrum oratorium sancti Sosii et eius confessionem argenteam librarum XX, et omnium oratoriorum cubicula a fundamentis perfecta construxit.» Anastasius bibliothecarius in Gregorii III. vita ait: «Gregorius III. papa fecit diaconiam sanctorum Sergii et Bacchi sitam ad beatum Petrum apostolum, in qua pridem parvum oratorium erat, quam a fundamentis ampliori fabrica dilatavit. Et concedens omnia, quae in usum diaconiae existunt, statuit perpetuo tempore quosdam pro substentatione pauperum in diaconiae ministerio deservire.» De qua nihil praeterea apud quemquam scriptorem inveni.

CAP. XXI.

De oratorio sanctae Luciae.

A sinistro basilicae latere, ante baptisterium et oratorium sanctae crucis, extructum fuit sacellum sanctae Luciae adhaerens muro ipsi, quod uti maiores tradidere consecravit beatus Gregorius papa, recondito ibidem pretioso eius brachio, et opere musivo exornavit. Hoc oratorio diruto, intra sancti Petri basilicam sanctae Luciae altare erectum fuit, quod adhuc, suo tamen loco iterum motum, extat.

CAP. XXII.

De oratorio sanctae crucis.

Prope baptisterium, sive fontem vaticanum, a sinistra eiusdem, versus angulum extremum basilicae sancti Petri, Symmachus papa fecit oratorium sanctae crucis eximie mireque ornatum, cuius absidam columnis porphyreticis circumdedit, eleganter musivo decoravit, fecitque eius confessionem argenteam librarum XXX, in qua posuit auream crucem cum gemmis li-

brarum X, ubi inclusit lignum dominicae crucis ad eius devotionem augendam. Nicolaus vero papa obtulit eidem oratorio sanctae crucis gabatam argenteam librarum duarum. Ita Bibliothecarius. Hoc oratorium magnum utique erat, magnae habitum devotioni, feminisque inaccessum. Quo diruto, lignum sanctissimae crucis in eius absida inventum est, ibidem a Symmacho papa locatum, quod a canonicis reverentissime summa cum devotione custoditur.

CAP. XXIII.

De ecclesia sanctae Mariae in turribus.

Ex tredecim quas circa basilicam vaticanam sacras aedes fuisse supra dixi, in vetustis ecclesiasticis monumentis inveni quatuor in porticu, quinque in dextera eius parte, quatuor in sinistra. Nunc de iis dicam quae in porticu fuere, quarum notissima est ecclesia sanctae Mariae in turri, alias turribus, ideo sic dicta, quod supra eam esset turris campanaria, in angulo quadriporticus sancti Petri, palatium et aream vaticanam versus sita, de qua frequens mentio est in coronationibus imperatorum, nam in ea imperatores designati sollemne iuramentum praestabant. Legitur autem in vetere libro rituali sic: « die dominico summo mane electus imperator cum coniuge sua proficiscitur ad sanctum Petrum: ad sanctam Mariam traspadinam recipitur honorifice a praefecto urbis et comite palatii lateranensis; uxor vero eius a dativo iudice et arcario, et deducitur per porticum, clericis Urbis omnibus indutis cappis, planctis, dalmaticis et tunicis, cum thuribulis, cantantibus ecce mitto angelum meum, usque ad suggestum areae superioris, quae est in capite graduum ante portas aereas sanctae Mariae in turribus, ubi sedens dominus Papa in sede sua, circumstantibus episcopis, et Cardinalibus, diaconis et ceteris ordinibus ecclesiae suscipit imperatorem, et uxorem, et omnes proceres suos ad osculum pedis, coram quo imperator sollemne praestat fidelitatis iuramentum. Quo facto imperator ex ecclesia exibat, et per portas aeream et argenteam intrabat ecclesiam sancti

Petri clericis psallentibus et cantantibus: « benedictus qui venit in nomine Domini ». Reliqua vide infra libro VI. Supra hanc ecclesiam erat turris campanaria, quam auctore Bibliothecario Leo IIII. construxit, cui etiam magnam campanam cum malleo aereo imposuit, supra vero ad pinnaculum crucem deauratam. Ab hac turri, haec ecclesia sanctae Mariae in turri vel in turribus nomen accepit.

CAP. XXIV.

De ecclesia sancti Apollinaris.

E regione ecclesiae sanctae Mariae in turri versus plateam in angulo quadriporticus, ubi hodie est domus archipresbyteri, fuit ecclesia sancti Apollinaris, quam a solo in porticu beati Petri apostoli, quae appellatur ad palmata, fabricavit Honorius papa, cui multa largitus est dona, instituitque ut singulis hebdomadis die sabbato litania a beati Apollinaris ecclesia exiret, et ad beatum Petrum cum hymnis et canticis cunctus populus clero occurreret. Ita Bibliothecarius.

CAP. XXV.

De ecclesia sancti Vincentii.

In alio angulo quadriporticus, versus portam sanctam, fuit ecclesia sancti Vincentii, ad quam ex porta Guidonea iter erat, quam P. Manlius commemorat.

CAP. XXVI.

De secretario, quod olim templum sancti Gregorii, nunc sanctae Mariae de febre.

Secretarium erat locus praecipuis basilicis adiunctus, in quo romani Pontifices futuri, sacras vestes, quibus in sacrificio utebantur, induebant, et ex eo procedentes ad altare maius

solemni ritu cunctis ordinibus sociati accedebant. Is locus, Laterani sancti Thomae, apud sanctum Petrum sanctae Mariae de febre nomine hodie imperite appellatur a populo. Idem antiquitus secretarium, ut dixi, vocabatur, cuius Bibliothecarius saepe meminit. Benedictus papa moriens sepultus est in basilica beati Petri in secretario. Sanctus Gregorius papa moriens sepultus est in basilica beati Petri apostoli ante secretarium. Sergius papa corpus sancti Leonis papae, quod in abditis inferioribus secretarii basilicae sancti Petri positum fuerat, intra eamdem basilicam reposuit. Gregorius IIII. papa corpus beati Gregorii papae et doctoris ante novellum secretarium sub altari sui nominis collocavit. Haec secretaria a romanis fluxisse ex eo intelligi potest, quod ecclesiam sanctae Martinae senatus romani secretarium fuisse testatur absidae insculpta marmoreis tabulis haec inscriptio :

Salvis dominis nostris Honorio et Theodosio victoriosissimis principibus, secretarium amplissimi senatus, quod vir inlustris Flavianus instituerat, et fatalis ignis absumpsit, Flavius Annius Eucharius Epiphanius V. C. praefectus Urbi vice sacra iud. reparavit, et ad pristinam faciem reduxit.

In hoc oratorio sive secretario extat imago beatae Virginis filium mortuum amplexantis ex uno marmore pario admirabili Michaëlis Angeli Bonaroti opere facta, impensa Iohannis Cardinalis sancti Dionysii, quem oratorem regis Francorum Alexander VI. purpurae honore donavit. Est autem idem secretarium structurae, ut videtur, elegantis et antiquae, columnis, et epistyliis ornatum. Ante hoc secretarium reconditi fuerunt Iohannes III, Bonifacius, Theodorus, Zacharias, Iohannes II, Gregorii II, V, et VI, et Benedictus IIII.

CAP. XXVII.

De episcopiis basilicae sancti Petri.

Constantinum imperatorem, quando basilicam sancti Petri exstruxit, domos quoque et cubicula Pontificis, vel clericorum in eadem basilica servientium usui fecisse, quamquam apud

veteres scriptores expresse non invenerim, magna tamen et capacia ibidem fuisse opinor. Meam hanc opinionem confirmat actorum Liberii papae liber, qui hunc Papam propè basilicam illam aliquando habitasse tradit, addens eumdem Pontificem in hac basilica baptismum praedicasse. Symmachus papa circa basilicam vaticanam episcopia duo dextera laevaque fecit. Ceterum cum ob basilicae excellentiam romani Pontifices necessariam sibi apud eam habitationem esse contenderent, Nicolaus III. nobilissimum palatium ac pomarium apud eam fabricavit, muris altis instar urbis circumdatum, quod Urbanus V. Romam veniens restituit, Bonifacius IX. a fundamentis refecit, Nicolaus V. extulit, Pius II. amplificavit, Paulus vero II, Sixtus IIII, Innocentius VIII, Alexander VI, Leo X, Pius IIII. ad eam magnificentiam evexerunt, ut nullum toto terrarum orbe ei possit comparari.

CAP. XXVIII.

De domibus hospitalibus vaticanis.

Maxime semper romanis Pontificibus ex evangelico praecepto cordi fuit pauperum cura, quibus alendis, et a famis iniuria vindicandis magnas domos hospitales, quas Graeci xenodochia vocant, fabricarunt. Symmachus papa ad sanctos Petrum, Paulum, et Laurentium pauperibus habitacula construxit, ut aiunt Beda et Bibliothecarius. Sanctus Gregorius papa fecit xenodochium sui nominis iuxta gradus beati Petri, et constituit ut ibi tres cantores, propter pauperum alimoniam cum primicerio, qui missas ad altare sancti Petri canerent, permanerent. Zacharias papa statuit, ut crebris diebus eleemosynae de patriarchio a paracellariis pauperibus et peregrinis, qui apud beatum Petrum commorantur, deportarentur, eisdemque erogarentur. Idem statuit de omnibus Urbis pauperibus. Stephanus II. papa secus basilicam sancti Petri apostoli duo fecit xenodochia, quibus plura contulit dona, quae sociavit venerabilibus diaconiis extra muros Urbis existentibus sanctae Mariae, et sancti Silvestri, et privilegiis apostolicis in perpetuum

firmavit. Hadrianus papa hospitale beato Petro apostolo in loco, qui dicitur Naumachia, a fundamentis construens, diversa illic domorum aedificia excitavit, atque ecclesiam in honorem sancti Petri apostoli ibidem novam construxit. Basilica vaticana perpetuo specialem curam peregrinorum habuit, quibus praeter eleemosynas, cuncta sacramenta tribuit, item sigilla plumbea cum imaginibus Christi et apostolorum in testimonium ipsorum peregrinationis. Hodie sancti Spiritus hospitale ab Innocentio III. conditum, a Sixto IIII. restitutum, omnibus totius non solum Urbis, sed orbis pauperibus necessaria subministrat.

C A P. XXIX.

De ornamentis basilicae vaticanae.

Innumera, et maximi pretii, aurea, argentea, et sericea, gemmataque ornamenta basilicae vaticanae a Pontificibus et Imperatoribus donata leguntur, quorum brevem epilogum ex Bibliothecario, et aliis antiquis auctoribus hic subiicere, operae pretium esse existimo. Et primum a Constantini donariis incipiam, deinde pontificalia, postremo reliquorum imperatorum, regum, et summorum virorum munera expediam.

Ornamenta, quae Constantinus imperator donavit basilicae sancti Petri in Vaticano.

Loculus, sive theca ex aere cyprio, in qua Petri et Pauli dimidiata corpora apostolorum sub ara maxima recondita sunt, in omnes partes pedum quinque, columnis porphyreticis exornata. Extrema basilicae camera aurea. Ipsum altare auro et argento clausum, cum gemmis prasinis, hyacinthinis, et albis num. CCX, ponderis librarum CCCL, cum hac ex litteris nigris inscriptione « CONSTANTINUS AUGUSTUS *etc. ut p.* 236. Corona aurea ante corpus, quae est pharus cantharus cum delphinis L, aliàs D, librarum XXXV. In gremio idest medio basilicae phari argentei XXX, cum delphinis XX, singuli li-

brarum X. A dextero basilicae latere phari argentei XX, cum delphinis XV, singuli librarum VIII. A sinistro basilicae latere phari totidem eiusdem ponderis. Metretae argenteae IIII, aliàs II, singulae librarum CC. Quatuor candelabra aerea pedum denùm argento caelata cum argenteis sigillis actuum apostolorum, singula librarum CCC. Amae argenteae V, singulae librarum X. Calices aurei tres cum gemmis prasinis XLV, singuli librarum XII. Calices argentei XX, singuli librarum X. Patena cum turri et columba aurea ornata gemmis prasinis et hyacinthinis, et margaritis CCXV, librarum XXX. Pateuae argenteae V, singulae librarum XV. Hydriae duae magnae argenteae, singulae librarum C, quas Leo papa, cum clade vandalica ecclesiarum sacrata vasa direpta essent cum aliis quatuor basilicarum lateranensis et sancti Pauli conflavit, et eadem vasa refecit

Ornamenta, quae Pontifices romani templo beati Petro donarunt.

Anastasius bibliothecarius primum post sanctum Silvestrum pontificem enumerat sanctum Caelestinum papam, qui basilicae vaticanae munera obtulerit, atque ita scribit: «Caelestinus papa obtulit ad beatum Petrum apostolum pharum cantharum argenteum librarum XXV. Canthara cerostata aerea librarum XXIIII, singula librarum XX. Sixtus III. papa ornavit confessionem beati Petri apostoli laminis argenteis librarum CD. Hilarus papa donavit beato Petro apostolo scyphum aureum librarum V. Alium scyphum aureum cum gemmis prasinis, et hyacinthinis librarum IV. Calices argenteos ministeriales X, singulos librarum II. Amas argenteas duas, singulas librarum VIII. Pharos cantharos argenteos XIV. singulos librarum V. Simplicius papa fecit in basilica sancti Petri canthara argentea XV, singula librarum XII. Symmachus papa fecit XX. canthara argentea singula librarum XV. Arcus XXII. argenteos, singulos librarum XX. Hormisda papa cum diversis Romae basilicis diversa dona contulisset, ad basilicae sancti Petri ornatum trabem argenteam pondo librarum XXI. longe excellen-

tius donum obtulit. Pelagius II. papa vestivit corpus beati Petri apostoli tabulis argenteis deauratis. Sanctus Gregorius papa fecit ad beatum Petrum apostolum ciborium cum columnis suis quatuor ex argento puro. Honorius papa renovavit omnem cimeliam beati Petri apostoli, et vestivit confessionem eius argento puro librarum CLXXXVII. Fecit cerostata maiora argentea IV, singula librarum LXII, quae diu fuerunt ante corpus sancti Petri apostoli. Idem Pontifex valvas regias maiores in ingressu ecclesiae sancti Petri, quae medianae vocantur, argento vestivit.

Sergius papa cantharos et coronas, quae ante sacrum altare, et confessionem beati Petri apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, et pignori tradi. Idem Pontifex fecit imaginem auream beati Petri apostoli, quae est in parte mulierum. Thymiaterium aureum maius cum columnis, et coopercuio, quod suspendit ante eamdem imaginem, in quo incensum, et odor suavis festis diebus, dum missarum sollemnia celebrantur, omnipotenti Deo arderent. In absida eiusdem basilicae posuit super sedem appaliaream argenteam librarum CXX. Fecit etiam ibidem pharos argenteos sex, singulos librarum CLXX. qui erant super trabes ad ingressum confessionis, in circuitu altaris trabiles VIII, quatuor albos, totidem coccineos. Patenam auream maiorem cum gemmis albis in circuitu, in medio crucem cum hyacinthis, et smaragdis, librarum XX. Gregorius III. fecit in ecclesia sanctae Mariae maioris per circuitum super columnas regulare candelabrum ad instar ecclesiae beati Petri apostoli. Gregorius III. fecit vestes ad altare in ecclesiis Salvatoris, sanctae Mariae, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Audreae, atque in aliis ecclesiis. Zacharias papa fecit in ecclesiis sanctorum apostolorum Petri et Pauli pendentia vela inter columnas ex palliis sericeis. Vestem auro textam ad altare sancti Petri habentem pictam nativitatem Christi gemmis distinctam pretiosis. Vela sericea alithina IIII, variis emblematibus aureis ornata. Coronam argenteam cum delphinis, librarum CXX.

Hadrianus papa audiens Desiderium Langobardorum regem hostili animo Romam venire, ecclesias beatorum Petri et Pau-

li exornari fecit, et cuncta eorum cimelia et ornamenta in Urbem introduxit, claudi faciens omnes ianuas earumdem ecclesiarum, ac ab intus seris muniri iussit; ut si rex sine permissu Pontificis advenisset, minime aditum ad easdem haberet, nisi in animae suae interitum fores effringeret. Idem Pontifex fecit in ecclesia sancti Petri mirae magnitudinis vestem, ex auro et gemmis cum historia intertexta, quomodo beatus Petrus a vinculis per angelum fuerit liberatus, et multa alia eidem ecclesiae contulit dona. Confessionis sancti Petri pavimentum argento puro cooperuit libris CL. Fecit vela LXV. mirae magnitudinis iuxta ianuas maiores argenteas de lino tyrio. Calicem argenteum librarum XV, quem posuit in presbyterio, pro eo qui perierat tempore Pauli papae. Cortinam maiorem iuxta ianuas maiores ex palliis quadrupulis. Leo III. papa fecit in basilica beati Petri thuribulum aureum ante vestibulum altaris, librarum XVII.

Leo IIII. papa romanus, Rodniphi filius, vir sacris semper lectionibus, vigiliis quoque et orationibus vacans diu monachus fuit in monasterio sancti Martini prope sanctum Petrum eiusdem apostoli obsequiis deditus, quem ex eo monasterio Sergius II. assumens presbyterum Cardinalem tituli sanctorum quatuor Coronatorum creavit. Quo mortuo, romanus Pontifex factus, basilicam vaticanam erga quam mire affectus fuit, quippe qui in ea prima pueritiae rudimenta susceperat, et a teneris usque annis monachalem ibidem vitam egerat, memor tenellae antiquae educationis, magnis beneficiis auxit, et multa dona ei contulit. Nam in eadem ecclesia post depraedationem Saracenorum fecit crucem auream librarum mille, gemmis hyacinthinis albis, smaragdis mirae magnitudinis ornatam; quam locavit in dextera parte altaris sancti Petri. Ea crux ibidem usque ad Anacleti II. papae tempora permansit a quo dissipata est. Fecit crucifixum mirae magnitudinis constructum argenteum cum gemmis hyacinthinis librarum LXX, et cum gemmis albis VII, smaragdis unioneque uno. Fecit et alium crucifixum argenteum inter columnas librarum LXII. Fecit ciborium argenteum super altare sancti Petri apostoli cum columnis argenteis. Arcam altaris intus et extra laminis argenteis ornavit. Confes-

sionem et frontem altaris condecoravit. Fecit tabulam auream smaltis, et gemmis ornatam, librarum CCXVI, in qua veteris et novi testamenti signa caelavit, et in altaris fronte posuit. Permansit usque ad Innocentii II. tempora. Fecit imaginem Christi in throno sedentis cum duobus angelis circa se, et XX imagunculas argenteas circa eam ante altare super columnas marmoreas intortas, et vitibus pulchro opere insculptas, vitineas ob id vocatas. Fecit XL. canistra, aliâs receptacula, argentea, idest coronas argenteas, quibus lampades appenderentur a pectoralibus scilicet, ante altare usque ad crucifixos. Fecit crucem auream magnam ad altare sanctorum apostolorum Simonis et Iudae librarum CC. Ab alia parte ecclesiae e regione; ad altare sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi, fecit aliam crucem argenteam librarum CC.

Nicolaus papa obtulit basilicae sancti Petri gabatam auream pretiosissimis gemmis mirificoque artificio comptam librarum IIII. Item vestem auro intertextam cum historiis annunciationis, praesentationis, et Christi in medio doctorum disputantis. Eidem Pontifici ad urbem perlata est aurea corona gemmis pretiosissimis ornata librarum VIII, quam aureis catenulis super altare sancti Petri appendit. Fecit etiam in eadem basilica gabatam argenteam auro perfusam librarum IIII. Gabatas alias IIII. argenteas, singulas librarum . . . Vela auro texta leonum figuras habentia XL. Gabatas aliàs IIII. argenteas, singulas librarum duarum. Catenam argenteam librarum IIII. Eugenius III. papa eo die, quo primum in basilica vaticana sacra fecit, obtulit eidem ecclesiae saratasmum elegans ad altaris ornatum, et pedum pontificale; tantamque erga hanc basilicam devotionem et munificentiam habuit, ut numquam illuc sollemnia missarum celebraturus accederet, quod saepe factitabat, quin vel optima pallia, vel vestes pretiosas, vel candelabra argentea, vel huiusmodi aliud nobile et Pontifice dignum munùs offerret. Idem factitabat Hadrianus IIII, qui pallia pulcherrima ad ornatum altaris maioris, candelabra argentea, et plures sacras vestes largitus est.

Ornamenta, quae Imperatores, Reges, Viri clarissimi beato Petro obtulerunt.

Placidus Valentinianus III. imperator, rogatu Xysti III. papae obtulit imaginem auream cum duodecim portis, et totidem apostolis, et Salvatorem gemmis pretiosissimis ornatum supra confessionem beati Petri apostoli. Iustinus imperator Romam multa aurea et argentea dona votorum gratia in Hormisdae pontificatu de Graecia misit, quae beato Petro apostolo obtulit, Ea fuerunt: evangelia cum tabulis aureis, et cum gemmis pretiosis, librarum XV. Patena aurea cum hyacinthis, librarum XX. Patenae argenteae duae, singulae librarum XXV. Scyphus aureus circumdatus regio, librarum VIII. Scyphi argentei deaurati tres, singuli librarum V. Gabata electrina librarum duo. Thecae cereae aureae duae, singulae librarum VI. Pallia holophora, aliàs olovera. Blathea cum tabulis auro tectis II. Chlamys, vel stola imperialis, et subcintorium, super confessionem beati Petri apostoli. Iustinus imperator obtulit Iohanni papae apud Constantinopolim patenam auream librarum XX. Calicem aureum cum gemmis librarum XV. Pallia auro intertexta XV; quae dona idem Pontifex detulit ad sanctos apostolos Petrum et Paulum. Sub Iohanne II. papa Iustinianus christianissimus augustus obtulit beato Petro apostolo haec dona: scyphum aureum circumdatum gemmis prasinis, et albis librarum IIII. Scyphos argenteos duos singulos librarum VI. Calices argenteos sex, singulos librarum III. Pallia holophora auro texta IIII. Constans augustus per Vitaliani papae legatos direxit beato Petro apostolo evangelia aurea gemmis albis mirae magnitudinis in circuitu ornata, teste Beda. Idem Constans Romam sub Vitaliano papa veniens, die âdventus sui ad Urbem, ambulavit ad sanctum Petrum ad orationem, et donum ibi obtulit. Et paulo post: dominico die iterum processit Constans imperator ad sanctum Petrum, toto eius exercitu cum cereis ecclesiam intrante, et obtulit super altare ipsius pallium auro textili, et celebratae sunt missae. Beda et Bibliothecarius: cum Constans imperator ad limina beati Petri apostoli pervenisset, obtulit ibidem pallium auro textili.

Carolus magnus Francorum rex a Leone III. papa coronatus Romanorum Imperator, ipso die natalis Christi coronationis suae, cum uxore et filio rege consecrato, obtulit beato Petro apostolo mensam argenteam cum pedibus suis, item diversa vasa aurea et argentea eiusdem mensae ministerio. Sub Nicolao papa Michaël filius Theophili constantinopolitanus imperator, misit ad beatum Petrum apostolum dona per episcopos quosdam, patenam auream cum diversis lapidibus pretiosis albis prasinis et hyacinthinis, item calicem aureum cum lapidibus pretiosis. Sub Hormisdae pontificatu Theodoricus rex Italiae et Gothorum, apud beatum Petrum trabem fecit laminis argenteis coopertam librarum MCC, nec non cerostata argentea XI, singula librarum LXX. Sub Hormisda papa allatum est ad Urbem regium donum cum gemmis pretiosis a Francorum rege christianissimo Chlodoveo ad sanctum Petrum apostolum missum. Flavius Belisarius patricius V. C. veniens Romam sub Vigilio papa obtulit beato Petro apostolo per manus Vigilii papae crucem auream cum gemmis librarum C, in qua scripsit victorias suas. Cerostata argentea deaurata maiora II, quae usque ad tempus Anastasii bibliothecarii fuerunt ante corpus beati Petri.

C A P. XXX.

Quando lectorium beati Petri ornabatur, ex Petri Manlii libro.

In memoriam posterorum scribimus nos canonici basilicae sancti Petri, in quibus noctibus lectorium eiusdem basilicae de consuetudine ornatur mappula et faculis librarum duarum in confessione traditis; videlicet dominica gaudete, natali Domini, epiphania Domini, dominica septuagesimae, dominica de carnelevatio, in cathedra beati Petri apostoli, in dedicatione altaris facta a papa Callisto, dominica de passione, dominica palmarum, feria quarta post palmas, in caena Domini, parasceve, sabbato sancto, pascha, feria secunda post pascha, dominica de pastor bonus, in ascensione Domini, pentecoste, fe-

sto sancti Petri, octava eiusdem, in assumptione beatae Mariae, in litaniis maioribus, in dedicatione basilicarum Petri et Pauli, in festo omnium sanctorum.

Certum est nos canonicos beati Petri propter alias rationes, et consuetudines, quas habemus, in oblatione missae altaris maioris beati Petri de antiquissima consuetudine habere semper decimam hebdomadam de novem hebdomadibus totius anni, quae sic dividuntur. Septem primas hebdomadas accipiunt Cardinales sancti Petri. Octavam hebdomadam accipiunt diaconi cardinales praeter dominicalia totius anni, quae ad eos spectant, excepta dominica palmarum, et pascha, et nisi forte sit statio. Nonam hebdomadam cantores, decimam hebdomadam canonici ecclesiae, undecimam schola basilicaria; qua finita, incipiunt praedicti Cardinales sancti Petri a capite, et sic fit per totum annum oblatio. Itaque, quae spectat ad hebdomadam est illa, quae venit ad manus Cardinalis cantato evangelio; et quae venit ad altare postquam calix est positus, dividitur per medium; medietas est altaris, et altera medietas est illius, cuius est hebdomada. Ille igitur cuius est hebdomada, primo loco dat tria capita, idest tres monetas de communi mansionariis, qui serviunt ad altare: deinde pro quantitate oblationis tribuit diacono, et subdiacono, et illis qui serviunt de pluviali. Postea datis piscibus domino Cardinali, dat sextam partem cantoribus, et duas de melioribus faculis.

C A P. XXXI.

De lampadibus et luminariis basilicae vaticanae.

Quemadmodum basilica sancti Petri dignitate, et multis praerogativis alias ecclesias semper antecelluit, ita luminariorum multitudine cunctas antiquitus superavit. Legimus enim Hadrianum papam in uno tantum candelabro quot sunt anni dies totidem lucernas accendisse, CCC. scilicet LXVII. Quapropter cuncta basilicae ipsius admirabilia percurrentes non alienum erit a nostro instituto etiam ista perscrutari, et quae antiqui patres de hac re scripserint aperire. Vetustissimus, quod

sciam, est sanctus Gregorius, qui luminaris ecclesiarum apostolorum continuandis oliveta et redditus donaverit, quod ex hac donatione eiusdem marmoreis tabulis sub porticu sancti Petri incisa liquet. Ea est eiusmodi (1).

Sabinianus papa Gregorii successor in eadem ecclesia luminaria addidit. Agatho papa moriens dimisit togam ad luminaria apostolorum, et sanctae Mariae ad praesepe. Gregorius vero II. testamento ad luminaria beati Petri apostoli solidos mille legavit. Zacharias papa XX. auri libras donavit basilicae sancti Petri pro emendo oleo annuo, ut lucrum earum luminariis apostolicis proficeret. Hadrianus papa fecit pharum maiorem signo crucis, qui ante presbyterium pendebat sustinentem candelas ·M·CCC·LXV; instituitque, ut quater in anno omnes arderent, scilicet diebus natalis Christi, paschatis, sanctorum Petri et Pauli, et natali ipsius Pontificis. Ex tot tantisque sanctorum Pontificum donariis pro luminariorum continuatione certa quaedam regula constituta fuit, et longo tempore in hac ecclesia usurpata, quam ex Petro Manlio subiiciam.

In basilica vaticana quotidie ardebant CL. lampades. Ante altare beati Petri perpetuo lampades IX. In virga ante pectoralia lampades III. In unoquoque capitulo I, in unaquaque corona, quae XXXVIII. erant usque ad crucifixos, candela I. noctu, et usque dum missa expleretur ardebant, quae omnino quinquaginta sunt. In stationibus in unoquoque capitulo candelae IV. In rete, quod erat in atrio ecclesiae, candelae XII. In virga candelae XVIII. Ante sudarium die noctuque candelae X. Ante imaginem beatae Virginis musivam post altare sudarii candela I. In oratorio sanctorum Processi et Martiniani candela I. Ad sanctam Mariam de cancellis candelae III. In arcu maiori, ubi corpus sancti Matthiae apostoli iacere fama erat, nocte et die candela I, nocte vero tota candelae VIII.

Ad S. Crucem candela I. Ad sanctum Iohannem. Ad fontes candela I. Ad sanctam Luciam candela I. Ad sanctum Pastorem candela I. Ad sanctum Gregorium candela I. In navi minori sepulturae Pontificum candela I. Ad sanctam Mariam in

(1) Hanc prolixam inscriptionem, utpote notissimam ex libris qui de basilica vat. agunt, compendii gratia omittimus.

oratorio candela I. In oratorio sancti Leonis IV. candela I. Ad sanctos Petrum et Paulum candela I. Ad sanctum Bartholomaeum candela I. Ante Crucifixos candelae II. In rete candelae III. In virga candelae III. Ante portas ecclesiae extra candelae V. In unoquoque porticalium candelae III. Ad sanctam Petronillam candela I. Ad sanctum Andream candela I. Sunt omnino candelae, quae in basilica vaticana die noctuque ardent, CL. In stationibus vero sunt CCL. In dedicatione, ascensione, festo sancti Petri, et octava eius retia accenduntur. Rete magnum quod est in atrio ecclesiae ante portam argenteam in festo sancti Petri, et eius octava tantum accenditur. Extenduntur quatuor funes in atrio eiusdem ecclesiae, id est in paradiso in modum crucis, et ligantur in angulis porticus, transmittunturque supra pineam aeneam, quae est in medio atrio, et in unoquoque fune sex candelae suspendebantur. In gradibus ante ecclesiam sanctae Mariae in turri extenditur restis magna a porticu, quae est supra gradus mortuorum usque ad domum Petri Iohannis de Pampano, qua XVIII. candelae ardentes suspendebantur (1).

C A P. XXXIII.

De reditibus antiquis basilicae vaticanae.

Constantino augusto V, et C. Valerio augusti Licinii filio Licinio iuniore Caesare cons. sanctus Silvester papa XIIII. kal. decembris perfectas sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas sollemni ritu et comprecationibus dedicavit, et sub aris maximis dimidiata corpora ipsorum aequo pondere divisa, et invicem iuncta, capitibus in sacello palatii lateranensis collocatis recondidit; utrasque maximis proventibus ex Constantini liberalitate, unde sarta tecta conservari, et clerici in iis deservientes substentari possent dotatas numeroso ornatu donavit, de quibus nunc breviter dicam.

(1) Omittimus capitulum XXXII. quo continetur catalogus reliquiarum basilicae vat. quia ipsarum descriptio copiosa extat in opere edito Fr. Cancellarii de secretar. bas. vat. T. IV. p. 1659. seqq.

Reditus basilicae sancti Petri apostoli, quos largitus est imperator Constantinus Alexandriae in Aegypto.

Possessio Thimialica, quam Ambronius Constantino augusto donaverat praestans solidos DCXX, chartadecadas CCC, aromatum libras CL, storacis isauricae libras L, balsami libras LX, olei nardini libras CCC. Possessio Euthymii Caduci praestans solidos D, chartadecadas LXX. Antiochiae in Syria domus Datiani praestans solidos DCCXL. Possessio Sibyllina donata Constantino augusto praestans solidos CCCXXII, alios CCCIII, chartadecadas CL, aromatum libras CC, balsami libras XXXV. In Aegypti urbe Armenia, et per reliquam Aegyptum possessio Agapii, quam ipsi imperatori Constantino donaverat praestans solidos DCC. Possessio Panopiitis praestans solidos DC, chartadecadas CD, aromatum cassiae libras CC, storacis libras CL, piperis medimnos L, croci libras C, cariophyllorum libras CL, balsami libras C, olei nardini libras CCC, olei cyprii libras C, papyri cannas mundas M, lini aegyptiaci saccos C. Possessio quam Ubronius donavit augusto Constantino magno praestans solidos CDL, chartadecadas CC, aromatum cassiae libras L, balsami libras L. Nicaeae in Bithynia domus culta praestans solidos DXX. Cellae in Aphrodysia praestans solidos DXX. Cyri in provincia euphratensi possessio aromaton praestans solidos CCCLXXXII, alias CCCLXXX. Sub Tarso Ciliciae, insula Corycorum praestans solidos CM. In Cyrretica balineum, pistrinum, et popinae, praestantia solidos LXXV. Horti duo Maronis, praestantes solidos XXI. Summa solidorum, praeter alios reditus VIM.DL; quae nostratis pecuniae aestimatione est aureorum IXM.DCCCXXV.

Sanctus Gregorius papa ad instauranda abundantius basilicae vaticanae luminaria, multa praedia, multaque praesertim oliveta illi donavit, sicuti constat ex publico documento inscripto tabulis marmoreis, quae cum primo septem essent, nunc duae tantum adhuc muro affixae sunt ante basilicae ingressum, quas supra posui. Zacharias papa donavit basilicae sancti Petri massam fonteianam, quae cognominatur panaria,

de cuius donationibus ita meminit Bibliothecarius. Zachariae papae tempore obiit Theodorus maior filius Megisti Cataxanti, qui ob veniam suorum delictorum praedium, quo ex hereditate fruebatur paterna, situm ab hac romana urbe miliario quinto via tiburtina, in quo et oratorium sanctae Caeciliae esse dinoscitur beato Petro dereliquit; quod et ipse beatissimus Papa magnae constructionis fabricis atque picturis decoravit, ampliavitque in eo fines ex omni parte. Data enim digna recompensatione his, qui in vicino eiusdem loci possessiones tenere videbantur, nemini vim inferens, sed magis, ut condecet patrem, cuncta secus eumdem locum amica pactione emit praedia, et domum cultam beato Petro in eodem loco iure perpetuo statuit permanendam. Quae domus culta sanctae Caeciliae usque in hodiernum diem vocatur. Construxit quippe in ea et oratorium sancti abbatis Cyri, ubi et multas sanctorum condidit reliquias, quam videlicet domum cultam usui proprio dominicae videlicet rationis descripsit. Hic constituit, et aliam domum cultam in quartodecimo miliario a romana urbe de patrimonio Tusciae, et constitutionibus obligavit usui ecclesiae permanendam, etiam loca, quae ab Anna relicta quondam Agathonis primicerii beato Petro videntur esse concessa.

Hic massas, quae vocantur Antius, et Formias, suo studio iuri beato Petri acquisivit, quas et domos cultas statuit, et de omnibus superius adnexis domibus cultis apostolicae exarationis constituta faciens, atque sacerdotale collegium aggregans, sub interdictionibus statuit nulli quoque successorum eius Pontificum, vel alii cuilibet personae licere ipsas domos cultas ab usu ecclesiae quoquo modo alienare. Hadrianus papa donavit canonicis ecclesiae sancti Patri castrum Capracorum, et tectum sancti Clementis restituit. Leo papa IIII. non contentus insignibus donariis ecclesiam sancti Petri exornasse, communi etiam canonicorum utilitati et commodo, quo melius ferventiusque divinis attenderent officiis consultum provisumque, quam maxime tum studuit; nam donavit canonicis sancti Petri ex suo patrimonio castrum Buccegiam, alias Bucceniam, et privilegio suo donavit iisdem canonicis ecclesias sancti Salvatoris in Turnone ad sepulturam peregrinorum transalpino-

rum; sancti Iustini in monte saccorum ad sepulturam peregrinorum italicorum; ecclesiam quoque sancti Peregrini, quae non longe distat a porta eius nominis extra civitatem Leonianam. Item ecclesiam sanctae Mariae in Palaciolo, et sancti Gregorii martyris, quae post sanctum Petrum posita erat. Atque haec omnia cum reditibus, ac ceteris omnibus, quae ad easdem pertinerent, cui et alia multa contulit. Leo IX. papa amplum privilegium canonicis sancti Petri fecit de libertate suarum ecclesiarum, decimam partem oblationis altaris maioris canonicis donavit, et multa alia concessit; cuius privilegii exemplum sequens est. (1)

Eugenius III. edito diplomate concessit canonicis basilicae vaticanae quartam oblationum partem, quae eiusdem ecclesiae altari maiori offeruntur, praeter eam quam concesserat Leo IX. papa. Hadrianus papa III, Clemens III, et Alexander III. id privileginm confirmarunt. Caelestinus V. ad tertiam partem auxit. Hadrianus IIII. donavit canonicis sancti Petri castrum Valerianum in Faliscis, agro Civitatis Castellanae. Idem privilegium edidit, quo libertatem omnium ecclesiarum iuris basilicae sancti Petri ubique existentium confirmavit. Innocentius etiam III. papa huic basilicae addictissimus amplissimum de sancti Petri redituum confirmatione privilegium edidit admodum memoratu dignum, cuius exemplum sequens est. (2) Nicolaus III. papa reditus basilicae vaticanae auxit, et ei praedia donavit. Bonifacius IX. papa univit hospitale sancti Thomae in Formis basilicae sancti Petri, quod amplum et dives erat.

CAP. XXXIV.

De custodibus sancti Petri.

Leo papa, ut refert Bibliothecarius, constituit super sepulcra apostolorum custodes ex clero romano, qui dicebantur cubicularii. Sanctus Gregorius lib. III. dialogorum, Theo-

(1) Omittitur propter prolixitatem. Pertinet autem ad bullarium vaticanum.

(2) Hoc aeque prolixum omittimus.

dorum et Habundium, custodes ecclesiae beati Petri commemorat, et de Theodoro, eiusque munere hoc speciatim refert: cum Theodorus ecclesiae beati Petri custos quadam nocte citius ad melioranda iuxta ianuam luminaria surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positis stabat, et lampadis refovebat lumen. Tunc repente beatus Petrus apostolus in stola candida deorsum in pavimento constitit, eique dixit: colliberte, quare citius surrexisti? Quo dicto ab oculis aspicientis evanuit. Qua in re, ad quid idem beatus Petrus apostolus servienti sibi voluit praesentiam sui respectus ostendere, nisi quia quicquid pro eius veneratione agebat, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione videret.

De Habundio autem sic idem sanctus Gregorius. Alius quoque illic, non ante longa tempora, sicut nostri seniores referunt, custos ecclesiae Habundius dictus est magnae humilitatis atque gravitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter serviens, ut idem beatus Petrus apostolus signis ostenderet, quam de illo haberet aestimationem. Nam cum quaedam puella paralytica in eius ecclesia permanens manibus reperet, et dissolutis nervis corpus per terram traheret, diuque a beato Petro apostolo peteret ut sanari mereretur, nocte quadam ei per visionem adstitit, et dixit: vade ad Habundium mansionarium, et roga illum, atque ipse te saluti restituet. Cumque illa de tanta visione certa esset, sed quis esset Habundius ignoraret, coepit huc atque illuc per ecclesiae loca se trahere, ut quis esset Habundius investigaret; cui repente ipse factus est obviam, quem quaerebat, quae dixit: rogo te pater, indica mihi quis est Habundius custos? Cui ille respondit: ego sum. At illa, inquit: pastor et nutritor noster beatus Petrus apostolus ad te me misit, ut ab infirmitate ista liberare me debeas. Cui ille respondit, si ab ipso missa es, surge; eiusque manum tenuit, et ea in statu suo protinus surrexit; sicque ex illa hora omnes in eius corpore nervi ac membra solidata sunt, ut solutionis illius signa ulterius nulla remanerent. Haec retulimus ex beati Gregorii scriptis.

Leo IX. papa Hildebrandum subdiaconum sacrae rom. ecclesiae oeconomum de custodibus altaris beati Petri instituit.

Hodie hoc munus uni canonicorum aetate et vitae integritate insigni conceditur, qui altarista vocatur. Diem nativitatis beatae Mariae virginis uni e custodibus altaris sancti Petri revelatum fuisse, refert auctor vitarum Sanctorum in festo nativitatis beatae Mariae virginis.

CAP. XXXV.

De his qui in ecclesia beati Petri divina officia celebrabant.

Divini cultus in ecclesiis usurpati duplex ratio est; etenim aut in psalmorum cantu, aut in missarum celebratione constituitur. Veteres romani Pontifices, qui sancti Petri basilicam omnimode coli voluerunt, quatuor monachorum congregationes instituere, qui in eadem per vices suas divina psalmorum cantica pangerent, cum id munus antiquitus laici usurparent. De horum monachorum coenobiis et institutione ita scribit Bibliothecarius in Gregorii III. vita. Gregorius III. papa constituit, ut fere sine intervallo, et a presbyteris hebdomadariis missarum sollemnia, et a monachis divina officia secundum constitutum, quod a collegio sacerdotum coram sacro corpore beati Petri apostoli factum est, in sollemnibus D. N. Iesu Christi, beatae Mariae virginis sanctorumque, in oratorio nomini eorum dedicato intra ecclesiam sancti Petri apostoli sub arcu principali; similiter et vigiliae celebrarentur. Sed haec latius supra in capitibus de monasteriis quatuor explicavi. Zacharias papa donavit basilicae sancti Petri omnes codices domus suae proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinas, quibus etiam armaria fecit. Qui missas peragerent in altari sancti Petri delecti sunt primum septem presbyteri Cardinales, mox totidem episcopi, qui evangelium canerent; quatuor diaconi Cardinales, qui missas celebrantibus praesto essent. Addita est cantorum schola a sancto Gregorio papa, de quibus singulis, quae in antiquis ecclesiae monumentis inveni, aperiam.

Sanctus Gregorius papa septem Cardinales hebdomadarios

in basilica sancti Petri instituit propter paenitentes et baptismum, et propter missas peregrinorum ad altare sancti Petri, qui per hebdomadas suas missarum sollemnia celebrare debebant, hi fuere: presbyter Cardinalis tituli sanctae Mariae trans Tiberim. Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni. Presbyter Cardinalis tituli sanctae Caeciliae. Presbyter Cardinalis tituli sanctae Anastasiae. Presbyter Cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso. Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci. Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Martini et Silvestri pontificum tituli Equitii. Totidem erant ad sanctum Paulum, ad sanctam Mariam maiorem, ad sanctum Laurentium extra muros, quae omnes erant ecclesiae patriarchales. Idem Pontifex edixit supra corpora beatorum Petri et Pauli apostolorum a Cardinalibus missas iugiter celebrari.

Stephanus III. papa statuit, ut omni dominico die a septem episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia sancti Salvatoris observant missarum sollemnia super altare sancti Petri celebrarentur, et gloria in excelsis Deo diceretur super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines in frontispicio constitutae sunt; unum quidem in basilica beati Petri, et alium in basilica beati Petri, et alium in basilica beati Pauli, et alium ad sanctum Andream. Sanctus Gregorius papa romanum cantum, primicerium, et scholam cantorum instituit, docuitque: fecitque ad sanctum Stephanum orphanotrophium, ubi primicerius, et cantores manerent, quorum aliqui iugiter cum Pontifice essent. Fecit etiam xenodochium sui nominis, quod postea sancti Gregorii dictum est iuxta gradus beati Petri, et constituit ibi tres cantores cum primicerio, qui assidue missas ad altare beati Petri canerent, primiceriusque ipse indutus pluviali et mitra cum virga staret iuxta altare, cum tribus sociis, et stipendia opportuna haberet, ut ex eorum privilegiis constat. Statuit etiam quatuor cantores ad sanctum Paulum, totidem ad sanctam Mariam maiorem, totidem ad sanctum Laurentium extra muros pro servitiis missarum Cardinalium cum iisdem salariis. Praecepit vero primicerio et cantoribus, ut nulla ratione discederent a modulis, quos ipse in romana ecclesia docuerat. Ordinavit quatuor diaconos Cardina-

les, qui ad sanctum Petrum evangelia decantarent ad missas, et praedicaret unusquisque in ecclesia sua. Nicolaus III, qui in cardinalatu archipresbyter in basilica sancti Petri fuerat, Pontifex factus cultum divinum novis optimisque constitutionibus amplificavit, canonicorum numerum et praediorum reditus auxit, ut ex eius bulla manifestum est. (1)

C A P. XXXIX.

De rebus memoratu dignis, quae in hac basilica acciderunt.

Igitur cum summa semper fuerit apud omnes Pontifices, cum basilicae ipsius, tum praecipue altaris maioris veneratio, operae pretium erit hic parvula quaedam adiicere, quae passim ad hoc argumentum spectantia ex variis locis collegimus. Et primum referemus, quod beatus Gregorius ad Constantinam augustam, quae capita beatorum apostolorum Petri et Pauli ad se transmitti volebat, inter cetera respondit: corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis, atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatae recordationis decessor meus argentum, quod supra sacratissimum corpus sancti Petri apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore XV. pedibus mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit. Sed et ego aliquid ad sacratissimum corpus sancti apostoli meliorare volui, et quia necesse erat, ut iuxta sepulcrum eius effodi altius debuisset, praepositus loci ipsius, ossa aliqua tum quidem eidem sepulcro coniuncta reperit, quae quoniam levare praesumpsit, atque in alio loco transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. Cognoscat autem tranquillissima domina, quod romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere praesumant de corpore,

(1) Praetermittimus capitulum XXXVI. de stationibus sacris urbis Romae, quod veluti peculiare Panvinii opusculum typis iamdiu vulgatum fuit. Item omittimus capp. XXXVII. et XXXVIII, quae apud P. Manlium sunt.

sed tantummodo in pyxide mittitur, atque ad sanctissima corpora sanctorum ponitur. Quo loco, quid ipsi beato Gregorio eius rei gratia sub ipsomet altari sancti Petri admirabile quidem et stupendum acciderit, convenienter dicendum est.

Cum enim rogatus fuisset aliquando a nobili quodam et magno viro per legatos ad id missos, ut aliquid reliquiarum ex sanctis apostolis, martyribusque, qui Romae conditi essent, ei transmitteret, dignum putans honesto illius desiderio, quantum licebat, satisfacere, celebratis prius missis sollemnibus, consecrationum officiis super sancta corpora eorum, sicuti antiquis moris fuit, suscepit pannos, super quibus celebratio facta fuerat, divisosque ac singulis sanctorum corporum reliquiis impositos conclusit, suis quoque thecis annulo suo obsignatis, atque ita legatis deferendos domino eorùm dedit: legati autem, ut est curiositas hominum ad omnia semper, quae non intelligit prompta, ablatis signis thecas aperuerunt, cumque nihil praeter scissa pannorum frusta invenissent, quasi delusos se arbitrantes ad Pontificem redierunt, conquerentes non id cuius causa tanta cum difficultate ac longitudine viarum venissent deferendum domino suo datum eis esse. Pontifex vero ubi haec intellexit, statim ad Deum conversus post celebrata iterum missarum sollemnia, habitasque Deo magnas et debitas preces, accepit cultellum de manu eius, qui signa temeraverat thecasque recluserat, et sub altare sancti Petri coram omnibus conspicientibus unam illarum partium panni mediam scidit, quam sanguis illico inde profluens, quasi graviter vulnerata cruentavit: quo plane tam admirabili ac manifesto signo exterriti legati, et veniam commissi sui supplices prostratique in terram petierunt, et admoniti demum a sancto pontifice Gregorio quanta esset in ipsis frustis pannorum divina virtus, quantaque apostolorum, et martyrum merita effusò sanguine eorum infusoque in illa per vim et mysterium celebrati dominici sacramenti, summa affecti devotione simul et laetitia, non obsignatis clausisque ut antea thecis regressi sunt.

Magna haec, quae gessit beatus Gregorius. Nec minora, quae de clave aurea sancti Petri apostoli, quae a sacratissimo

eius corpore transmitti solebat; de qua videlicet clave, hoc est gestum. Dum eam quidam longobardus civitatem ingressus in transpadanis partibus invenisset, quia sancti Petri clavis esset despiciens, sed pro eo quod eam auream vidit, facere ex illa sibi aliquid aliud volens, eduxit cultellum, ut illam incideret, qui mox cultellum cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Autcharius, atque alii multi eius homines adessent, et ipse qui se percusserat seorsum mortuus, clavis vero seorsum iaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus praesumeret. Tunc quidam longobardus catholicus, qui orationi et eleemosynis deditus, Mumulsus nomine vocatus est, ipse hanc levavit de terra. Autcharius vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctae memoriae decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum magnum contigisset. Haec divus Gregorius, qui libro VI. epistola XXV. sic scribit: « benedictionem sancti Petri apostolorum principis, quem multum diligitis, clavem a sacratissimo eius corpore vobis transmisimus, in qua ferrum de catenis eius clausum est, ut quod illius collum ligavit ad martyrium, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Item libro X. epistola VII: indicamus per latorem praesentium Hilarium chartularium nostrum clavem nos a sacratissimo corpore beati Petri apostolorum principis transmisisse, in qua de catenis quoque ipsius benedictis continetur; qua collo vestro suspensa, hoc vobis eo intercedente gratia absolutionis fiat, quod illi fuit causa martyrii. Item mittit eiusmodi clavem Secundino lib. VII. epistola LIII. Gregorius clavem parvulam a sacratissimo corpore beati Petri apostoli pro eius benedictione Richaredo regi Vestgotthorum transmittit, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum. Item crucem in qua lignum dominicae crucis inest, et capilli beati Iohannis Baptistae. Item clavem aliam a sacratissimo beati Petri apostoli corpore libro VII. epistola CXXVI. Item clavis a sacratissimo corpore beati Petri Asclepiodoto transmissa lib. XII. epistola XVII. Item de sudario sancti Pauli et

catenis, quae collo gestavit lib. III. epistola XXX. Item dicit de tunica atque cuculla, de benedictione Petri apostoli libro VIII. epistola XLV.

Porro ut ad alia descendamus, ait idem in libro III. dialogorum, tanta in basilica sancti Petri gesta se cognovisse, ut si cuncta evolvere conaretur, ab omnium iam procul dubio narratione conticescere oporteret. Quibus etiam adiiciendum videtur, quod in eadem basilica ad altare ipsum maius sancti Petri, cuius causa nunc tanta dicere aggressi sumus, non minus quidem quam superiora, aut rei gestae magnitudine, aut divinae virtutis admiratione apparuit: siquidem cum opus moralium, quod beatum Gregorius ediderat, ac Leandro archiepiscopo hispalensi inscripserat, defuncto illo ac successore eius beato Isidoro per totam Hispaniam incuria hominum deperiisset; placuit consilio toletano, quod XXX. episcoporum praesentia tunc habitum fuit, regique simul Hispanorum Chindasvindo, ut Tagio episcopus caesaraugustanus, vir optimus idemque sacris litteris admodum eruditus, Romam ad summum pontificem Iohannem quartum inquirendi transcribendique eius operis causa mitteretur: quam rem cum tardius difficiliusque, quam putaverat, adsequeretur propter subitam mortem ipsius Pontificis, creationemque alterius Theodori rebus aliis novis occupati, motus magna devotione basilicae sancti Petri, petit interim, ut per noctem unam permitteretur ei in illa clausis ianuis vigilias agere. Neque aliter, ac petit, impetrat. Vigilanti autem, et oranti, ac quam maxime ante omnia, ut opus cuius causa venerat assequi posset, Deum intento animo obsecranti, sub intempestae noctis tempore, apparuit ingens patrum multitudo, qui et cultu et vestitu simul atque incessu magnam prae se venerationem maiestatemque ferentes, a porta basilicae ad altare usque maius bini procedebant. Quos non sine terrore ille aspiciens, fixus tantum ubi erat perstabat non quoquam egredi, donec progressa est turba illa. Duo autem eorum ipsum adierunt percunctantes nomen, et patriam, et causam adventus eius. Quibus ab eo pariter redditis, alter eorum protenso digito locum ubi opus moralium, quod tantopere optabat reconditum esset, demonstravit. Quibus

plane non tam securo ille quam laeto animo factus rogavit, ut quisnam ipse, qui cum eo loquebatur, ac reliquus adeo venerandorum patrum coetus esset, aperiret. Nec segnius ille, scito, inquit, duos illos quos praeire omnes alios vides inserta manu se invicem complexos, apostolos Petrum et Paulum esse. Ceteros vero, qui subsequuntur, successores eorum romanos Pontifices, atque ordine quidem sicuti suo quisque alii loco successit; me autem Gregorium ipsum, cuius moralium opus tanta cura inquiris, cuiusque causa tantum itineris laborem suscepisti. Atque his etiam maiore laetitia affectus, dic iterum, inquit, ac ostende mihi si hic vobiscum est beatus pater Augustinus, cuius eximiis operibus, non minus etiam quam tuis semper delectatus sum. Stetit ille audito tanti patris nomine, ac nequaquam hic ipse est ait: nam summum illum et excellentissimum virum altior longe a nobis tenet locus. Atque haec ubi dixit, ocius cum socio ad alios unde discesserat reversus est. Nec mora, videt episcopus omnem illam sanctissimam turbam ab altari maiori post magnam ei exhibitam reverentiam et adorationem, portis basilicae eodem quo introierat ordine egredientem. Quae cuncta, uti viderat, magna certe et admirabilia, summo Pontifici enarravit, ac quorum causa venerat moralium libros laetus secum in Hispaniam tulit. Nec vero res tanta hoc loco praetereunda fuit, quam omnes maxime moralium libri ante ipsum prologum in omni ferme Hispania scriptam habent.

Cui consentaneum est et aliud, quod ad demonstrandam sublimem eiusdem beati patris Gregorii gloriam, super ipso etiam altari maiori sancti Petri operatum fuisse Deum, ingens quidem et memorabile, antiquae tradunt historiae. Nam cum Ambrosius et Gregorius, summi ambo sanctique doctores ecclesiae, civesque ambo romani, pro suo quisque ingenio divina officia edidissent, ortaque proinde inter sacerdotes christianos magna esset disceptatio, utrum eorum, quo magis uterentur, suscipi deberet, placuit concilio, quod tempore Hadriani papae habitum est, adsentiente etiam Carolo magno, ut bina officia super altare sancti Petri ponerentur, obseratisque basilicae portis, ac magna diligentique

adhibita custodia per noctem ita manerent, non intermissis interim dignis devotisque ad Deum orationibus, ut quod eorum potius eligendum esset, singulari aliquo signo ostenderet. Nec secus, ac optabant, evenit. Mane enim cum introissent basilicam, officium beati Gregorii dissoluto codice, sparsisque hic inde per pavimentum foliis, quasi disseminatum; officium vero beati Ambrosii solum ipsum super altare apertum invenerunt. Qua plane tam admirabili re cognita, altius mentem omnes efferentes, non aliud eis significatum esse crediderunt, quam ut beati Ambrosii officium in sola ecclesia mediolanensi, beati autem Gregorii in universo passim orbe celebrari deberet.

Illud quoque est memorabile, et relatione dignum, quod scribit Gregorius turonensis, panniculos de beati Petri corpore sumptos ponderosiores fuisse, quam cum eodem allati fuerunt, qui diversis aegritudinibus male affectos sanabant miraculo frequenti et diuturno. Cum Leo papa epistolam X. ad Flavianum episcopum constantinopolitanum de divinitatis humanitatisque sacramento contra Euthychem scriptam, quae a Graecis columna fidei dicitur, confecisset, altari beati Petri imposuit, noctemque integram ibi reliquit, et de eiusdem sanctissimo corpore mane emendatam recepit, certus nocturna visione de eius emendatione factus. Ita scripsit Sophronius de dictis et factis Sanctorum. Tungrenses a calamitatibus Galliae imminentibus servatos fuisse per revelationem ad altare sancti Petri, dicit doctus quidam vir Sigebertus in chronicis *. Ut fieret * an. 453.
commemoratio omnium defunctorum post festum omnium sanctorum, revelatum fuit ad altare beati Petri, ut divus Antoninus parte historiarum secunda scribit.

C A P. XL.

De viris illustribus, et praesertim Cardinalibus in basilica vaticana sepultis.

Praeter romanos Pontifices, imperatores, reges, et alios clarissimos viros, in basilica vaticana sepulti sunt multi et mag-

ni nominis Cardinales, quorum aliquot nomina et epitaphia subiiciemus.

Benedictus Caietanus anagninus, Bonifacii VIII. papae fratris filius, qui patruo ante pontificatum procurante, diaconus Cardinalis sanctorum Cosmae et Damiani a Caelestino V. papa anno MCCXCIV. creatus fuerat, obiit Romae III. idus octobris anno MCCXCVI, sepultusque est prope altare patrui sui Bonifacii VIII. sancto Bonifacio dicatum.

Petrus hispanus episcopus Cardinalis sabinus a Bonifacio III. papa anno MCCCII. creatus, obiit Avenione anno MCCCXI. Corpus Romam relatum in sacello Bonifacii VIII. cum hac inscriptione sepultum est.

Dominus Petrus sabinensis episcopus Avenione mortuus,
et ad basilicam istam delatus, sepultus est ad pedes
domini sui in dicta basilica anno Domini MCCCXI.
Decima quarta die.

Annibaldus de Ceccano, regulus romanus, episcopus Cardinalis tusculanus, creatus a Iohanne XXII. papa an. MCCCXXVII, obiit mense iulio anni MCCCL. in Campania, legatus in regno Neapolitano. Cadaver Romam relatum, in maiorum monumentis sepultum est ad sanctum Petrum.

Christophorus Maronus romanus, presbyter Cardinalis tituli sancti Cyriaci in thermis, archipresbyter basilicae sancti Petri a Bonifacio IX. papa creatus anno MCCCXXXCIX, obiit Romae pridie nonas decembris anno Domini MCCCCIIII, sepultusque est ad sanctum Petrum prope sacellum sancti Thomae marmoreo tumulo cum hoc epigrammate.

Qui legitis carmen lacrymabile, fundite fletus,
Fundite, et hoc multum lacrymis ornate sepulcrum.
Maxima cardinei cubat hic nam gloria coetus
Corpore Christophorus, sed spiritus insidet astris.
Fidus apostolicae per tot fluctuantia cymbae
Naufragia ecclesiae fuit hic et temo salubris.
Multiplici virtute nitens, et amator honesti
Vir erat; evecto cui tantum ad culmen honoris
Nominis almae tui titulum Cyriace dedisti.
Anno Domini MCCCCIIII.

Iordanus Ursinus romanus, episcopus Cardinalis sabinus, maior paenitentiarius, decanus, creatus ab Innocentio VII. papa anno MCDV, obiit ad balnea petriolana fanensis dioecesis anno MCDXXXIX. V. kal. iunii, sepultus ad sanctum Petrum in maiorum sepulchris.

Antonius Calvus romanus, presbyter Cardinalis tituli sancti Praxedis, archipresbyter sancti Petri, ab Innocentio VII. papa creatus anno MCCCCV, obiit Romae VI. nonas octobris anno MCCCCV, sepultus ad sanctum Petrum.

Petrus Fonseeca lusitanus hispanus, diaconus Cardinalis sancti Angeli creatus anno MCCCCVIII. a Benedicto XIII. antipapa; et susceptus pro Cardinali a Martino V, obiit apud Vicovarium XII. kal. septembris anno MCCCCXXVII, sepultus marmoreo sepulcro in sacello sancti Thomae cum hoc elogio:

Ortus in hesperiis praesul dignissimus oris
Fonseca de prole Petrus lux gloria magni
Sanguinis et patrii super exaltator honoris
Hic iacet: a sacro tutilum Michaële recepit
Cardineum, cuius sapientia claruit altas
In laudes sensati animi. Mirabilis iste
Doctor erat, divina colens, et amator honesti,
Mente plus, recti prudens moderator et aequi.
Venit amara dies, qua dirae syncopa mortis
Heu patrem hunc rapuit, Domini labentibus annis
Mille quadringentis, bis denis atque duobus,
Dum vicena dies augusti panderet astra.
Spiritus in caelo tecum sacer Angele vivat!

Antonius Pancerinus de Portugruario foroiuliensis, episcopus Cardinalis tusculanus, patriarcha aquileiensis, anno MCDXI. a Iohanne XXIII. papa creatus, obiit Romae V. nonas iulii anno MCDXXXI, sepultus ad sanctum Petrum.

Ardicinius senior de la Porta novariensis, diaconus Cardinalis tituli sanctorum Cosmae et Damiani, a Martino V. papa anno MCDXXVI. creatus, obiit Romae V. idus aprilis anno MCDXXXIV, sepultus in oratorio sancti Thomae marmoreo sepulcro cum hoc epigrammate:

Hic de la Porta iacet Ardicinus, utroque
Iure tenens primum doctor in orbe locum.
Primus et orabat per consistoria causas
Iusticiam summa relligione colens.
Post ad cardineum merito exaltatus honorem
Inter apostolicos sedit et ipse patres.
Talem Roma tibi lombarda Novaria misit
Insignem generis nobilitate virum.

Qui obiit anno Domini MCCCCXXXIIII. die VIII. aprilis.

Franciscus Condolmerius venetus, episcopus Cardinalis portuensis, S. R. E. cancellarius, creatus ab Eugenio IIII. papa patruo suo anno MCCCCXXXI, obiit Romae III. kal. novembris anno MCCCCLII, sepultus ad sanctum Petrum.

Nicolaus de Acciapaccio surrentinus, presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, creatus ab Eugenio IIII. anno MCCCCXXXIX, obiit Romae III. nonas aprilis anni MCCCCXLVII, sepultus ad sanctum Petrum.

Isidorus Ruthenus graecus, episcopus Cardinalis sabinus, creatus ab Eugenio IIII. papa anno MCCCCXXXIX, obiit Romae V. kal. maii anno MCCCCLXIII, sepultus ad sanctum Petrum.

Antonius Cerdanus maioricensis hispanus, presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni, creatus a Nicolao V. papa anno MCCCCXLVIII, obiit Romae pridie idus septembris anno MCCCCLIX, sepultus in vestibulo sacrarii sancti Petri humi, cum lapide supra posito cum hoc epitaphio:

MCCCCLVIIII. die XII. mensis septembris
Antonius Cerdan maioricensis Cardinalis
ilerdensis quievit in Domino.

Riccardus Oliverius de Ango normanus gallus, archipresbyter sancti Petri, episcopus portuensis, creatus a Callisto III. papa anno MCCCCLXX. Corpus Romam translatum sub altari sanctae Petronillae sepultum est, ubi adhuc extat haec inscriptio:

Riccardus episcopus Cardinalis portuensis constantien.
Normandia oriundus hoc altare vetustissimum
nova facie et dote nova testamento iussit ornari,
ubi in pace requiescit MCCCCLXX.

Berardus Herulus narniensis, episcopus Cardinalis sabinus, creatus anno MCCCCLX. a Pio II. papa, obiit Romae tertio nonas aprilis anno MCCCCLXXIX, sepultus ad sanctum Petrum prope sacellum sancti Thomae marmoreo eleganti tumulo cum hoc epitaphio:

Sedente Xisto IIII. pont. max.
Berardo Herulo narnien., episcopo sabin. S. R. E. Card.
spoletin. pontificii civilisque iuris summo interpreti,
iustitiae, religionis cultori, singularique integritate,
cunctis eximiis romanae curiae muneribus functo,
abstinentia, severitate, insigni humanae vitae exemplo,
a Pio II. pontifice maximo Cardinali ob virtutem creato,
ceteris Pontificibus ac patribus aeque caro.
Constantinus episcopus spoletin. avunculo b. m. pos.
Annum agens LXX communi omnium bonorum moerore
immortali de se apud posteros fama relicta decessit.
Exitus vitae similis.
III. nonas aprilis anno salutis MCCCCLXXVIII.

Stephanus Nardinus foroliviensis, presbyter Cardinalis tituli sanctae Mariae trans Tiberim creatus a Sixto IIII. papa anno MCCCCLXXIIII, obiit Romae II. kal. novembris anno MCCCCLXXXIIII, sepultus ad sanctum Petrum humi prope sacellum sancti Thomae, tabula marmorea supra posita cum hoc elogio:

D. O. M.
Stephano Nardino patria foroliviensi, S. Mariae trans Tiberim
presbytero Cardinali mediolan., legato Avenionis positum
anno salutis MCCCCLXXXIV. II. kal. novembris.

Ardicinus iunior de la Porta novariensis presbyter Cardinal. tituli sanctorum Iohannis et Pauli, creatus ab Innocentio VIII. papa anno MCCCCXXCIX, obiit Romae pridie nonas februarii anno MCCCCXCIII, sepultus ad sanctum Petrum marmoreo tumulo in sacello sancti Thomae cum hoc epitaphio:

Ardicino de la Porta Ardicini Cardinalis
nepoti, episcopo aleriensi, iuris utriusque perito,
conciliatori Matthiae Hungariae regis cum

Friderico III. Aug. gratiarum iustitiaeque
referendario et signatori, sedente
Xisto IIII. ac innocentio VIII. et ab hoc
sponte ob merita presbyt. Card. electo.
Qui vixit anno LVIIII. deces. sub Alexandro
VI. ab salute nostra MCCCCLXXXXIII.
pridie nonas februarii
Domestici clientes heredes sacello ornato
Monimentum hero rari exempli pos.
Aequa industriae fides et pudor.

Antoniottus Pallavicinus genuensis ligur, episcopus Cardinalis praenestinus, ab Innocentio VIII. papa creatus anno MCCCCXXCIX, obiit Romae IIII. idus septembris anno MDVII, sepultus marmoreo tumulo ad sanctum Petrum prope altare sanctae columnae cum hac inscriptione:

Antoniottus Cardinalis sanctae Praxedis
mortem prae oculis semper habens
vivens sibi posuit anno MDL.

Iohannes Borgia valentinus hispanus, presbyter Cardinalis tituli sanctae Susannae, creatus ab Alexandro VI. papa anno MCCCCXCIII, obiit Romae kal. augusti anno MDIII, sepultus ad sanctum Petrum.

Bartholomaeus Martini valentinus hispanus, presbyter Cardinalis tituli sanctae Agathae, creatus ab Alexandro VI. papa anno MCCCCXCVI, obiit Romae VIII. kalend. februarii anno MD, sepultus ad sanctum Petrum.

Iohannes Lopez valentinus hispanus, presbyter Cardinalis sanctae Mariae trans Tiberim creatus anno MCCCCXCVI. ab Alexandro VI. papa, obiit Romae nonis augusti anno MDI, sepultus ad sanctum Petrum.

Iohannes Baptista Ferrarius mutinensis, presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni, creatus ab Alexandro VI. papa anno MD, obiit Romae XIII. kal. augusti anno MDII, sepultus ad sanctum Petrum.

Franciscus Florez Valentinus hispanus, diaconus Cardinalis sanctae Mariae novae, creatus ab Alexandro VI. papa anno

MDIII, obiit Romae V. nonas maii anno MDVII, sepultus ad sanctum Petrum.

Factius Sanctorius viterbiensis, presbyter Cardinalis tituli sanctae Sabinae, a Iulio II. papa creatus anno MDV, obiit Romae XI. kal. aprilis anno MDX, sepultus humi retro altare capellae sixtinae cum Iulio II. et Galeotto cardinale cum frusto lapidis sic inciso :

Depos. Factii Sanctorii Cardinalis sanctae Sabinae.

Galeottus Franciottus de Ruere lucensis, Cardinalis tituli sancti Petri ad vincula, et sacrae rom. ecclesiae cancellarius, a Iulio II. papa creatus anno MDIII, obiit Romae II. kal. augusti anno salutis MDVIII, sepultus retro altare sacelli sixtini humi cum frusto lapidis, sic inscripto :

Depos. Galeotti Cardinalis sancti Petri ad vincula.

Aloysius Rubeus florentinus, presbyter Cardinalis tituli sancti Clementis, creatus a Leone X. papa anno MDXVII, obiit Romae XIII. kal. septembris anno MDXIX, sepultus humi prope altare sudarii cum hoc epitaphio :

D. O. M.
Aloysio vetustissima ac nobili Rossiorum
Florentiae familia orto, ob eius in Mediceam familiam
affinitatem, fidem et
observantiam Leoni X. pont. max. apprime
grato, ac ob eius ingentes animi
corporisque dotes in cardineum senatum ascito,
et mox cum totius romanae curiae luctu
immatura morte perempto, idem
Leo X. pont. max. temporaneum monumentum
donec in patriam sepulcro tanto viro
Digno tumulandus portaretur, fieri fecit.
Obiit anno Domini MDXIX, mense augusti, die XX.

Franciottus Ursinus romanus, diaconus Cardinalis sanctae Mariae in Cosmedin, creatus a Leone X. papa anno MDXVII, obiit Romae pridie nonas februarii anno MDXXXIIII, sepultus ad sanctum Petrum in deposito, cum hoc epitaphio :

Franciotto Cardinali Ursino
Leonis X. pont. max amitino, qui dum

annum prope LXI. ageret diem
clausit extremum, quarto idus
ian. MDXXXIIII. Octavius Ursinus
patri optimo pos.
Qui legis hoc tumulo fidei morumque piorum
Lanificae omne decus composuere deae.

Henricus Borgia valentinus, hispanus, filius ducis Gandiae, diaconus Cardinalis creatus a Paulo III. papa an. MDXXXIX, obiit Viterbii XV. kal. octobris. Cadaver Romam portatum in sacrario basilicae sancti Petri sepultum est lateritio tumulo, cum hac inscriptione:

Henricus gente Borgia natione hispanus
patria valentinus Alexandri VI. pronepos
ducis Gandiae filius, dum in maximam spem
assurgeret, immatura morte heu nimium
raptus est. Spiritus in caelo, corpus hic
requiescit. Vixit post acceptum Cardinalis galerum
IX. ferme menses, aetatis vero anno XXI.
obiit XV. kal. octobris anno Domini MDXXXIX.
Illustris D. Iohannes Borgia nepoti carissimo, una cum
rev. patre episc. lucerino ex Pauli III. pont. max. mandato pos.

De viris illustribus in basilica vaticana sepultis.

Praeter Cardinales, de quibus supra scripsi, praeter etiam Pontifices, imperatores, reges et eorumdem uxores, de quibus infra dicam, multi alii praeclari nominis viri in eadem ecclesia sepulti fuisse traduntur. Id quum ex historiis, tum ex ipsorum epitaphiis intelligitur, quorum vetustissimum adhuc extat.

« Hunc tumulum conspicite cuncti Ambrosii primicerii notariorum ecclesiae, iam funus est hoc tumulatus solo. Benignus semper existens, in moribus aptus, in creditam sibi rem fidelissimus dispensator, consiliator existens Pontifici qui tunc in tempore erat, quae sunt saluti monita praebebat. Ex hac urbe processit suum secutus pastorem in Roma salvanda. Utrique petebant regnum tendentes Francorum. Sancta perveniens

loea beati Mauricii aulae, secus flavi Rodani litus, ubi vitam nobiliter doctus finivit, mense decembris ind. VII. tempore D. N. Stephani papae. Suboles audiunt, intrinsecus gemunt de tali tantoque doctore privati, simulque sodales de tali funere lugent, rivulos lacrymarum fundunt, cum caterva sequipedum pietatem noscentes, tanti magistri conspicientes tumulum. Domestici domus saepius suspirant facta bona tanti viri noscentes. Obviata mors disiunxit, quae nullum reservat honorem, cui louga expectabat via, detenuit in hora post sex curricula ann. remotus de exilio ad propria corpus redivit humandum. Quem sui amatores filii cum magno reduxerunt honore pristinaeque patriae reddiderunt. En placuisti Deo Ambrosie alme, ut in gremio sanctae ecclesiae matris reversus affabilis esses. Ianitori caeli commendo tua membra iam redacta favillis resurrectura in fine mundi. Hic requiescit Ambrosius R. E. C. primicerius, qui vixit annos plus minus sexaginta, qui positus est meuse septembris, in die XIII, tempore ter beatissimi D. N. Pauli papae.

Alia plura epitaphia virorum illustrium in templo vaticano eiusve sacris cryptis sepultorum, videsis apud Petrum Manlium, Maph. Vegium, atque Philippum Laur. Dionysium cum nupera appendice; denique apud Gruterum T. II. in inscriptionibus christianis ex codice palatino sumptis. E.

LIBER QUARTUS.

CAP. XVI. (1)

De conciliis in basilica vaticana celebratis.

Constantinopoli Antiochia et Hierosolymis a Latinis occupatis, generalia concilia non ex orbe solum latino verum etiam ex orientali sub Callisto II. papa, longissimo et perniciosissimo schismate, quod per quinquaginta plus minus annos inter pontifices, et imperatores romanos viguerat, sedato, Romae tum primum celebrari sunt coepta. Hoc unum papale munus Laterani, non ad sanctum Petrum, transactum est, quod ob praelatorum commoditatem omnino est factum, quorum adeo ingens multitudo Romam confluebat, ut episcopos et abbates, quibus in conciliis suffragandi ius est, mille iterum atque tertio Romam ad concilium convenisse constet. Cum vero basilica sancti Petri extra Urbem in deserto loco, Urbis vero frequentior pars Laterani esset, Pontifices concilia generalia, praelatorum commoditati consulentes, Laterani celebrarunt, ut Callistus II, Innocentius II, Alexander III. et Innocentius III. Ceterum ante Callisti II. tempus per mille fere annos infinita paene Romae concilia sunt congregata, tum provincialia ex italicis regionibus, cum ex europaeis provinciis, Hispania, Gallia, Germania, quorum maior pars apud sanctum Petrum, multa Laterani, aliquot apud sanctam Mariam maiorem, nonnulla apud sanctam Crucem, et per alias etiam Urbis ecclesias, multa incertis locis sunt congregata. De his vero quae apud sanctum Petrum celebrata fuisse constat, breviter disseram.

Siricius Damasi successor concilium multorum episcoporum in basilica vaticana celebravit. Idem fecit Felix II. dictus III. qui in ea synodo Acacium constantinopolitanum et Petrum ale-

(1) Ex universo hoc libro unum delegimus capitulum XVI., propterea quod maiore doctrina abundat, et a contentione de primatu inter duas basilicas lateranensem et vaticanam iamdiu extincta longe recedit.

xandrinum episcopos damnavit, ut ex eius damnationis formula constat. Idem repetita in eadem basilica synodo, Mesenum et Vitalem episcopos damnavit, quod Acacio constantinopolitano episcopo consensissent, ut scribit Bibliothecarius. Gelasius papa convocata presbyterorum et episcoporum synodo in basilica sancti Petri apostoli apostolorum principis, Mesenum episcopum libello satisfacientem absolvit, et ecclesiae suae restituit. Huius concilii acta extant. Symmachus papa multa concilia per varias Urbis basilicas celebravit, ex quibus quatuor praecipua de gravissimis maximisque rebus apud sanctum Petrum fecit. Omnium mentio est primo tomo conciliorum. Primi quidem sic: P. C. Paulini viri clarissimi die kal. martii in basilica beati Petri apostoli, synodo praesidente beatissimo papa Symmacho, Fulgentius archidiaconus dixit: a beatitudine vestra in hac synodo multa decreta sunt contra ambientes papatum etc. Alterius synodi a Symmacho papa habitae de rebus ecclesiae conservandis index eiusmodi est: Flavio Avieno V. C. iuniore cos, sub die VIII. novembris, in basilica beati Petri apostoli, praesidente venerabili viro papa Symmacho, idem Symmachus ecclesiae catholicae episcopus, dixit: bene quidem serenitas vestra etc. Tertiae synodi CCXVIII. episcoporum pro schismate omnino tollendo, et pro remedio ne alia suboriantur, et approbatione libelli Ennodii diaconi sacrae rom. ecclesiae pro Symmacho papa contra schismaticos editi collectae, index eiusmodi est: P. C. Avieni, cum in unum annuente Domino ante confessionem beati Petri apostolorum principis resedissemus, sancta synodus dixit: libellus, qui synodali auctoritate etc.

Quartae synodi sub eodem Symmacho contra invasores rerum ecclesiasticarum congregatae titulus eiusmodi est: cum in unum apud beatum Petrum apostolum sancta sexta synodus canonice a beato Symmacho Romae congregata resedisset, Symmachus praedictus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae eidem synodo praesidens dixit: quoniam religiosus etc. In eadem basilica etiam sanctus Gregorius habuit synodum, ut cognosci potest ex lib. IIII. epistol. LXXXVIII, quod sic habet: regnante in perpetuum domino nostro Iesu Christo tem-

poribus domini Mauricii, Tiberii, et Theodosii augustorum, imperii Mauricii anno tertio decimo, ind. XIII. quinta die mensis iulii, Gregorius papa coram sanctissimo beati Petri corpore cum episcopis omnibus, ac romanae ecclesiae presbyteris residens, adstantibus diaconibus et cuncto clero dixit etc. Sic Beda. Sunt et decreta synodi habitae coram sanctissimo beati Petri apostoli corpore, sub eodem beato pontifice Gregorio in libro XII. Narrat ex bibliothecario Marianus scotus in libro secundo chronicorum, Bonifacium III, imperante Phoca, in ecclesia beati Petri cum episcopis LXXII, presbyteris XXXIII, diaconibus VII, et omni clero, constituisse sub anathemate, ut nullus Pontifice vivente, aut episcopo civitatis suae praesumeret loqui, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis eius, adunato clero, et filiis ecclesiae; et electio tunc fiat, et quem voluerint habeant licentiam eligendi sibi sacerdotem.

Bonifacius papa VI. congregavit synodum in basilica beati Petri apostoli, et fecit constitutum chirographis sacerdotum, et iusiurandum ab eis exegit ante confessionem beati Petri apostoli, ut in electione Vigilii diaconi post eum consentirent. Et paulo post facta est iterum synodus, et quia hoc consenserant sacerdotes, et omnes presbyteri reverentia sanctae sedis, et quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret; ipse Bonifacius papa reum se confessus est maiestatis de eo quod in diaconi Vigilii subscriptione suo chirographo ante confessionem beati Petri apostoli fecerat. Itaque in praesentia omnium sacerdotum, et cleri, et senatorum, ipsum constitutum incendio consumpsit. Gregorius III. papa synodale decretum cum sacerdotali conventu celebravit coram sacrosancta confessione sacratissimi corporis beati Petri apostoli, residentibus cum eodem summo ac venerabili papa, Antonio gradensi episcopo, archiepiscopis cum ceteris episcopis Italiae, et aliarum partium, et presbyteris sanctae huius apostolicae sedis, adstantibus diaconis, et cuncto clero, nobilibus etiam consulibus, et reliquis christianis plebibus simul, et decrevit, ut qui sacras imagines abiiceret anathematizatus esset.

Extat in conciliorum tomo aliud Gregorii III. papae conci-

lium pro reformatione status ecclesiastici cum hoc titulo: In nomine Domini, indictione quarta, praesidente sanctissimo Gregorio apostolicò papa in basilica beati Petri apostolorum principis ante confessionem, consedentibus sanctissimis episcopis, Gregorius sanctissimus ac beatissimus papa ante corpus beatissimi Petri in synodo residens dixit: cum scimus dominicae plebis etc. Bibliothecarius in vita Stephani III. papae: expleto concilio, quod Laterani congregatum fuerat, Stephanus pontifex aggregans universos sacerdotes, clerum, et cunctum populum cum cantu et hymnis spiritualibus, omnes nudis pedibus profecti sunt ad beati Petri apostoli ecclesiam; illicque in ambonem ascendens Leontius scriniarius cuncta, quae in eodem peracta sunt concilio, extensa voce legit coram populo: et tres episcopi, scilicet Gregorius silvae candidae, Eustratius albanus, et Theodosius tiburtinus, eodem papa praesente, ecclesiae ambonem ascendentes, anathematis obligationem protulerunt, ne acta quae in eodem concilio constituta essent, unquam transgredi quis auderet. Leo IIII. papa in basilica vaticana concilium fecit, ubi interfuerunt LXVII. episcopi, in quo relegi fecit decreta Pontificum, et damnatus fuit Anastasius Cardinalis propter sua crimina. Item Nicolaus in iis, quae narrat de depositione Photii, et restitutione Ignatii, scribit: synodum collectam in sancta Dei ecclesia, ubi beatus Petrus apostolorum princeps corpore floret, et virtutibus emicat, deinde in ecclesia Salvatoris propter frigidiorem locum synodum ipsam ex ecclesia sancti Petri ad constantinianam fuisse translatam; illud ostendens, praecipuum habendae synodi locum in beati Petri apostoli basilica fuisse constitutum, ac nullam aliam ob causam inde translatam synodum, nisi quia frigidior locus erat.

LIBER QUINTUS.

CAP. VI.

Imperatorum, augustarum, regum, clarissimorum virorum et feminarum, item sanctorum hominum erga basilicam sancti Petri reverentia summa.

Maximam erga basilicam, uti in toto terrarum orbe primariam, reverentiam exhibueruut, veteres imperatores, ipsorum uxores, reges, viri et feminae illustres, sanctitateque praestantes homines. Singula enarrare fastidiosum esset, praecipua quaeque percurram. Leo III. papa in Urbem ex Gailia rediens primum ad ecclesiam sancti Petri accessit, ubi missarum soilemnia celebravit, et omnes communiter corpori et sanguini Christi participaverunt. Alia die Romam introeuntes Pontificem in patriarchium lateranense introduxerunt; ita Bibliothecarius. Extat apud sanctum Athanasium alex. in epistola ad solitariam vitam agentes, Constantii augusti iussu fuisse in apostoli Petri templo dedicata munera per eunuchum quendam ab imperatore missa; quod cum rescivisset Liberius pontifex, vehementer increpuit custodem templi, qui id non prohibuisset. Itaque ipse in templum ingressus dona illa ut nefariam victimam proiecit. Ex hoc Athanasii loco aperte intelligimus, tanto in honore semper fuisse habitam sancti Petri basilicam, ut eius dignitatem imperator quamvis haereticus sit reveritus. Quod vero tradit magnus idem Athanasius, Liberium pontificem templi custode vehementer increpito, illa ipsa dona uti rem nefariam e templo proiecisse, ex hoc ipso licet cognoscere sincerum Pontificis animum ac studium in catholicae fidei ratione atque integritate servanda; quippe qui ne ab imperatore quidem ipso rectae fidei persecutore oblata munera passus est in templo illo diu manere. Quod autem laudatus Athanasius scribit, Liberium ipsum cum primum factum rescivit, in templum progressum dona illa proiecisse, hoc ipso significat Pontificem non longe a ba-

silica illa, sed prope habitasse, quandoquidem eundem Pontificem in eadem basilica baptismum praedicasse testantur acta Liberii, quae sunt in tomo primo conciliorum, et nos idem supra exposuimus. Quid? Nonne imperatores ipsi ad venerandum apostoli Petri sepulcrum diademata submittunt? Quod dicit beatus Augustinus epistola XLII. ad Madaurenses, in qua multa quidem praeclare dicta extant, sed illud praecipue, quod est his verbis ab eo scriptum: videtis, inquit, simulacrorum templa partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa, partim in usus alios commutata; ipsaque simulacra, vel confringi, vel incendi, vel includi, vel destrui, atque ipsas huius saeculi potestates, quae aliquando pro simulacris populum christianum persequebantur, victas et domitas non a repugnantibus, sed a morientibus christianis; et contra eadem simulcra, pro quibus christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse, et imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri summisso diademate supplicare. Haec beatus Augustinus verissime scripsit, ut manifestum est his qui periti sunt rerum antiquarum. Idem his verbis in oratione, quod Christus est verus Deus repetit divus Iohannes Chrysostomus: Romae, quae inter alias urbes maxime est regalissima, omnibus posthabitis, ad sepulcra piscatoris et coriarii currunt reges. Et ut de multis pauca commemorem, Valentinianus augustus litteras his verbis scriptas ad Theodosium imperatorem misit, quae primo conciliorum tomo in actis concilii chalcedonensis extant: cum advenissem in urbem Romam ad divinitatem placandam, sequenti die ad basilicam apostoli Petri processi, et illic post venerabilem noctem diei apostoli, et a romano episcopo, et ab aliis cum eo ex diversis provinciis congregatis rogatus sum scribere vestrae mansuetudini de fide etc.

Laudat Hadrianus romanus pontifex in his, quae scripsit pro defensione nicaeni secundi concilii, eundem Valentinianum augustum, quod imaginem auream Salvatoris pretiosis gemmis voti causa super confessionem beati Petri apostoli ponendam curaverit, quam omnes fideles venerabantur. Quid Constans augustus Heraclii nepos? An non et ipse beati Petri templum

veneratione prosecutus est? Est apud Chunradum de Lichtinavio abbatem Uspergensem his verbis de illo scriptum: Constaus permotus zelo Dei, synodo sacra et ipse convocata sub Vitaliano papa nuper ordinato, haeresim abdicavit, misitque beato Petro apostolo evangelia aurata, gemmis albis mirae magnitudinis in circuitu ornata. Ipse post aliquot annos Romam veniens, ipsa adventus sui die ambulavit ad sanctum Petrum, adorationem et donum ibi obtulit. Dominico die iterum processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo, et obtulit super altare sancti Petri pallium auro textile, toto exercitu cum cereis ecclesiam intrante, et celebratae sunt missae. Iterum dominicorum die fuit statio ad sanctum Petrum, et post celebratas missas vale fecerunt sibi invicem Imperator et Pontifex; ita Anastasius bibliothecarius, et ex eo abbas Uspergensis chronicorum scriptor non contemnendus, et fide dignus, haec memoriae prodidit. Ex quibus facile intelligimus imperatorem illum, cum primum in Urbem venit, non fuisse basilicam beati apostoli prius qnam alias ingressurum cum toto exercitu cereos gestante, nisi eam aliis praeferendam duxisset.

Possem multos alios numerare, qui simili reverentia, et veneratione prosecuti sunt eamdem basilicam. Sed ne nimis longus sim, missos quidem facio reliquos, sed silentio praetereundus non videtur Carolus magnus, quem prae cunctis mundi totius sacris locis basilicam sancti Petri summopere semper coluisse, eius vitae scriptores testantur, adeo ut non modo eam ab omni vi hostili barbaricaque vi tutatus sit, sed magnis insuper ac multis ornaverit dita veritque aureis, argenteis, pretiosorum lapidum donis; qui sub Hadriano papa, quem postea summe coluit, cum plurimum aliquando cuperet Romam devotionis causa invisere, relicto exercitu in obsidione Ticini, ita illo accessit, ut miliario fere distans ex equo descenderit, deiiciens animum suum, humilior ac pedibus vadens, petensque primum basilicam sancti Petri, quam digniorem esse minime dubitabat. Ingressus autem die sabbati sancti ita in illam fuerit, ut prius omnes gradus, quibus ad ipsam ascenditur, sigillatim devotissime oscularetur, expectante eum

romano pontifice Hadriano, ac super ipsos gradus hilariter suscipiente. Illud quoque insigne et praestans exemplum est eiusdem Caroli, quod sub Leone III. papa cum Romam alia vice peregrinationis causa accederet, appropinquassetque iam ei ad mille circiter passus, non aliter ac sub Hadriano gesserat, relicto statim cui insidebat equo, pedibus ad basilicam sancti Petri primum profectus est ob reverentiam apostolorum, et aliorum sanctorum martyrum, quorum sanguine (ut ipse dicebat) illa consecrata erat, magno utique ibi cum honore ab ipso papa Leone Hadriani successore susceptus: tum oblatis ei pretiosis ac ingentibus donis, postridie ceteras Urbis basilicas celebratiores visitavit, et pro singularum dignitate muneribus donavit. Haec omnia de Carolo magno scripta inveniuntur apud Eginhardum eius imperatoris alumnum atque scribam, nec non apud abbatem Uspergensem, et Bibliothecarium.

Et in libello, quem idem Eginhardus scripsit de vita et rebus gestis ipsius Caroli magni, memoriae proditum est his verbis: colebat prae ceteris sacris et venerabilibus locis apud Romam beati Petri apostoli ecclesiam, in cuius donaria vis magna pecuniae tam auri quam argenti, nec non et gemmarum ab illo congesta est, atque innumera Pontificibus missa munera. Et paulo infra adiicit ipse Eginhardus, eumdem Carolum magnum intra XLVI. annorum, quibus regnavit, spatium, quater ad eum locum votorum solvendorum causa profectum fuisse. In fine vero eius libelli haec scripsit: inter ceteros eius thesauros atque pecuniam, tres mensas argenteas, et auream unam praecipuae magnitudinis et ponderis, esse constat, de quibus statuit atque decrevit, ut una ex iis, quae forma quadrangula descriptionem urbis constantinopolitanae continet, inter cetera donaria, quae ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati Petri apostoli deferatur. Scripsit de eiusdem Caroli magni liberalitate erga ecclesiam sancti Petri, quae Romae est, abbas Uspergensis in chronicis sic: colebat Carolus magnus prae ceteris sacris locis apud Romam beati Petri apostoli ecclesiam, in cuius donaria magnam vim pecuniae congessit.

Addamus bibliothecarii de iisdem rebus prolixam oratio-

nem: Hadrianus pontifex necessitate compulsus direxit marino itinere suas apostolicas litteras Carolo excellentissimo regi Francorum, deprecans, ut sicut suus pater sanctae memoriae Pipinus, et ipse succurreret sanctae Dei ecclesiae adversus insolentiam et tyrannidem Desiderii regis Longobardorum. Tunc ipse a Deo protectus Carolus rex congregans universam regni sui exercituum multitudinem, obsedit eumdem Desiderium in civitate Papia. Dum per sex mensium spatium ipse Francorum rex Papiae demoraretur in obsessione ipsius civitatis, magnum desiderium habens ad limina apostolorum properandi consideransque quod sacratissima paschalis festivitas appropinquasset, abstollens secum diversos episcopos, et abbates etiam et iudices, duces nempe et grafiones, cum plurimis exercitibus huc Romam per Tusciae partes properavit; ita enim festinus veniens, ut in ipso sabbato sancto se obtutibus praesentaret apostolicis. Cuius adventum audiens antedictus beatus Hadrianus papa, quod sic repente ipse Francorum rex advenisset, magno stupore et extasi deductus, direxit in eius occursum universos iudices ad fere XXX. millia ab hac romana urbe in loco, qui vocabatur Nobas, ubi eum cum bandora susceperunt, et dum appropinquasset fere uno milliario a romana urbe direxit universas scholas militiae, una cum patronis, simulque et pueris, qui ad discendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque olivarum, laudesque illi omnes canentes, cum acclamationum earumdemque laudum vocibus ipsum susceperunt; et obviam illi eius Sanctitas dirigens venerandas cruces et signa, sicut mos est ad exarchum aut patricium suscipiendum, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero a Deo institutus Carolus rex et patricius Romanorum, qua hora easdem venerandas cruces ac signa sibi obviam venire conspexit, descendens de equo, quo sedebat, cum suis iudicibus ad beatum Petrum pedestris properare studuit. Qui quidem antedictus almificus Pontifex diluculo surgens in eodem sabbato sancto, cum universo clero et populo romano ad beatum Petrum ad suscipiendum Francorum regem in gradibus ipsius apostolicae aulae cum suo clero praestolabatur. Adveniente vero eodem excel-

lentissimo Carolo rege, omnes gradus sigillatim eiusdem aulae beati Petri deosculatus est, et ita usque ad Pontificem pervenit, qui super gradus iuxta fores ecclesiae assistebat, cumque deosculans, et amplectens tenuit dexteram idem christianissimus rex manum eius, et ita in eandem venerandam aulam principis apostolorum beati Petri ingressi laudem Deo, et eius excellentiae decantantes: ubi universus clerus, et cuncti religiosi Dei famuli excelsa voce clamantes: benedictus qui venit in nomine domini etc. sicque cum eodem Pontifice ipse rex, simulque omnes episcopi et abbates, iudices et Franci, qui cum eo venerant ad confessionem beati Petri appropinquantes, se se proni ibidem prosternentes, Deo nostro omnipotenti et eidem apostolorum principi propria vota reddentes, glorificantes divinam potentiam, in eo quod talem eis per interventionum suffragia concessit victoriam.

Expleta vero eadem oratione, obnixe deprecatus est idem rex antedictum almificum Pontificem, sibi licentiam tribui Romam ingredi, ad sua orationum vota per diversas sanctorum Dei ecclesias persolvenda. Et descendentes pariter ad corpus beati Petri, tam ipse sanctissimus Papa, quam antefactus excellentissimus rex, cum indicibus Romanorum et Francorum, se seque mutuo sacramento munientes, ingressus est continuo Romam cum eodem Pontifice ipse rex cum suis iudicibus, et populo, et in eodem sabbato sancto in basilica Salvatoris iuxta Lateranum pariter ingressi, ibidem stetit ipse rex cum omnibus optimatibus, quo usque sacrosancti baptismi sacramentum antedictus Pontifex celebravit, et ita postmodum ad beatum Petrum repedavit idem christianissimus rex. Alia vero die illuscente sancto pascha, direxit diluculo ipse sanctissimus praesul certos iudices et universa obsequia militiae ad eundum regem, et cum magno honore eum suscipientes in ecclesiam sanctae Dei Genitricis ad praesepe properavit, cum omnibus, qui cum eo advenerant Francis, ibique post missarum solliemnia celebrata, perrexit cum Pontifice in lateranense patriarchium, illicque ad mensam apostolicam pariter epulati sunt. Alia vero die secunda feria simili modo in ecclesia beati Petri more solito ipse egregius Pontifex missarum sollemnia celebrans,

Deo omnipotenti, et praefato regi laudes reddere fecit. Tertia vero die, ut mos est in ecclesia beati Pauli missas fecit eidem regi.

Imperatorum erga basilicam sancti Petri reverentiam exposuimus. Addamus modo, quae de ipsorum nxoribus angustis passim invenimus. Extant in primo conciliorum volumine Galiae Placidiae augustae scriptae epistolae ad Pulcheriam augustam, et ad Theodosium iuniorem imperatorem. Prior quidem his verbis: cum beato apostolo Petro nostram praesentiam dedissemus, illic multitudine sacerdotum reverendissimus Leo papa circumdatus pro dignitate sui loci nos primus adiit. Et in alia: dum in ipso ingressu civitatis antiquae hanc curam habuissemus, ut cultum beato Petro apostolo redderemus in ipso adorando altari martyris, reverendissimus Leo episcopus paululum se post orationem retinens, propter catholicam fidem apud nos deflevit, ipsum similiter summum apostolum quem nuper adieramus testem obiiciens episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiae pro principatu proprii loci ac dignitate collegerat, et verbis permiscens lacrymas ad communionem sui fletus, nostros quoque gemitus provocavit. Haec Galla Placidia ad Theodosium iuniorem augustum. Vides, ut religiosissima femina illa, cum primum antiquam urbem Romam ingressa esset, eam adhibuit curam, ut beato apostolo Petro cultum redderet in illo ipso adorando altari martyris. Ex hac re intelligimus nihil antiquius habuisse augustam ipsam, quam ut quam primum beati apostoli basilicam adiret, ibique sanctum apostolum Petrum (ut par erat) veneraretur Extat haec eadem epistola in actis concilii chalcedonensis, graece scripta his verbis. Ὁπηνίκα ἐν αὐτῇ τῇ εἰσόδῳ τῆς ἀρχαίας πόλεως ταύτην ἐπιθέμεθα τὴν φροντίδα, ἀποδοῦναι τὴν προσκύνησιν τῷ μακαριωτάτῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ἐν αὐτῷ τῷ προσκυνητῷ θυσιαστηρίῳ τοῦ μάρτυρος, ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Λέων, ὀλίγον ἐπισχὼν ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς εὐχῆς, ἕνεκα τῆς καθολικῆς πίστεως πρὸς ἡμᾶς ἀπωδύρατο, et reliqua. Illud etiam est animadversione dignum, quod dicit Placidia augusta, Leonem romanum pontificem episcoporum multitudine circumseptum, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiae pro sui loci principatu ac dignitate collegerat, illam fuisse obtestatum per apostolorum Petrum pro catho-

licae fidei causa suscipienda. Ex his enim licet videre, magnum illum et sanctum Pontificem episcoporum multitudinem ingentem ad beati Petri apostoli basilicam congregasse.

Extat etiam in eodem tomo epistola Liciniae Eudoxiae augustae ad Theodosium ipsum iuniorem augustum, in qua haec sunt scripta: cum feliciter Romam fuissemus ingressi, et ad limina basilicae sanctissimi Petri venissemus, Leo beatissimus romanae civitatis episcopus etiam cum aliis plurimis episcopis postulationem nobis obtulit etc. Ex Liciniae augustae verbis facile potest intelligi, non minus quam ex his, quae supra diximus, morem fuisse ac vetus institutum, ut qui honore imperii ac dignitate fulgerent, cum primum Urbem essent ingressi, statim adirent apostoli Petri basilicam. Hoc Valentinianus, hoc Galla Placidia, hoc Licinia fecit augusta, quae ait se Romam ingressam adiisse limina basilicae apostoli Petri. Scimus ad hanc diem servari solitum, ut imperator, aut civitatis alicuius princeps vel rector, cum primum urbem aliquam ingreditur, statim ad cathedralem eius urbis ecclesiam se conferat. Ergo cum in veteribus litterarum monumentis legimus Valentinianum, Placidiam, Eudoxiam, Carolum magnum, et reliquos statim Romam ingressos, basilicae Petri apostoli adiisse limina, fateamur necesse est, nullum in urbe templum illi basilicae praeferri solitum fuisse, quum illud imperatores ipsi, et praesentes coluerunt, et absentes amplissimis muneribus suo quisque tempore donarunt.

Novit eiusdem templi maiestatem, gloriam, et dignitatem etiam Theodora augusta Iustiniani imperatoris uxor, quae cum Vigilium papam insatiabili odio prosequeretur, comprehendique et ad se Constantinopolim perduci, misso ad id Romam Anthimo quodam iussisset, speciali etiam mandato inhibuit, ne in basilica sancti Petri ob reverentiam tam electi a Deo loci vis ulla ei inferreretur, cum in ceteris quibusvis aliis sacris locis liberam comprehendendi ei potestatem daret, de qua re sic scriptum legimus apud Aimoinum in libro II. de rebus gestis Francorum: Vigilius sanctae romanae praesul ecclesiae, qui eo, quem commemoravimus modo in locum sanctissimi subrogatus fuerat Silverii, legationem suscepit Theodorae augustae,

se habentem in hunc modum: veni et adimple nobis, quae prona voluntate promisisti de patre nostro Anthimo, et revoca eum in officium suum. Ad hoc rescripsit Vigilius: absit, dicens, hoc a me, domina augusta: prius locutus sum male, et insipienter, nunc autem nullo modo tibi consentio, ut revocem hominem haereticum et anathematizatum. Quo audito augusta misit Anthimum scribam cum valida militum manu Romam, praecipiens ei, ac dicens: Vigilium romanum pontificem nostris sanctionibus rebellem decernimus, ut navi impositum ad nostrum deduci facias conspectum, nec cuiuslibet basilica sanctorum defensionis ei sit adiumentum, excepta ecclesia principis apostolorum. Haec Aimoinus. Extat Petri Manlii opusculum quoddam historiae sacrae ad Alexandrum III. romanum pontificem. In opusculo illo his verbis scriptum legimus: quantam reverentiam huic sanctissimae beati Petri apostolorum principis basilicae totus orbis exhibeat, in vita Vigilii papae apud Anastasium bibliothecarium aperte cognoscitur. Nam Theodora augusta mittens Anthimum scribam suum Romam, ut Vigilium papam comprehenderet, ait illi: si eum inveneris in basilica beati Petri apostoli, parce. Quod si in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet ecclesia Vigilium inveneris, mox navi impositum perduc eum ad nos. Haec eadem scripta sunt in libro pontificali. Non erat causa cur Theodora augusta exciperet basilicam sancti Petri apostoli, si quam aliam in urbe romana praestantiorem cognovisset Augusta ipsa, quae Vigilium ipsum pontificem Chalcedone ad basilicam sanctae Euphemiae confugientem, iussit illinc abstrahi. Eadem vero parcendum ei iubet si esset in basilica beati Petri repertus. Si in Lateranis, inquit, aut in palatio, aut in qualibet ecclesia Vigilium inveneris, mox navi impositum perduc eum ad nos. Cur hanc solam excipit basilicam? quid illi in mentem venit Petri apostoli ecclesiam excipere, potius quam aliam quampiam ex his, quae in Urbe sunt? Atqui non solum non excepit basilicam lateranensem, sed aperte iubet, ut si Vigilius in illa inventus fuisset, omnino abduceretur. Erat igitur quemadmodum Alarico, et Totilae regibus, de quibus infra dicemus, ita et Theodorae augustae basilicae beati Petri dignitas bene nota, ut

mirum non videatur, si omnibus aliis illam praeferre studuerit.

Laudatur Clodoveus rex, quod miserit ad beati Petri limina coronam auream, de qua scripsit his verbis Aimoinus libro primo de rebus gestis Francorum: romanam ecclesiam post Symmachum, Hormisdas suscepit regendam, cuius temporibus rex gloriosus Clodoveus direxit ad beati Petri limina, hortatu praesulis Remigii, regiae dignitatis auream coronam gemmis pretiosissimis insignitam. Quo facto aperte ostendit se Deo non esse ingratum, dum ad ipsius apostoli sepulcrum insigne mitteret regium, sciens se a Christo solii regno donatum. Nam et Sosius consul romanus capta Hierosolymorum urbe, in Domini templo coronam obtulit: sed hic munere gratior, quia fide potior; ille etenim idolorum cultor, at iste catholicae ecclesiae sedulus venerator: ille quod esset praesens, quamvis ipsi urbi temploque infestus, verum hic absens romuleae amator domus et basilicae apostoli Petri devotus. Haec eadem etiam scriptores alii memoriae prodiderunt, in his Sigebertus in chronico ita: Clodoveus rex ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu, et coronam auream cum gemmis, et tunicam bracteam accepit, et ex ea die consul et augustus est appellatus. Ipse vero rex misit Romam sancto Petro coronam auream cum gemmis, quae regnum appellari solet.

Quanta semper fuerit basilicae sancti Petri dignitas, non modo eorum, quos supra diximus, sed etiam illorum, qui romanae urbis hostes extiterunt, factis potest comprobari non vulgaris alicuius, sed illustrium scriptorum testimonio, divi Augustini libro primo, de civitate Dei cap. I, et Pauli Orosii, qui hortatu eiusdem Augustini scripsit historiam. Est apud illum ita scriptum: an non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca et basilicae apostolorum, quae in illa vastatione urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt. Huc usque cruentus saeviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illo ducebantur a miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent,

qui similem misericordiam non habebant. Paulus vero Orosius lib. VII. (cap. 39.) sic ait: adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit, dato tamen praecepto prius, ut si qui in sancta loca, praecipueque in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent. Discurrentibus itaque per urbem barbaris, forte unus Gothorum, idemque potens et christianus, sacram Deo virginem iam aetate provectam in quadam ecclesiae domo reperit; eumque ab ea aurum argentumque honeste exposceret, illa fideli constantia esse apud se plurimum, et mox proferendum spopondit, ac protulit; dumque expositis opibus attonitum barbarum magnitudine et pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate videret, virgo Christi ad barbarum ait: haec Petri apostoli sacra ministeria sunt, praesume si audes, de facto tu videris, ego quia defendere nequeo, contendere non audeo. Barbarus vero ad reverentiam religionis timore Dei et fide virginis motus ad Alaricum haec per nuncium retulit, qui continuo reportari ad apostoli basilicam universa, ut erant, vasa imperavit; virginem etiam simulque omnes, qui se adiungerent christianos, eo dum cum defensione deduci. Ea domus a sanctis sedibus, longo, ut ferunt, et medio interiectu Urbis aberat: itaque magno spectaculo omnium disposita per singulos singula, et super capita lata palam aurea atque argentea vasa portantur, exertis undique ad defensionem gladiis pia pompa munitur, hymnus Deo romanis barbarisque convenientibus publice canitur, personat late in excidio urbis salutis tuba, omnesque etiam in abditis latentes invitat, ac pulsat. Concurrunt undique ad vasa Petri, vasa Christi; plurimi etiam pagani, christianis professione, si non fide, admiscentur, et per hoc tamen ad tempus, quo magis confundantur, evadunt. - Quid his verbis clarius, aut manifestius ad basilicae beati Petri maiestatem ostendendam? Praecepit Alaricus, ut qui in sancta loca, praecipue in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, nullo modo violarentur, sed in primis essent incolumes. Quod omnibus sanctis locis reverentiam tribuendam, sed praecipue sanctorum apostolorum basilicis, rex ille iussit, aperte ostendit illas se magis, quam omnes alias

basilicas revereri, omnibus enim parcendum praecepit, sed hos praecipue vult salvos atque incolumes esse omnes, qui ad sancta templa confugissent, sed in primis illos, qui beatorum apostolorum basilicis protecti essent. Erat igitur illarum dignitas, ac reverentia etiam exteris et barbaris nationibus cognita. Sed dicet aliquis praeceptum quidem illud ab Alarico rege datum, sed minime servatum fuisse. Illud denique non praetereundum, sed maxime videtur animadvertendum, Petri apostoli templum sanctas sedes a vetere et probato scriptore appellari. Quippe qui paulo ante cum scripsit sacram Deo virginem in quadam ecclesiae domo repertam, simplici ecclesiae nomine Petri apostoli basilicam significavit.

Procopius lib. III. de bello gothico, simile fere exemplum de Totila Gothorum rege scribit, qui urbe Roma capta, in unum locum copias omnes coëgit. Maximus, Olybrius, Orestes, patricii et senatores, et alii quidam in Petri apostoli aedem se fuga recipiunt. Constat sane e plebe tunc homines ad quingentos in Urbe resides per id tempus fuisse, qui in divorum se templa receperant. Ceteri omnes iam ex Urbe excesserant et in alias se contulerant terras, vel lue absumpti perierant. Multi interea, et noctu quidem de Bessae, et hostium discessione Totilam fecerant certiorem: quo affirmante pergratam illos sibi rem nunciare, neminem tamen suorum fugientium insistere vestigiis sivit, nihil esse homini suavius dictitando, quam terga sibi ut hostes darent. Verum ubi primum illuxit, nec ulla ad insidias relinquebatur suspicio, Totilas ipse orandi gratia Petri apostoli templum ingreditur, sed Ghothi interea, quos obvios habent, obtruncant. Unde hoc pacto ex militibus quidem desiderati XX. dumtaxat sunt, sexaginta e plebe homines. Ineunti itaque Totilae templum Pelagius ipse, sese obvium obtulit, Christi in manibus evangelia gestans, supplexque omnibus factus, et genu procumbens, parce, inquit, o princeps tuis. Tum ille arridens, et sane profusius ita praefatus est: nunc mihi supplicaturus advenisti Pelagi? Ita quidem, respondit, quandoquidem tuum me servum effecit Deus, sed ab his iam abstine manus, qui tibi in servitutem cessere. His itaque victus precibus Totilas gothis mi-

litibus edicto mox imperat Romanorum de cetero ut neminem obtruncarent, ut ei in primis pretiosissima quaeque delecta servarent, cetera sibi haberent in praedam: quam multa in patriciorum aedibus inventa fuere, sed omnium maxima exstitere, quae Bessas reliquerat, ut qui velut omnium perditissimus homo infaustum illud divenditi frumenti pretium Totilae ad ceteram praedam accumulasset. Sic itaque cum romanis et patriciis viris tunc actum.

Sub Sergiò papa Ceoaldus rex Anglosaxonum, qui multa in patria sua bella gesserat, ad Christum conversus Romam properavit, qui a Sergio papa baptizatus, Petrusque appellatus, adhuc in albis constitutus ad caelestia regna migravit sepultus ad sanctum Petrum. Bibliothecarius in vita Constantini papae, Paulus diaconus in historia Longobard. lib. VI. cap. X: eo tempore duo reges Saxonum ad adorationem apostolorum cum aliis plurimis venientes, sub velocitate, ut optabant, vitam suam finiernnt. Idem in vita Gregorii II. papae: Luitprandus Longobardorum rex ad tantam compunctionem piis Pontificis monitis flexus est, ut quae fuerat indutus exueret, et ante corpus apostoli poneret mantum, armillasiam, balteum, spatham, atque ensem deauratum, nec non coronam auream, et profectus est ad obedientiam monasticam. Idem paulo infra: Rachis rex Longobardorum relinquens regalem dignitatem cum uxore et filiis ad sancti Petri limina devote perrexit, ubi accepta a Zacharia papa oratione, clericus factus monasticum indutus est habitum cum uxore et filiis. Legimus apud eundem Bibliothecarium Desiderium Longobardorum regem orationis causa Romam ad beatum Petrum cum suo exercitu venisse, et Stephanum III. ad eum salutationis gratia accessisse, missasque coram eo celebrasse.

Novit eiusdem basilicae maiestatem Belisarius vir fortissimus, victoriis et rerum in bello gestarum gloria illustris. De eo enim ita scriptum legitur in historia Aimoini: cum audisset Belisarius, quod Franci Italiam infestarent, Romam redire maturato contendit, et civitati appropinquans cum magna omnium utriusque sexus laetitia exceptus, obtulit beato Petro per manus papae Vigilii auream crucem centum librarum pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas descripserat victorias.

Bibliothecarius in vita Gregorii II: eo tempore Theodorus dux gentis Bavarorum, cum aliis gentis suae ad beati Petri apostoli limina orationis voto primus de gente eadem occurrit. Rusticiana patricia, quae Boethii V. C. filia fuerat, ex urbe Constantinopoli misit vela quaedam ad beati apostoli Petri sepulcrum; qua de re extat sancti Gregorii romani pontificis epistola libro nono, qua laudat sanctus Pontifex religiosam illam feminam his verbis: quae ex purissimo sincerissimoque corde beato Petro apostolorum principi munera transmisistis, praesente omni clero suscepta atque illic suspensa sunt. Filius enim meus vir memorandus dominus Symmachus, qui aegrotum me ex dolore podagrae, et paene desperatum repperit, scripta vestra mihi dare distulit, et post multum temporis, quam vela suscepta sunt, dedit. Post modum vero in scriptis excellentiae vestrae invenimus, ut cum litania ad beati Petri ecclesiam portari debuissent; quod ideo minime factum est, quia sicut praedixi ante vela, quam scripta, suscepimus; tamen praedictus vir cum omni familia domus vestrae hoc fecit, quod vos cum clero facere voluistis, sed etsi voces defuerunt hominum, habet ipsa vestra oblatio apud omnipotentem Deum vocem suam. In eius pietate confido, quia cuius corpus vos cooperuistis in terra, eius vos intercessio ab omnibus peccatis poteget in caelo. In hac beati Pontificis epistola notandum est, quod scribit Rusticianam patriciam petiisse, ut quae miserat munera, cum litania, hoc est supplicationibus, ad beati Petri ecclesiam portari deberent. Item illud notandum, praesente omni clero suscepta, et in eo loco suspensa fuisse. Omnium autem maxime, quod dicit, cuius corpus vos cooperuistis in terra, eius vos intercessio ab omnibus peccatis proteget in caelo.

Non novum autem, aut recens inventum, ut e longinquis regionibus voti aut orationis gratia peregrini homines ad apostolorum limina se conferrent. Ut enim missos faciam reliquos prope innumerabiles, quos eiusmodi vota fecisse, ac solvisse legimus, narrat Palladius monachus Evagrii discipulus in historia de vita monachorum, quam citat Iohannes damascenus in libro de his, qui in fide dormierunt, Philoromum presbyterum religiosissimum Alexandriam voti causa ad sepulcrum bea-

ti Marci evangelistae, cumdemque venisse Romam pedestri itinere ad sepulcrum sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Socrates scholasticus in libro IIII. historiae ecclesiasticae narrat, admirabilis vitae monachum Ammonium una cum sancto Athanasio Romam ingressum, nihil eorum, quae in urbe erant visendum curasse, nisi loca illa, in quibus beati apostoli Petrus et Paulus pro Christi confessione martyrium pertulerunt. Eodem venit et vir ille sanctissimus persa, ut scriptum reliquit Sophronius in libro de dictis et factis monachorum. Narrat Augustinus multitudinem mendicantium eodem confluere solitam esse, quae gradus, atrium, et porticus complebat. Nostro tempore Indi, Armeni, Aethiopes, Romam venientes ad altare beati Petri commorantur, et eo tempore, quo in urbe manent pascuntur Papae expensis. Haec notavimus, ut ostenderemus non novum hoc videri debere, si visitatio liminum beatorum Petri et Pauli de Urbe cum his numeratur, quae sunt votum peregrinandi Hierosolyma, et ad sanctum Iacobum Compostellae, votum castitatis et religionis.

CAP. VII.

Donationes civitatum, provinciarum, et regnorum factae ecclesiae Romanae, super altare maius sancti Petri oblatae fuerunt.

Res maxime memorabilis est, quod donationes multae romanae ecclesiae factae, non alibi quam in basilica vaticana, aut sancti Petri nomine, factae sunt. Omnes exequi longum esset, paucas quasdam et eas antiquissimas percurram. Iohannis VII. papae temporibus Herechbertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quae ad ius pertinebant apostolicae sedis, et longa per tempora a ditione romanae ecclesiae subductae fuerant, ac ab eadem gente Longobardorum detinebantur, iuri proprio beati Petri apostolorum principis restituit, et hanc donationem aureis litteris exaratam Romam direxit. Sic Beda, Bibliothecarius, Paulus diaconus, lib. VI. cap. X. Liutprandus rex Longobardorum donationem pa-

trimonii Alpium Cottiarum, quam Herechbertus rex fecerat, et ille repetierat, admonitione Gregorii II. papae confirmavit, ut aiunt iidem Beda, et Paulus diaconus lib. VI. cap. XIII. Bibliothecarius in Gregorio II: eodem tempore dolo occupatum est a Longobardis Sutrium, quod diebus CXL. tenuerunt, sed Pontificis continuis scriptis, ac commonitionibus ad regem missis, quamvis multis datis muneribus, tamen omnibus suis opibus nudatum Liutprandus Longobardorum rex facta donatione beatissimis apostoli Petro et Paulo restituit atque donavit. Zachariae papae precibus Liutprandus Longobardorum rex quatuor civitates, quas vi eripuerat, eidem Pontifici restituit, quod et per donationem firmavit in oratorio sancti Salvatoris intra ecclesiam beati Petri eius nomini aedificato. Sabinense quoque patrimonium, quod per annos prope XXX. fuerat ablatum, Narniense, et Auximanum et Humanate, et vallem magnam in agro Sutrino per donationis titulum ipsi beato Petro apostolorum principi reddidit.

Bibliothecarius in vita Stephani II: Francorum rex Pipinus a Stephano II. papa in ecclesiae romanae auxilium contra Longobardorum regem Aistulfum evocatus, cum exercitu Italiam intravit, et Ticinum obsidione cinxit. Aistulphus ut veniam ille tribueret, et ab obsidione cessaret, quas antea contempserat in pacti foedere reddere civitates, se omnino professus est redditurum. Ita denuo confirmato priore pacto, quod per elapsam VIII. indictionem inter partes provenerat ipsas civitates Aistulphus rex restituit, addens castrum Comiaclum. De quibus omnibus receptis civitatibus a beato Petro atque a sancta romana ecclesia et ab omnibus in perpetuum Pontificibus romanis possidendis, misit in scriptis donationem, quae usque hactenus in archivo sanctae ecclesiae recondita tenetur. Ad recipiendas vero ipsas civitates misit ipse rex consiliarium suum Fulradum abbatem et presbyterum. Et continuo ipse rex cum suis exercitibus Franciam repedavit. Praenominatus autem Fulradus in Ravennatium partes cum missis Aistulfi perveniens, per singulas ingressus civitates tam Pentapoleos quam et Aemiliae, easque recipiens, et obsides de unaquaque tollens, atque primates secum una cum clavibus portarum civitatum ducens,

Romam pervenit. Tum ipse claves tum ravennatis urbis, quam diversarum civitatum ipsius exarchatus Ravennatium, una cum suprascripta donatione de eis a suo rege missa in confessione beati Petri ponens, eidem Dei apostolo et eius vicario omnibusque eius successoribus Pontificibus perenniter possidendas atque disponendas tradidit, idest Ravennam, Ariminum, Pisaurum, ConCam, Fanum, Caesenas, Senogallias, Esim, Forum Pompilii, Forum Livii cum castro Susibio, montem Feretri, Acerragium, montem Lucatum, Soram, castellum sancti Marini, Bobium, Urbinum, Callium, Luceolos, Eugubium et Comlacium, nec non civitatem Narniensem, quae a ducatu Spoletino per evoluta annorum spatia parti Romanorum fuerat ablata.

Praecipua admodum laus est et gloria huius basilicae, quod cum Carolus magnus celebrata solemnitate paschali facturus esset donationem nonnullorum oppidorum et civitatum beato Petro, sanctae romanae ecclesiae, et Hadriano papae eiusque successoribus, ut maior rei auctoritas esset, super altare sancti Petri eam fecit, et instrumentum ipsum donationis sub inferiore confessionis eius loco reposuit; cum ceteris regni francici proceribus beato Petro, et papae Hadriano iurans omnia quaecumque in ea donatione continerentur, se perpetuo observaturum. Exemplum quoque ipsius documenti intus supra corpus beati Petri suppositis evangeliis, quo firmior eorum cautio ac memoria in posterum haberetur, suis ipsemet Carolus manibus posuit. Haec omnia Bibliothecarius in vita Hadriani papae ita exponit: at vero quarta feria egressus praenominatus Pontifex cum suis iudicibus tam cleri, quam militiae, in ecclesiam beati Petri apostoli, pariterque cum eodem rege se ad loquendum coniungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit et paterno affectu exhortari studuit, ut promissionem illam, quam eius sanctae memoriae genitor Pipinus quidem rex, et ipsae praecellentissimus Carolus, cum suo germano Carolomanno, atque omnibus iudicibus Francorum, fecerat beato Petro et eius vicario sanctae memoriae domino Stephano iuniori papae, quando in Franciam perrexit, pro concedendis diversis civitatibus et territoriis istius Italiae

provinciae, et contradendis beato Petro eiusque omnibus vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cumque illam promissionem, quae in Francia in loco, qui vocatur Carisiacus facta est, sibi relegi fecisset, complacuit illi et eius indicibus, ac omnia, quae ibidem erant annexa propria voluntate, bono ac libenti animo. Et aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praecellentissimus et revera christianissimus Carolus Francorum rex ascribi iussit per Etherium religiosum, ac prudentissimum cappellanum et notarium suum: et ibi concessit easdem civitates et territoria beato Petro, easque praefato Pontifici contradi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donatione contineri monstratur; idest a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, inde in Urbeveto, deinde in Parma, deinde in Regio, et exinde in Mantua, atque monte Silicis, simulque et universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istriae, nec non et cunctum ducatum spoletinum, seu beneventanum. Factaque eadem donatione propria sua manu eam ipse christianissimus Francorum rex corroborans, universos episcopos, abbates, duces etiam et grafiones in ea scribi fecit. Quam prius super altare beati Petri, et postmodum intus in sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum rex, quam eius iudices, beato Petro et eius vicario sanctissimo Hadriano papae sub terribili sacramento sese omnia conservaturos, quae in eadem donatione continentur promittentes tradiderunt. Apparem vero ipsius donationis eumdem Etherium scribere faciens, ipse christianissimus rex Francorum intus super corpus beati Petri, subtus evangelia, quae ibidem osculantur, pro firmissima cautela et aeterna nominis sui ac regni Francorum memoria propriis manibus posuit, aliaque eiusdem donationis exempla per scriniarium sanctae romanae ecclesiae adscripta eius excellentia secum deportavit. Haec eadem repetit Petrus Manlius in fine historiae suae, quam narrationem ita concludit: et ideo, ut putamus, in memoriam tam magnificae donationis nomina civitatum, quae praenominatus Romanorum imperator huic sacrosanctae ecclesiae contulit, in

portis aeneis, quae similiter ante gradus beati Petri fuere in introitu ecclesiae sanctae Mariae inter turres, argenteis litteris, sicut nos vidimus et cum fratribus nostris saepissime legimus, adnotata fuere, videlicet Perusium, Fesulae, Clusium, Bulsinium, Assisium etc.

Bibliothecarius in vita Hadriani primi: quibus egredientibus ab hac urbe et Perusiam accedentibus coniunxit mandatum, quod praefatus Desiderius abstulisset civitatem Faventinam, et ducatum Ferrariae, seu Comaclium ab exarchatu ravennate, quem sanctae memoriae Pipinus rex et eius filii Carolus, et Carolomannus reges Francorum, et patricii Romanorum beato Petro concedentes obtulerant. Idem in eadem vita: porro Longobardi reliqui dispersi ad proprias reversi sunt civitates. Nam Spoletini et Reatini aliquot eorum utiles personae, ante quam Desiderius cum Longobardorum exercitu ad Clusas pervenisset, illi ad beatum Petrum confugientes saepe dicto sanctissimo Hadriano papae tradiderunt, et in fide Petri, ac eius successoris Hadriani iurantes more Romanorum tonsurati sunt. Tonsurari etiam et reliqui omnino ex eodem ducatu spoletino inhianter desiderabant, ac se tradere in servitium beati Petri, ac sanctae romanae ecclesiae; sed metuentes suum regem, id agere minime ausi sunt, unde dum ad Clusas fugam arripuissent omnes, qui exinde de diversis partibus ducatus Spoletini reversi sunt, confestim ad praefatum Pontificem advenerunt, eiusque provoluti pedibus, obnixe deprecati eum sunt, ut eos in servitium romanae ecclesiae, et beati Petri susciperet, et more Romanorum tonsurari faceret. Quos suscipiens, profectus est cum eis in ecclesiam beati Petri, et omnes cuiuscumque aetatis sub vinculo iuramenti promiserunt beato Petro, et eius successori Hadriano in fide eiusdem ac omnium eius successorum fideliter permansuros cum filiis et cuncta eorum generatione.

Tunc post praestitum iuramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt, et confestim ipse Pontifex constituit eis ducem, quem sibi propria voluntate elegerunt, scilicet Hildeprandum nobilissimum, qui prius cum reliquis ad apostolicam sedem confugerat, et ita Deo annuente praedictum ducatum

Spoletinum sine certamine Idem Pontifex sub iure et potestate beati Petri subiugavit, sed et omnes habitatores tum ducatus Firmani, Auximani, et Anconitani, simulque et de castello Felicitatis. Et ipsi dum a Clusis Longobardorum fugientes reversi sunt, ad praefatum Pontificem concurrentes, eius se ter beatitudini tradiderunt, praestito sacramento in servitio et fide beati Petri, atque eius vicarii Hadriani successorumque eius fideliter permansuros, more Romanorum tonsurati sunt. His quae supra diximus adiiciendum est, quod infra ex decreto Leonis III. ostendemus, ipsum utique Carolum magnum alio tempore cum Romam ab hostium obsidione liberasset, abiisse postmodum in Apuliam, eamque beato Petro et sanctae romanae ecclesiae subiugasse.

Sequuntur notissimae Ludovici Pii et Othonis I. impp. donationum confirmationes, quas omittimus.

Henricus imperator Benedicto VIII. papae.

Super hoc confirmamus tibi, beate Petre apostole, et per te vicario tuo domino Benedicto summo pontifici et universali papae fuldense monasterium, atque omnia monasteria, curtes et villas, quas in ultramontanis partibus sanctus Petrus habere dinoscitur, absque Banthum, Bamberga, sive Wilmilibach, quae ad sancti Petri ecclesiam per commutationis paginam episcopo Bambergensi collatae sunt, pro quibus iam dictae ecclesiae sancti Petri concedimus et confirmamus omnem illam terram, quam inter Narniam, Interamnam, vel Spoletum habuimus. Propterea sub tuitione eiusdem beati Petri et vestra vestrorumque successorum praetaxatum episcopatum bambergensem offerimus, unde sub pensione equum unum album faleratum ab eiusdem loci episcopo vos annualiter suscepturos sancimus. Et subscripserunt qui supra.

Henricus imperator expugnans regnum Hungariae, rege debellato et victoria parta, coronam et lanceam eius regni insignia misit ad corpus beati Petri, de qua re extat haec epistola lib. III. reg.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Salomoni regi Hungarorum salutem et apostolicam benedictionem.

Litterae tuae ad nos tarde propter moram nuntii tui allatae sunt, quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua incauta conditio, non adeo beatum Petrum offendisset. Nam sicut a maioribus patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae sanctae romanae ecclesiae proprium est a rege Stephano olim beato Petro cum omni iure et potestasua donatum et devote traditum. Praeterea Henricus piae memoriae imperator ad honorem sancti Petri regnum illud expugnans, victo rege et facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque transmisit, et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis eius attinere cognovit. Quae cum ita sint, tu tamen in ceteris quoque a regia virtute et moribus longe discedens, ius et honorem sancti Petri, quantum in te fuit imminuisti et alienasti, dum eius regnum a rege Teutonicorum in beneficium sicut audivimus suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam beati Petri, aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse, si iustitiae vis attendere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni, quod tenes, correcto errore tuo, apostolicae non regiae maiestatis beneficium recognoscas. Neque enim nos timore, vel amore, aut aliqua personali acceptione, quantum Deo adiuvante poterimus, debitum honorem eius, cuius servi sumus, inrequisitum relinquemus. Verum si haec emendare et vitam tuam, ut regem decet, instituere et Deo miserante adornare volueris, procul dubio dilectionem sanctae romanae ecclesiae sicut matris dilectus filius, et nostram in Christo amicitiam plene habere poteris. Datum Romae V. kal. novembris indictione XIII.

Neque omittendum est, quod Adolphus rex Anglorum cum sub Leone IIII. Romam aliquando summa eum ducente devotione venisset, animadvertens quanta esset dignitas, et excellentia basilicae sancti Petri, obtulit ei tributum ex qualibet domo regni sui numisma scilicet unum argenteum, cui ster-

lingo est nomen; cuius offerendi mos diutissime usque ad nostra tempora perseveravit. Anglos secuti Hiberni diu eumdem morem observarunt, quod Dani et aliquot illis vicini alii populi longo item tempore factitarunt. Rex Hispaniae anno MCCXII. devicto Miramolino rege Saracenorum, eius lanceam et vexillum misit Romam ad templum sancti Petri, quae loco eminenti suspensa diu fuere. Est quoque ad hoc argumentum probandum notabilis epistola sequens.

Gregorius episcopus servus servorum Dei
Demetrio regi Russorum etc.

Filius vester limina apostolorum visitans ad nos venit, et quod regnum illud dono sancti Petri per manus vestras vellet obtinere, eidem beato Petro apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si apostolicae auctoritatis gratia ac munimine donaretur: cuius votis et petitionibus, quia iusta videbantur, tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum praebuimus, et regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio charitatis, ut beatus Petrus vos et regnum vestrum, omniaque vestra bona, sua apud Deum intercessione custodiat, et cum omni pace, honore et gloria idem regnum usque in finem vitae vestrae tenere vos faciat, et huius militiae finito cursu impetret vobis apud supernum regem gloriam sempiternam. Cum etiam nos paratissimos esse noverit vestrae nobilitatis sereuitas, ut ad quaecumque iusta negocia huius sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, continuo petitionum suarum consequatur effectum. Praeterea ut haec, et alia multa, quae litteris non continentur, cordibus vestris arctius infigantur, misimus hos nuncios nostros, quorum unus vester notus est et fidus amicus, qui et ea, quae in litteris sunt diligenter vobis exponent, et quae minus sunt, viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cuius legati sunt, mites vos et affabiles praebeatis, et quicquid vobis dixe-

rint ex parte nostra, patienter audiatis, atque indubitanter credatis; et quae ibi ex auctoritatis apostolicae sedis negotia tractare voluerint et statuere, nullorum malo ingenio turbare permittatis, sed potius eos sincera charitate faciendo iuvate. Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam! Datum Romae II. kal. maii indict. XIII.

Marronis donatio castri ad se pertinentis vocati Moricida beato Petro apostolorum principi.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Anno sexto pontificatus domini Gregorii papae VII. mensis novembris die decima septima indict. II. Romae. Ego Marro Gisleri filius, habitator in ducatu spoletano, pro redemptione animae meae, et parentum meorum, dono, trado, atque offero beato Petro apostolorum principi, et super altari eius omnia, quae mihi pertinent de castro, quod vocatur Moricida, posito inter Muricem, et Datignanum, quod inquisitum habeo per concambiationem a Litaldo et Hugone nepotibus Hugonis filii Ascanii in plebe de Luzano; reservato usufructu diebus vitae meae, et Brutuli filii mei, et filiorum Brutuli si masculi fuerint de legitimo coniugio procreati.

Nec praetereundum illud, quod legimus, Metildim comitissam illam sanctitate celebrem tanti basilicam sancti Petri fecisse, ut quo luminaribus adhibitis magis decoraretur, tamquam debitam ei dotem donaverit patrimonium suum, idest Liguriae et Etruriae praecipuas partes, cum omnibus oppidis ac eorumdem iuribus, cuius gratia memorabile etiam nunc eius dictum vulgo celebratur. Nam cum centum milibus passuum territorium ipsum, quod donabat extenderetur, modicum tantum, quid terrae illud appellavit. De ea donatione ita scribit Leo episcopus ostiensis, qui eo tempore vixit lib. III. cap. XLVIII. historiae casinensis: anno dominicae incarnationis MLXXIX. Metilda comitissa, Henrici IIII. imperatoris exercitum timens, Liguriam et Tusciam provincias Gregorio papae et sanctae romanae ecclesiae devotissime obtulit. (1)

(1) Qui multo plures beato Petro et ecclesiae romanae oblatas dona-

Tanta fuit, quae ubique gentium eius basilicae viguit, maximaque semper habita est auctoritas! (1)

C A P. XVIII.

Quod iuramentum ad altare sancti Petri praestabant patrimoniorum sanctae romanae ecclesiae rectores noviter instituti. Item duces exercituum ecclesiae romanae stipendiis militantes.

Non est illud praetereundum, quod ad eiusdem basilicae praestantiam ostendendam pertinet, ad altare scilicet beati apostoli Petri iusiurandum praebere solitos fuisse illos, qui romanae ecclesiae patrimonia gubernanda suscipiebant. Huius rei testis est beatus Gregorius in epistola XXXIX. lib. II. cum haec scribit ad Pantaleonem notarium: experientia tua quod vel quale apud sacratissimum corpus beati Petri apostoli iusiurandum praebuerit memor est. Unde nos quoque securi discussionis tibi causam in patrimonio partis syracusanae commisimus. Oportet ergo te fidem tuam, et eiusdem beati Petri apostoli timorem semper ante oculos habere, atque ita agere, ut neque ab hominibus in praesenti vita, neque ab omnipotente Deo in extremo iudicio valeas reprehendi. - Idem paulo post: volumus, inquit, cum omni fide, omni puritate, considerato timore omnipotentis Dei, reducta ad memoriam districtione beati Petri apostoli, per unamquamque massam colonos pauperes et indigentes experientiam tuam describere etc. Eadem ratione ii summi duces, qui pro sancta romana ecclesia militabant, in vat. templo super corpus sancti Petri fidei sacramentum perhibebant, et sancti Petri milites creabantur. Huius rei exemplum extat in Gregorii VII. registri libro primo epistola XLVI. ad Guilielmum comitem Burgundiae sic.

tiones regnorum, provinciarum, atque oppidorum cognoscere avet, adeat Cincii camerarii opus de censibus rom. eccl. partim editum apud Muratorium antiq. med. aev. dissert. 69. et 72, partim adhuc ineditum in cod. vat.

(1) Omittimus a capp. VIII. usque XVIII, itemque cap. XX, propter ea quae diximus in praevio monito p 192-193.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Guillelmo Burgundionum comiti salutem et apostolicam benedictionem.

Meminisse valet prudentia vestra, quam larga affluentia dilectionis romana ecclesia valentiam vestram iamdudum recepit, et quam speciali charitate vestram familiaritatem dilexit. Neque enim se condecet oblivisci promissionis, qua Deo se ante corpus apostolorum principis Petri, praesente venerabili antecessore nostro Alexandro papa, et episcopis, et abbatibus plurimis, atque diversarum gentium multitudine, quarum non est numerus, obligavit ut quacumque hora necesse fuisset, vestra manus ad dimicandum pro defensione rerum sancti Petri non deesset, siquidem requisita fuisset. Unde memores nobilitatis vestrae fidei, rogamus et admonemus strenuitatis vestrae prudentiam, quatenus praeparetis vestrae militiae fortitudinem ad succurrendum romanae ecclesiae libertati: scilicet si necesse fuerit, veniatis huc cum exercitu vestro in servitio sancti Petri. Et hoc idem rogamus vos monenere comitem sancti Aegidii, et socerum Richardi capuani principis, et Amadeum filium Adelietae, ceterosque quos cognoscitis sancti Petri fideles esse, et qui similiter manibus ad caelum extensis promisere.

C A P. XIX.

Papa census regnorum, provinciarum, et civitatum, ac protestationes sollemnes suscipit in porticu sancti Petri.

Romanus Pontifex census omnes et tributa, quae a regibus, principibus viris, rebuspublicis sanctae romanae ecclesiae beneficiario iure subiectis, in festo apostolorum Petri et Pauli accipit. Non alibi quam in basilica vaticana ea susceepisse constat, in cuius porticu procurator fiscalis etiam protestationes semper facere solet adversus eos, qui census sanctae romanae ecclesiae negligunt; quae res non alibi quam in cathedrali seu principali ecclesia fieri solent.

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

Episcopi et metropolitani iurabant obedientiam S. R. E. super altare sancti Petri.

Pergamus etiam reliqua, quae paene innumera sunt, eiusdem basilicae privilegia aperire. Quorum illud magnum est, quod sollemnia iuramenta super eius altare archiepiscopi Pontifici praestare solebant. Ex multis exemplis, unum aut alterum proferamus. Sanctus Bonifacius moguntinus archiepiscopus, qui praedicatione sua Germanorum gentem ad Christi fidem convertit, quique postremo pro Christi nomine martyrium perpessus est, super id altare, et corpus sancti Petri iuravit; quam rem ipse commemorat in epistola ad Danielem episcopum sic: recolo me ordinationis meae tempore iuxta praeceptum Gregorii papae iurasse in corpore sancti Petri, talium communionem me declinaturum, si eos ad viam canonicam convertere nequiverim. Haec ille. Epistolam invenimus in exemplari vetustissimo Iohannis de Turrecremata cum multis aliis eiusdem martyris Bonifacii, et Zachariae romani Pontificis litteris.

Multa extant in registro Gregorii VII. papae episcoporum ad altare sancti Petri exhibita iuramenta, quorum praecipua quaedam subiiciam.

Iusiurandum Roberti carnotensis episcopi ex libro III.

Ego Robertus promitto omnipotenti Deo, et beato Petro apostolorum principi, cuius corpus hic requiescit, quod in quocumque tempore legatus apostolicae sedis directus a domino nostro Gregorio, qui nunc est romanus Pontifex, vel ab alio successorum suorum item romanorum Pontificum, ad me venerit infra terminum, quem idem legatus mihi constituerit, carnotensem episcopatum omni occasione ablata vel fraude dimittam, et cum bona fide studebo, quatenus ecclesia illa secundum Deum ordinetur; nihil acturus me sciente,

per me, vel per aliqnam a me submissam personam, unde eadem ecclesia vel clerici eius meo studio, vel malitia, laesionem, aut detrimentum accipiant. Hoc sacramentum feci iubente domino nostro Gregorio VII. papa. Ego Bono humilis presbyter tituli Christi martyris virginis sanctae Anastasiae subscripsi, et in ecclesia beati Petri in confessione ad corpus eius ubi factum est interfui. Interfuerunt etiam Iohannes portuensis episcopus, Theodinus archidiaconus, Gregorius et Bernardus diaconi sanctae romanae ecclesiae, et duo alii videlicet Engeiramnus decanus carnotensis ecclesiae, et Scipio tunc magister scholarum in eadem ecclesia. Actum Romae mense aprilis indictione XIIII.

Item epistola XVIII. libri III. registri eiuusdem Pontifici.

Gregorius episcopus servus servorum Dei
Aniciensibus canonicis.

Notum est vobis qualiter Stephanus Aniciensis ecclesiae invasor et simoniacus despecto sacramento, quod nobis super corpus sancti Petri de liberatione eiusdem ecclesiae fecerat, eam occupare ac tyrannica oppressione affligere non cessat. Tum scire vos volumus, quia sicut confrater noster Hugo Diensis episcopus, cui vices nostras in Galliarum partibus agendas commisimus, illum excommunicavit, sic et nos excommunicamus, et a gremio sanctae ecclesiae separavimus.

Item epistola XII. lib. VII. registri eiusdem Pontificis.

Gregorius episcopus S. S. D. Manassi
remensi archiepiscopo.

Miramur fraternitatis tuae prudentiam ad hoc tot occasiones invenire, ut infamia sua et ecclesiae suae longo tempore permaneat, et quod opinioni relinquitur iudicium subterfugere videatur, cum magis ad hoc profecto eam decuerit laborare, ut suspicionem tanti reatus a se et ecclesia sua depelleret. In praeterito siquidem anno ad argumentum excusationis tuae, quandam attulisti nobis auctoritatem, te videlicet non alicuius

sed nostrae tantum praesentiae subdendum fore iudicio. Unde, ut etiam nunc apparet in litterarum nostrarum exemplaribus, dignissime reprehensus es. Nunc vero immemor promissionis tuae, qua Romae te supra corpus beati Petri obligasti, aliam excusationem obtendis, timore videlicet dissidentis regni ad Lugdunense concilium, ad quod vocatus es, venire non posse. In qua re quantum excusatio tua nutet, liquido valet perpendi. Nam neque legatus romanae ecclesiae in negotio tuo contemnendus fuit, qui sicut noscit fraternitas tua, maximis et praecipuis conciliis, videlicet nicaeno et chalcedonense aliisque multis praefuit, et huiusmodi quaestionibus certum definitionis terminum dedit. Et reliqua.

CAP. II.

Pallia de corpore sancti Petri indidem tantum pro archiepiscopis et patriarchis assumuntur.

Illud admodum memoratu dignum videtur, quod palliorum, quibus inest plenitudo pontificalis dignitatis, consecratio non alibi, nisi in altare sancti Petri fit: et quum romani Pontifices archiepiscopis patriarchis eadem pallia per orbem terrarum missuri essent, non alium quam hunc ipsius sacratissimi altaris locum, ubi res tantae dignitatis tantaeque praeeminentiae consecraretur, digniorem praestantioremque reperire potuerunt. Henricus cardinalis ostiensis, pallium sub hac forma concedi solitum esse scribit: ad honorem Dei omnipotentis, et beatae Mariae virginis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et domini papae Innocentii IIII, et ecclesiae romanae, et ecclesiae Ebredunensis tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum in plenitudinem pontificalis dignitatis, ut utaris intra ecclesiam tuam diebus, qui exprimuntur in privilegiis ecclesiae tuae concessis a romana ecclesia.

Petrus Manlius: basilicae sancti Petri specialis praerogativa est, quod in ea tantum vigilantur pallia, quae romanus Pontifex mittit patriarchis et archiepiscopis universi orbis

terrarum. Hinc est quod legatus sanctae romanae ecclesiae dicit: accipe pallium de corpore beati Petri sumptum in plenitudinem officii tui. Itaque cum vigilamus pallia, facimus sollemnes vigilias in confessione beati Petri, cantantes vigilias quas consuevimus cantare in festis eiusdem apostoli; et ex antiquo instituto ex confessione nobis propinatur optimum vinum. ,, Palliorum archiepiscopalium usus vetustissimus est. Siquidem in vita Marci papa de eo Damasus papa scribit: hic constituit, ut episcopus ostiensis, qui consecrat episcopum urbis, pallio uteretur, et ab eodem episcopus urbis romanae consecraretur. Palliorum consecrationem cum locus ipse, quem sub altari positum confessionem beati Petri apostoli appellant, tum processionis devotio, officiique sollemnitas maximam iure et merito sanctissimamque videri facit.

C A P. III.

Sollemnes episcoporum et regum excommunicationes absolutionesque, quae ad Papam spectant, in hac tantum basilica celebrata.

Poenitentiae sacramentum, quod munus episcopi est, in utraque basilica celebratum fuisse supra ostendimus. Sollemnes vero archiepiscoporum, patriarcharum, regum, et imperatorum excommunicationes et absolutiones, quae ad unum Papam spectant, Laterani nunquam, perpetuo in sancto Petro sunt factae. De excommunicatione primo, mox de absolutione, et poenitentiae sacramento dicam. Bibliothecarius ita narrat: Theodorus papa convocans universos sacerdotes et clerum in ecclesia beati Petri apostolorum principis, condemnavit Pyrrum patriarcham constantinopolitanum in haeresim relapsum, sub vinculo anathematis iuxta mercedem ac retributionem propriae transgressionis, canonicam ipsi poenam depositionis decernens. Annalium constantinopolitanorum auctor eandem rem accuratius ita tradit: Pyrrhus patriarcha constantinopolitanus ex Africa Romam venit, qui orthodoxiae libello tradito papae Theodoro, ab eo receptus est. Interea cum Roma discessisset

Ravennamque pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo comperto papa Theodorus, plenitudine ecclesiae convocata, ad sepulcrum verticis apostolorum accessit, et divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, et ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati scripsit.

Damnavit in eadem beati Petri basilica Nicolaus papa Zachariam anagninum, et Radoaldum portuensem episcopos, qui legationis munus non bona fide exercuerant. Testatur hoc sanctus Pontifex in epistola, quam scripsit ad Ignatium patriarcham constantinopolitanum his verbis: convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum coetu, et collecta sancta synodo in ecclesia Dei, in qua beatus Petrus praeiacet, primus quidem decernente nobiscum sancta synodo Zacharias depositionis et excommunicationis sententiam pertulit. Idem summus pontifex Nicolaus in epistola ad Michaëlem imperatorem constantinopolitanum, quae incipit: quanto maiora sunt beneficia Dei etc. haec scripsit: decernentibus nobiscum, et simul considerantibus sanctissimis fratribus et coëpiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite videntibus cunctis suspensam, vasto supposito foco ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quae penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur, extremae perditioni donabimus, quatenus his rite patratis, discat pius quid amet, et crudelis quid timeat. Ex his verbis Nicolai papae manifeste intelligere quisque potest excommunicationes ipsas apud beati Petri basilicam fieri solitas. Non enim diceret Nicolaus se id facturum coram omnibus nationibus, quae penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur, nisi romanum Pontificem eo in loco id facere consuevisse notum esset. Manifestius hoc apparet in epistola quadam Iohannis VIII. pontificis, quae ita habet: si Deodatus et Gregorius statuto iam tempore ad nos venire, et omnia iuste ac canonice emendare contempserint, gravioribus eos perpetui anathematis vinculis innodabimus, eorumque scelera, et excommunicationes et anathemata scribentes ante sanctissimam beati Petri apostoli imaginem suspendemus, ut omnibus de

toto mundo ad liminina apostolica venientibus illorum sit nota iniquitas, et consortio sanctae ecclesiae videantur extranei.

Hunc locum ex epistola Iohannis octavi Ivo episcopus carnotensis inseruit decretorum XIIII parte, capite de excommunicationes. Ex Iohannis igitur octavi epistola licet aperte cognoscere, excommunicationes et anathemata scripta suspendi solita fuisse ante sanctissimam beati Petri apostoli imaginem, ut omnibus, inquit, de toto mundo ad limina apostolica venientibus illorum sit nota iniquitas. Quod nisi esset, beati Petri basilica ecclesia principalis, cur in illa summi pontifices Nicolaus et Iohannes VIII. affirmant, alter se imperatoris constantinopolitani Michaëlis epistolam in stipite suspensam videntibus cunctis vasto igni suppositurum, apud memoriam et limina apostolorum; alter excommunicationes et anathemata scripta se ante sanctissimam beati Petri imaginem suspensurum? Novimus certe ex veteribus monumentis anathemata illorum, qui ab ecclesiae catholicae communione segregantur, in principali uniuscuiusque civitatis templo pronunciari solita esse. Hinc et illud nostro tempore usurpatum est, ut romani Pontifices excommunicationes, et cuncta edicta in foribus basilicae sancti Petri exponi iubeant: quam praecipuam urbis ecclesiam esse ex hoc etiam liquet, quod Pontifex legatis et prolegatis apostolicae sedis iubet bullas suas publicare in ecclesiis cathedralibus civitum, easque ibidem affigere. Illa famigerata in caena Domini antiquissima excommunicatio non alibi quam in maeniano ante gradus basilicae sancti Petri hactenus fieri solet. Gregorius VII. ad idem altare excommunicavit Philippum Francorum regem, ut ex epistola XIX. eius registri libro secundo apparet ita. Illud quoque animadversione dignum videtur, quod quando magni hi ecclesiae proceres a romano Pontifice excommunicati, absolvendi essent, id nonnisi in basilica sancti Petri factum fuisse constat. Bibliothecarius, ut infra dicam, de Pyrrho constantinopolitano patriarcha id refert. Ei exemplo adde Lotharium regem petentem reconciliari, quippe qui a Nicolao papa fuerat a communione segregatus, quem non in alia quapiam Urbis basilica Hadrianus II. romanus pontifex admisit, et communioni restituit, nisi in beati Petri templo.

CAP. IV.

Limina apostolorum ab episcopis visitata.

Extat in decretis distinct. XCIII, et primo tomo conciliorum, vetustissima Anacleti papae constitutio, a Zacharia papa confirmata, et usui restituta, quae ita se habet: Iuxta sanctorum patrum et canonum instituta omnes episcopi, qui huius apostolicae sedis ordinationi subiacent, et qui propinqui sunt, annue circa idus maii sanctorum principum Petri et Pauli liminibus praesententur, omni occasione seposita. Qui vero de longinquo sunt, iuxta chirographum suum impleant. Qui autem huiusmodi constitutionis contemptor extiterit, praeter quam si aegritudine fuerit detentus, sciat se canonicis subiacere sententiis. Hinc factum ut in sollemni episcoporum novorum iuramento illud adiunctum sit, ut episcopi spondeant unoquoque triennio, nisi legitime impediti fuerint, se limina apostolorum visitaturos. Episcoporum limina apostolica visitantium exempla multa passim apud rerum sacrarum scriptores extant, et praesertim apud divi Gregorii registrum. De qua re cum supra libro secundo abunde disseruerim, hoc loco nihil praeterea dicam. Hoc tantum monebo, episcopos non lateranensem basilicam, sed apostoli Petri visitare iussos esse. Illud etiam non est omittendum, ex tribus votis in quibus Pontifex dispensare non solet, unum esse votum ad limina apostolorum.

CAP. V.

Episcopi haeretici suos errores in hac basilica abiurabant.

Sollemnes episcoporum, et haereticorum ad viam veritatis redeuntium abiurationes et poenitentiae non alibi, quam in basilica sancti Petri fiebant. Exemplum eius rei memoratu dignum ex Bibliothecario adiiciam. Sub Theodoro papa Pyrrhus, qui fuerat patriarcha constantinopolitanus venit, ex Africa

Romam ad limina apostolorum; qui ingressus, libellum obtulit cum sua subscriptione apostolicae sedi in praesentia totius cleri et populi condemnans quae ab se vel antecessoribus suis scripta vel acta fuerant adversus immaculatam nostram fidem. Quibus ab eo peractis, fecit Pontifex ab eo munera erogari in populo, et cathedram ei poni iuxta altare, honorans eum ut sacerdotem regiae civitatis.

CAP. VI.

Reges sollemnia iuramenta faciebant ad altare sancti Petri.

Praeter metropolitanos episcopos, reges etiam, si eis contigisset, sollemne iusiurandum ad altare sancti Petri praestare solebant. Exemplum ex Reginonis chronico repetamus. Quum Hadrianus II. papa ad altare sancti Petri missarum sollemnia celebrasset, Lotharium regem cum obtestatione ad communionem admisit. Sed quia res ipsa notatu digna est visum fuit hoc loco scribere, quae apud eundem Reginonem monachum prumiensem legimus. Est in eius annalibus his verbis scriptum: anno dominicae incarnationis ·DCCC·LXIX· Lotharius Romam profectus. *etc ut in editione Reginonis.* Nobiles item proceresque romani obedientiam Leoni VIII. papae et Othoni Imp. per sacramentum supra corpus beati Petri apostoli spoponderunt. Pontifex vero mala, quae ab eis passus fuerat, illis dimisit. Ita Luitprandus.

CAP. VII.

Omnes reges in basilica vaticana coronati.

Non solum imperatores sed etiam reges, si quando casus tulit ut Romae coronarentur, in basilica sunt vaticana a romanis Pontificibus diademate redimiti. Eius rei exempla aliquot adscribamus. Illud ante omnia scitu dignum est, quod reges coronandi consueverunt in basilica sancti Petri canoni-

calibus vestimentis induti, in numerum canonicorum recipi, et sic demum a romano Pontifice inungi et coronari. Cuiusmodi traditur Caroli magni filius Pipinus, qui ab Hadriano papa etiam in eadem basilica baptizatus est. Is et eius frater Ludovicus ab eodem pontifice reges inuncti sunt, Pipinus videlicet Italiae, Ludovicus Aquitaniae anno DCCLXXXI. Ita Regino prumiensis in chronico. Leo III. papa Ludovicum Pium Caroli magni filium Italiae regem in basilica sancti Petri inunxit eodem die, quo Carolum magnum imperatorem consecravit. Bibliothecarius. ait: Ludovicum regem Lotharii imperatoris filium Sergius II. papa cum clero in gradibus basilicae sancti Petri die dominico pentecostes suscepit. Tunc mutuo se amplectentes tenuit rex dexteram Pontificis, et interius ingressi atrium, ad portas pervenerunt argenteas. In venerandam vero beati Petri aulam ingressi laudes Deo, et imperatori acclamarunt universus clerus, et cuncti religiosi dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini. Pontifex igitur, episcopi, et abbates, et universi iudices franci, qui cum rege advenerant, ad confessionem beati Petri appropinquantes, et sese proni ibi prosternentes, Deo omnipotenti et apostolorum principi gratias exhibuerunt; et data a Pontifice super populum oratione, ab ecclesia omnes sunt egressi. Dominico vero die sequente ad eandem basilicam Pontifex, Rex, archiepiscopi, episcopi, abbates, et omnes Francorum Romanorumque nobiles convenerunt. Tunc Sergius papa II, manibus suis Ludovicum II. regem Lotharii imperatoris filium oleo sancto perungens regali coronavit corona, regemque Longobardis praefecit, cui regalem tribuens gladium, illum succingere iussit. Missarum celebratione finita, omnes cum rege laetantes egressi sunt.

Innocentius III. papa Romae in basilica sancti Petri coronavit Petrum regem Aragonum, IIII. idus novembris MCCIIII, pontificatus VII, regni VIII. Qui rex regnum suum feudatarium beato Petro fecit cum annuo censu CCL. massenutinarum. Registrum Innocentii III. in bibliotheca vaticana sic: Petrus Aragonum rex, ut militare cingulum et regium acciperet diadema, cum quinque triremibus, archiepiscopo arelatensi, praeposito maga-

lonensi, electo Montis maioris, et aliis clericis et laicis ex Hispania applicuit apud insulam inter Portum et Ostiam cum ducentis somariis, et equitaturis: cui Papa obviam misit senatorem et aliquot Cardinales, nobiles, et magnates Urbis, et eum suscepit in palatio sancti Petri. Hospitatus est in domo canonicorum. Anno VII. pontificatus mense novembri, die sancti Martini, Papa cum clero et nobilibus romanis, episcopis, presbyteris et diaconis Cardinalibus, primicerio, et cantoribus, senatore, iustitiariis, iudicibus, advocatis, et scrinariis, ad monasterium sancti Pancratii per Transtiberim est profectus, cuius iussu ibidem idem rex a Petro portuensi episcopo inunctus fuit, et apud sanctum Petrum a Papa coronatus, qui tradidit ei universa insignia regalia, et corporale ab eo recepit iuramentum de fidelitate, et obedientia romanae ecclesiae, defensione fidei catholicae, persecutione haereticorum, libertate immunitate et iure ecclesiasticis defendendis, iustitia et pace servanda. Sic coronatus, praesente Papa, super altare sancti Petri sceptrum et diadema apposuit, regnum suum sancto Petro obtulit, illudque sibi constituit censualem, et ab eodem Papa militarem ensem accepit.

Carolus primus rex Neapolis, cui id regnum beneficio ecclesiae romanae datum est, Romam veniens, in basilica vaticana a quatuor legatis Clementis IIII. papae Cardinalibus coronatus est, ut ipse hoc privilegio eidem basilicae concesso indicat. In nomine Domini amen. Nos Carolus Dei gratia rex Siciliae et principatus Capuae etc. Considerantes quod dextera Domini nobiscum faciente virtutem, nosque clementer ad regni Siciliae fastigia sublimante, in sacratissima principis apostolorum de urbe basilica per regni ipsius investituram sollemnem nobis ab apostolica sede concessam primum divulgata nostri honoris insignia claruerunt, et deinde sacro in ipsa unctionis liquore peruncti, regni praedicti suscepimus diadema, dignum fore providimus, ut eidem basilicae more divorum regum Francorum progenitorum nostrorum, quibus nos tam originis, quam dignitatis compago consolidat, pronis et promptis semper famulemur obsequiis, et illi velut matri strictius obligemur ex debito, a cuius utero per caelestis adoptionis gratiam, quasi no-

va progenies dinoscimur prodiisse. Hinc est quod nos capitulo et canonicis eiusdem sacrosanctae basilicae etc. Actum Romae in praedicta basilica anno Domini ·M·CCLX· in pascha epiphaniae Domini, sexto iannarii, nonae indictionis.

Carolus II, Caroli Andegavensis primi ex Galiis Neapolis regis filius, ex Galiia in regnum rediens, Romae a Nicolao IIII. papa honorificentissime suscipitur. A quo regni confirmatione obtenta, die pentecostes III. kal. iulii utriusque regni diadema apud sanctum Petrum suscepit, utriusque Siciliae rex appellatus anno MCCLXXXIX. Qui cum multa huic basilicae donavisset munera, illud in donationum privilegiis gloriatur, quod canonicam in basilica sancti Petri haberet; quod etiam pater eius Carolus alio quodam privilegio factitaverat. Caroli II. coronationem Ptolemaeus lucensis, liber regni Siciliae, et alii auctores profitentur, cuius eiusmodi extat privilegium. Carolus II. Dei gratia rex Hierusalem, Siciliae, ducatus Apuliae etc. universis praesens privilegium inspecturis, tam praesentibus, quam futuris. Etsi regalis excellentiae dignitas per munificae gratiam liberalitatis ad homines grandi credatur augmento provehi, et firmitate fulciri, consequens est et certum, quod dum grate cor referens recognitionem ad Deum et eius obsequium, a quo cuncta suscepit, saltem in multis aliqua reverenter exponit, incomparabiliter grandiori incremento provehitur, et fortitudine roboratur. Sane constitit nuper nobis, quod clarae memoriae pater noster Hierusalem et Siciliae rex, tempore quo in sacratissima principis apostolorum de Urbe basilica regni Siciliae investituram, unctionem sacram, et diadema suscepit, capitulo et canonicis eiusdem sanctae basilicae donavit etc. Et deinde paulo infra. Nunc autem devotius attendentes, quod dictae basilicae velut matri strictius obligamur, ac volentes in ea relinquere specialia nostrae devotionis insignia, capitulo praedicto in perpetuum modo, qui sequitur, providemus etc. Datum per manus magistrorum rationalium magnae curiae nostrae anno Domini MCCXCV. die V. iulii octavae indictione, regnorum nostrorum anno decimo.

Iacobus Aragonum rex a Bonifacio VIII. regni Sardiniae et Corsicae insignia in eadem basilica suscepit, ut ipse hoc diplo-

mate indicat. In nomine Domini amen. Noverint universi, quod nos Iacobus Dei gratia rex Aragonum, Maioricarum, Valentiae, Murtiae, Sardiniae, et Corsicae, comesque Barchinonensis, ac sanctae romanae ecclesiae vexillarius, ammiratus, et capitaneus generalis, considerantes, quod dextera Domini nobiscum faciente virtutem, nosque clementer ad regnorum Sardiniae et Corsicae fastigia sublimante, apud principis apostolorum et caelestis regni clavigeri sacratissimam de Urbe basilicam per regnorum ipsorum investituram sollemnem nobis a sanctissimo patre et domino papa Bonifacio VIII. sacrosanctae romanae et universalis ecclesiae summo pontifice generose concessam, primum divulgata nostri honoris insignia claruerunt, ac deinde praedictorum regnorum suscepimus diadema; nec non etiam in dicta basilica idem sanctissimus pater praefatae sanctae romanae ecclesiae in multitudine copiosa nos magnifice honorare fecit vexillarium, ammiratum, et capitaneum generalem, dignum fore providimus, ut eidem basilicae pronis et promptis semper famulemur obsequiis, ut illi velut matri strictius obligemur ex debito, ex cuius utero per caelestis adoptionis gratiam quasi nova progenies dinoscimur prodiisse. Hinc est quod nos archipresbytero, et capitulo eiusdem sacrosanctae basilicae et canonicis etc. Actum Romae apud praefatam basilicam VIII. idus aprilis anno domini MCCXCVII. decimae indictionis.

C A P. VIII.

In basilica sancti Petri imperatores tantum coronantur.

Quid vero insignius imperatoribus? Quibus nec alio in loco romani Pontifices diademata imperii imponunt, ac tanta quidem cum basilicae ipsius veneratione, summae quoque eius ante ceteras, quibus nihil tale contigit praeeminentiae significatione, ut necesse sit prius imperatorem ab omni canonicorum coetu tamquam fratrem suscipi, canonicalibusque omnibus indumentis ornari, ac canonicum simul fieri. Et cum aliquando Fridericum Aenorbabum imperatorem propter di-

scordiam, quae illi cum populo romano erat, alibi licet Romae coronari forte contigisset, inita demum inter eos pace, voluit denuo in basilica sancti Petri ab Hadriano IIII. coronari, et canonicali habitu indui, canonicumque pariter cum ceteris haberi, adscribens id maiori auctoritati coronationis et imperii sui. Ceterum quum eiusmodi imperatoris consecratio ex Caroli magni ad imperium electione, et coronatione Leonis III. papae manarit, operę pretium me facturum existimo, si hic eos omnes auctores enumerabo, qui eam professi sunt, quae res ad basilicae vaticanae praestantiam explicandam maxime facit. Fuit enim Carolus magnus rebus bello paceque praeclare gestis clarissimus princeps, Pipini Francorum regis filius, et Caroli Martelli nepos, de universo latino nomine, Italia ipsa, urbe et romana ecclesia supra omnes optime meritus, de cuius imperii origine, et causis, quid veteres auctores scripserint in medium afferamus. Quorum vetustissimus Anastasius bibliothecarius hanc rem ita tradit in vita Leonis III. papae. « Adveniente die natalis Domini, in basilica beati Petri omnes congregati sunt. Tunc Leo III. pontifex manibus suis propriis Carolum corona pretiosissima coronavit. Tunc omnes Romani videntes tantam regis in romanam ecclesiam et eius episcopum dilectionem et defensionem, unanimiter altissima voce exclamaverunt: Carolo piissimo augusto a Deo coronato magno et piissimo imperatori vita et victoria. Idque ante confessionem beati Petri ter dictum est, et ab omnibus constitutum est ei Romanorum imperium, et illico Pontifex Carolum oleo sancto in imperatorem unxit, filium vero eius in regem. Missa finita obtulit imperator mensam argenteam cum pedibus suis, et multa aurea et argentea vasa. »

Eadem referunt Aimoinus libro IIII. de rebus gestis Francorum, quem ex Ademaro monacho sancti Germani horum temporum scriptore concinnavit, Chunradus de Lichtenau abbas uspergensis in chronico, Regino abbas prumiensis item in chronico, Otho frisingensis episcopus historiarum libro V, Eginhardus in vita Caroli magni, Anastasius bibliothecarius in annalibus constantinopolitanis, Ado viennensis, Sigebertus, gemblacensis, Hermannus Contractus, Lambertus schafnabur-

gensis, et alii veteres chronicorm scriptores. Igitur tot scriptorum, quos citavimus, testimonio constat Carolum illum magnum fuisse a romano pontifice Leone in gradibus basilicae sancti Petri susceptum, et ante ipsius confessionem coronatum. Velim dicant, qui hanc basilicam aliis praestantiorem esse negant, cur in eius gradibus romanus Pontifex cum clero et episcopis Carolum regem suscepit? Cur data ibi benedictione cunctis psallentibus in apostoli Petri basilicam introduxit? Cur ante confessionem ipsius surgentem ab oratione coronavit? Si qua alia Urbis basilica huic esset praeferenda, cur non potius in illam romanus Pontifex Carolum regem excepit, introduxit, coronavit? Si habitabat tunc in Laterano, cur ad Vaticanum se contulit, ut in gradibus sancti Petri cum universo clero et episcopis venientem regem acciperet? An non commodius erat, id facere in lateranensi basilica, cuius propinquum palatium Pontifex ipse incolebat? Equidem existimo non aliam huius rei fuisse causam, nisi quod beati Petri templum omnibus aliis praestantius noverat.

Multos alios imperatores tradunt historici ibidem fuisse a romanis Pontificibus coronatos, sed regem illum, quem unum ex omnibus apostolica sedes dignum iudicavit in cuius persona imperium, quod CCC. annis in occidente cessaverat, renovaret, fuisse in illa ipsa basilica beati Petri apostoli coronatum, ea res aperte demonstrat sanctum illum Pontificem curasse, ut primus imperator Romanorum a summo Pontifice creatus in basilica primaria coronaretur, quem alii vetus exemplum atque institutum sequerentur. Qui vero ritus servari solitus sit in coronando imperatore, cognosci potest ex antiquis libris ritualibus, et epistolis Clementis V, et Innocentii VI. copiosissime Avenione ad legatos eorumdem pontificum scriptis, quibus ita notatum: nequis in huiusmodi peragendis sollemniis, error possit intervenire, quod absit, modum et formam agendorum, et ubi et per quas personas agenda fuerint, distincte duximus praesentibus inserenda, prout in archivio ipsius ecclesiae, ac pontificali ordinario continetur, quorum forma talis est. (1)

(1) Omittimus prolixos heic a Panvinio adscriptos coronandi impera-

Ex his vero, quos supra citavimus libris ritualibus parvula quaedam, quae vel addita, vel immutata sunt annotare placuit, illudque primis animadversione dignum est, quod imperator postquam in ecclesia beati Petri primum canonicus factus superpelliciо ac almutia est indutus, deinde coronatus, iis sollemniis expletis, incipit sedere post Papam supra primum episcopum Cardinalem, quum ante coronationem sederet post primum ipsum episcopum. Antiquitus mos erat coronationis caerimoniis, in sancto Petro expeditis, romanum Pontificem et imperatorem simul procedere usque ad sanctam Mariam transpadanam; deinde Pontificem ad sanctum Petrum, imperatorem in castra sua reverti, quae in campis neronianis, sub ipso Hadriani mausoleo erant. Nostris temporibus imperatorem coronatum comitari solet Papa usque ad sanctum Marcum in Cosmedin; indeque imperator cum suis ad ecclesiam lateranensem proficiscitur, Papa vero per Transtiberim ad sanctum Petrum redit.

Fuerunt imperatores aliqui, qui exercendo actus per canonicos sancti Petri exerceri solitos, post eorum coronationem et in canonicos assumptionem, eosdem se esse re vera comprobaverunt. Exemplum in promptu est de Friderico III. imperatore, quando suggestum sudarii ascendit, quo nonnisi canonicis sancti Petri ascendere fas est. Carolus V. quando Bononiae anno MDXXX. coronatus fuit, ante in canonicum sancti Petri receptus est, indutus per canonicum ad id a collegio deputatum superpellicio et almutia. Qui quum postea Romam, Tunete capto, anno MDXXXVI. venit, a clero urbis ad portam Capenam est exceptus, ac processione sollemni ad ecclesiam sancti Petri est perductus, ubi in eiusdem basilicae gradibus a Paulo III. cum canonicis sancti Petri expectatus, ad osculum pedis et oris susceptus est. Quod vero imperatores coronandi, canonici sancti Petri fiant, intelligimus ex actionibus Friderici III. imperatoris, qui cum post susceptam a Nicolao V. augustalem coronam, animum adhibuisset ascendere, in eum locum ubi sanctum Salvatoris no-

torem ritus. Nos ipsi tomo VI. huius spicilegii p. 228-239. genuinum et longum eius rei formularium ex Cincio camerario edidimus.

stri sudarium decentissime ac devotissime conservatur, magno eius visendi contingendique desiderio accensus; quod solis tantum canonicis concessum est, non alia id ratione obtinuit, quam quod canonicus basilicae sancti Petri esset, cui neque aliter illuc ascensus concessus fuit, quam cum pari habitu ornamentoque aliorum canonicorum. Ceterum omnes quotquot Romae consecrati sunt imperatores, in basilica vaticana sunt coronati, praeter Lotharium et Henricum VII. qui Laterani inaugurati sunt, ille quidem ab Innocentio II. an. MCXX. XIII, hic vero a legatis Clementis V. Avenione commorans, anno MCCCXII, cum ecclesia sancti Petri, in qua eas coronationes facere instituerant, a schismaticis vel imperatoris hostibus occupata fuisset. Atque in Henrici VII. coronatione nova Clementis V. bulla opus fuit, quae id legatis suis indulgeret, et facere praeter maiorum morem permitteret. In basilica autem vaticana coronati sunt.

Carolus magnus augustus a Leone III. anno CCM.
Hlotharius augustus a Paschali papa anno CCMXXIII.
Hludovicus II. augustus ab Hadriano II. papa anno CCML. (1)
Carolus II. Calvus augustus a Iohanne VIII. papa anno DCCCLXXVI.
Carolus III. Crassus augustus ab eodem Iohanne VIII. papa anno DCCCLXXXI.
Guido imperator a Stephano V. papa anno DCCCXCI.
Lambertus augustus a Formoso papa anno DCCCXCIIII.
Arnulphus imperator ab eodem Formoso anno DCCCXCVI.
Hludovicus III. augustus a Benedicto IIII. papa anno CMI.
Berengarius augustus ab Anastasio III. anno CMXIII.
Otho magnus imperator a Iohanne XII. anno CMLXII.
Otho II. imperator a Iohanne XIII. papa anno CMLXVIII.
Otho III. imperator a Gregorio V. anno CMXCVI.
Henricus II. imperator a Benedicto VIII. papa anno MXIII.
Chonradus imperator a Iohanne XIX. anno MXXVII.
Henricus III. imperator a Clemente II. papa anno MXLVI.
Henricus IV. imperator a Clemente III. antipapa an. MXXCIIII.
Henricus V. imperator a Paschale II. papa anno MCXI.

(1) Hadriani II. pontificatus non congruit huic anno. E.

Fridericus Aenobarbus imperator ab Hadriano IIII. papa anno MCLV.
Henricus VI. imperator a Caelestino III. papa anno MCCXCI.
Fridericus II. imperator ab Hugolino episcopo ostiensi legato Honorii papae III. anno MCCXX.
Hludovicus bavarus imperator a Nicolao V. antipapa anno MCCCXXVIII.
Carolus IIII. Imperator a Petro ostiensi episcopo, et Aegidio presbytero titulo sancti Clementis Cardinalibus legatis Innocentii VI. papae anno MCCCLV.
Sigismundus imp. ab Eugenio IIII. anno MCCCCXXXIII.
Fridericus III. imperator a Nicolao V. papa anno MCCCCLII.

Hactenus deinceps nemo in basilica vaticana coronatus est. Nam Carolus V. Bononiae, ut diximus, a Clemente VII. diadema imperii suscepit.

C A P. IX.

Imperatores et viri clarissimi Romae mortui ibidem tantum sepulti sunt.

Idem qui Pontificibus romanis, imperatoribus quoque et regibus Romae mortuis, supremus sepulcri honos fuit. Omnes enim in hac basilica tumulati sunt, quos brevissime recensebo.

Primus omnium imperatorum Honorius augustus, magni Theodosii imperatoris filius, apud urbem Romam vita exemptus XVIII. kal. septembris anno Christi CCCCXXIIII, iuxta beati Petri apostoli atrium in mausoleo sepultus est. Ita Paulus diaconus in appendice Eutropii lib. XIIII. Eiusdem Honorii uxorem Mariam, Stiliconis filiam, in eadem basilica sepultam fuisse, ex eo liquet, quod eius sepulcrum nostro tempore ibidem inventum est. Otho II, magni Othonis imperatoris filius, augustus moriens Romae VII. idus decembris anno CMLXXXIII. ibidem in paradiso ante basilicam sancti Petri introëuntibus ad partem laevam marmoreo sepulcro conditus est, quod adhuc extat, cuius operculum porphyreticum impositum fuerat

sepulcro Hadriani imperatoris intra eius mausoleum, quod postea crutum, Innocentio II. loco tumuli Laterani fuit, nunc dirutum ad portam lateris septemtrionalis iacet. Hagnes augusta, Henrici III. imperatoris uxor, Henrici IIII. augusti mater, sub Gregorio VII. Romae moriens in eadem basilica sepulta est, ut ex hoc eius epitaphio liquet, quod diu muro affixum fuit iuxta altare sanctae Petronillae.

Anno MLXXVII. ab incarnatione domini nostri Iesu Christi, indictione prima, anno qninto pontificatus divi Gregorii papae VII, Hagnes imperatrix augusta, post mortem viri sui Henrici III. imperatoris anno XXII, tertiadecima die mensis decembris, animam bonis operibus foecundam Laterani Salvatori suo atque omnium bonorum Deo reddidit, et hic ubi antea imperaverat, clavigero caeli pro cuius amore ibidem peregrinata fuerat, V. die mensis ianuarii expectans spem beatae resurrectionis, et adventum gloriae magni Dei, membra carnis commendavit in pace. Amen.

Eximia certe fuit huius imperatricis in Deum pietas. Eius vero et viventis et morientis erga basilicam sancti Petri veneratio, eximiumque de magnitudine excellentiaque eius fuisse videtur iudicium. Thermantiam augustam, aliam Honorii uxorem, Mariae sororem, et Placidium Valentinianum III. imperatorem Romae per insidias occisum, in eadem basilica sepultos fuisse ferunt. Sub Sergio papa Ceduallа rex Anglo-Saxonum, vir fortissimus, qui cum gentilis adhuc multa bella strenue gessisset, ad Christum conversus Romam venit, ubi a Sergio papa in basilica sancti Petri baptizatus, Petrusque eiusdem nomine appellatus, et adhuc in albis constitutus, ad caelestia regna migravit. Cuius in ecclesia beati Petri apostoli sepulcrum est cum hoc epitaphio:

Hic depositus est Ceduallа, qui et Petrus, rex Saxonum,
sub die XII. kal. maiarum, indictione secunda,
qui vixit annos plus minus XXX, imperante domino Iustiniano
piissimo augusto an. eius consulatus IIII, pontificante apostolico
viro domno Sergio papa anno secundo.

Sequitur in codice Ceduallae poeticum illud epitaphium, quod nos ipsi multo emendatius edidimus tomo V. class. AA. p. 403.

Duo reges Anglorum Romae mortui ibidem sunt sepulti: horum unus Offas vocabatur, alterius nomen silentio pressum fuit. De Probi praefecti praetorio sepulcro supra diximus. (1)

CAP. XI.

In basilica vaticana tantum romanus Pontifex consecratur et coronatur.

Magna sunt quae diximus, sed longe maius illud est, quod Petri successor, Christi vicarius, universalis ecclesiae pastor, in illo ipso altari consecratur, ut testis est liber caerimoniarum, qui ita se habet: ad altare beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, nisi romanus Pontifex solus. In historia sacra, quam a Petro Manlio scriptam aliis locis citavimus, haec invenimus: praecepit sanctus papa Gregorius, ut ad altare maius beati Petri, nulla neque archiepiscopi, neque patriarchae consecratio fieret, nisi solius romani Pontificis; et quando dominus Pontifex facit consecrationem, descendat ad sanctum Andream, et faciat ibi consecrationem, qua expleta, revertatur ad altare maius et expleat missam. Quod dicit Petrus Manlius praecipisse beatum Gregorium, ut ad altare maius etc. non ita intelligendum est, quasi non antea, sed tunc id fieri coeptum fuerit; nam et de Gregorio ipso scripsit Iohannes diaconus ecclesiae romanae in primo libro de vita beati Gregorii: dum inquit ab omnibus summa sollicitudine quaereretur, indicio columnae fulgidae super se iugiter e caelo dependentis agnoscitur, capitur, trahitur, et apud beati Petri apostolorum principis templum summus Pontifex coronatur. Cum igitur scriptores dicunt Gregorium praecepisse, ut ad altare maius beati Petri nulla consecratio fieret, nisi romani Pon-

(1) Omittimus capitulum X, quo nihil aliud continetur, nisi satis nota Pontificis electi formula iurandi.

tificis, perinde valet, ac si diceremus rem consuetam constitutione aliqua fuisse ab eo confirmatam; quemadmodum a multis aliis Pontificibus factum legimus, cum veteres traditiones, et patria instituta, ne abusu aliquo exolescerent, decretis confirmarunt. Porro non video, quae caussa fuerit, ut beatus Gregorius ad templum sancti Petri traheretur potius quam ad aliam Urbis basilicam, nisi mos fuisset romanum Pontificem in beati apostoli basilica consecrari.

Ceterum longe ante sanctum Gregorium romanos Pontifices apud sanctum Petrum consecrari solitos, in antiquis ecclesiae monumentis invenimus, et praesertim in antiquissimo sanctae romanae ecclesiae registro. Ex relatione Symmachi praefecti Urbis ad Honorium imperatorem anno CDXXI: aliquanti presbyteri cum Bonifacio eiusdem ordinis viro, ad Theodorae ecclesiam collecto populo properarunt, ibique habito tractatu, ipsum ordinare episcopum velle coeperunt, et id quod minuti sunt, me reclamante, facere minime dubitarunt. Nam et presbyterum Bonifacium in ecclesia Marcelli ordinandum esse duxerunt, atque eum eo ad sancti Petri apostoli basilicam processerunt. idem in alia relatione ad principem: circa partem venerabilis viri Eulalii episcopi, qui eo die paene cum omni multitudine ad sancti Petri apostoli basilicam sollemnia celebravit, ubi primum pietatis vestrae praecepta sunt publicata etc. Anastasius bibliothecarius in vita Stephani III: Constantinus laicus, vi et armis papa a laicis Laterani contra sanctorum canonum instituta renunciatus, universo populo sibi sacramentum praebente, et adveniente die dominico, cum multitudine armatorum in basilicam beati Petri properans, pontifex a Gregorio praenestino, Eustratio albanensi, et Citonato portuensi consecratus, vi sedem apostolicam invasam annum unum obtinuit. Mortuo Leone III. ilico cum ferventissimo affectu a populo romano deligitur Stephanus IIII, et ad sacrum pontificatus culmen evehitur. Quibus omnibus uno affectu, parique amore, eum ad ecclesiam beati Petri perducentibus, Dei ordinante providentia, in Papam consecratus est.

Mortuo Leone IIII, clerus omnis sanctae romanae ecclesiae, proceres, senatus, et populus, Benedictum presbyterum

ex titulo sancti Callisti trans Tiberim eductum in patriarchium lateranense perduxerunt, et in pontificatus solio collocarunt. Qui cum ipsis in basilicam constantinianam descendit; de qua omnes exeuntes equo impositum ad basilicam sanctae Mariae ad praesepe deduxerunt. Ibi triduo commorantes, eum iam electum ad patriarchium lateranense transtulerunt, et in pontificali solio reposuerunt. Dominico vero die diluculo in basilica beati Petri ab episcopis, clero, proceribus, et optimatibus deductus est, et in conspectu omnium, imperialibus legatis cernentibus, in apostolica sede, ut mos est et antiqua traditio dictat, consecratus et ordinatus est pontifex; missaque celebrata, ad patriarchium lateranense rediit. Mortuo Benedicto III, in basilica sancti Dionysii ab universo clero et populo electus est pontifex Nicolaus diaconus, et ceteri gressu continuo ad aulam sancti Petri apostoli properarunt, in qua confugiens latitabat, et impetum in eum facientes, illum ex eadem basilica abstractum, in patriarchium lateranense introduxerunt, et in apostolico solio posuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum coetibus, cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri apostoli deductus, praesente Caesare Ludovico II, consecratus est, et apostolica sublimatus in sede factus est Pontifex, et missarum solemnia supra corpus sancti Petri apostoli celebravit; inde iterum in patriarchium lateranense deductus est etc. Ceterum antiquiorum librorum ritualium partes, quae ad romani Pontificis consecrationem pertinent, hoc loco adiiciamus (1).

C A P. XIIII.

In basilica vaticana iuramenta praestabant accusati romani Pontifices de sua innocentia.

Quum romani Pontifices falsis criminibus ab eorum hostibus appetiti innocentiam suam populo ostendere vellent, non alium locum ad ea iudicia transigenda, quam basilicam sancti Petri delegere, de qua re aliquot quae extant memora-

(1) Has ritualium partes, utpote satis cognitas, nos supprimimus. Item capp. XII. et XIII.

tu digna exempla scribemus. Ex actis Xysti III. papae, primo conciliorum tomo cap. IIII, collectis a presbytero sanctae romanae ecclesiae Archidamo, concilio inito, coeperunt Bassus: et Marinianus patricii accusare Xystum episcopum urbis Romae apud Valentinianum augustum, ita ut accenderetur augustus et mater eius furore, et suspenderunt se invicem a communione. Xystus autem episcopus sciens omnia, quae de eo apud Augustum delata fuerant, et quod ab eius communione multus populus se segregaret, venit in basilicam beati Petri apostoli, et per Leonem diaconum populo enarravit dicens: si delicta mea contra me sunt, probatio quare non fit? Et coepit omnis urbana plebs clamare, ut dicta eius Augustus, et clerus urbis Romae probarent examine. Hoc audito, Valentinianus augustus dixit: pia petitio; iussitque fieri secundum dicta. Et congregavit universum senatum urbis Romae Xystus episcopus, presbyteros urbis, diaconos, clerum, nec non et monasteria servorum Dei in uno consessu in basilica heleniana, quae dicitur Sessorianum etc.

Pelagius papa tenens evangelia et crucem Domini super caput suum, in basilica sancti Petri, ambonem ascendit, et sic satisfecit cuncto populo et plebi, quod nullum malum peregisset contra Vigilium papam. Quia monasteria, et multitudo religiosorum, sapientium, et nobilium subduxerant se a communione eius, dicentes: quia in morte Vigilii papae se immiscuisset, ut tantis poenis affligeretur. Quibus cum satisfecisset, adiecit Pelagius papa, et dixit: rogo ut petitionem meam confirmetis, ut quisquis ille sit, qui promovendus est in sancta ecclesia ab ostiario usque ad gradum episcopi, neque per aurum neque per alias promissiones proficiat. Vos enim scitis omnes, quia simoniacum est: sed qui electus in opere Dei fuerit bonam vitam habens, non per donationem per hos omnes gradus ascendere. Quod una voce confirmatum est ab omnibus.

Leo pontifex purgavit se de obiectis criminibus, ut testatur Aimoinus monachus in libro de origine regum Francorum. Sic enim est apud illum in libro IIII: Leo romanus pontifex, postquam nemo eorum criminum, quae obiecta fuerant, pro-

bator esse voluit, coram omni populo in basilica beati Petri apostoli evangelium ferens, ambonem conscendit, invocatoque nomine sanctae Trinitatis de obiectis se criminibus iurando purgavit. Narrat hoc idem et Marianus Scotus monachus fuldensis; ambo vero ex Bibliothecario exceperunt, apud quem ita scriptum est: Carolus magnus Francorum rex Romam veniens, in basilica beati Petri apostoli resedit, in qua congregavit archiepiscopos, episcopos, abbates, et omnes nobiles francos et romanos, et sedentes pariter rex, et pontifex Leo III. fecerunt residere archiepiscopos, episcopos, abbates, stante reliquo clero, et optimatibus francis et romanis, ut crimina, quae adversus Leonem III. dicta fuerant, declararent. Qui universi archiepiscopi, episcopi, et abbates unanimiter audientes dixerunt: nos sedem apostolicam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum, iudicare non audemus, ipsa enim a nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, sed sicut ipse sanctissimus Pontifex censuerit, obedientes canonice erimus. Venerabilis praesul inquit: praedecessorem meorum Pontificum vestigia sequor, et de talibus falsis criminibus, quae super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum. Alia vero die in eadem ecclesia beati Petri coram omnibus generaliter archiepiscopis, seu episcopis, et abbatibus, et cunctis Francis, qui in servitio eiusdem regis fuerant, et cunctis Romanis, in eadem ecclesia beati Petri amplectens praefatus Pontifex sancta Christi quatuor evangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, et sub iureiurando clara voce dixit; quia de istis falsis criminibus, quae super me imposuerunt Romani, qui inique persecuti sunt me, scientiam non habeo, nec talia me egisse cognosco. Atque hoc peracto, omnes archiepiscopi, et abbates, et cunctus populus, litaniis factis, laudes dederunt Deo, atque Dei genitrici, et beato Petro apostolo, omnibusque sanctis eius. *(Reliqua capitula omittimus usque ad XXII)*

CAP. XXII.

De romanis Pontificibus, qui in basilica vaticana sepulti sunt (1).

Omnes fere, qui ante Leonem magnum papam fuere romani pontifices, per varia Urbis circumvicina coemeteria et basilicas sepulti sunt. Primus Leo magnus papa ob egregiam in sedem apostolicam et romanum nomen merita, in porticu basilicae sancti Petri sepeliri meruit: cuius exemplum eius successores secuti, sepulcrum in eadem porticu et basilica, tamquam in proprio domicilio, sibi elegerunt: a quo tempore deinceps usque ad nostram aetatem maior illorum Pontificum pars, qui Romae obierunt, ibidem conditi sunt. Iohannes diaconus lib. IV. de vita sancti Gregorii papae, eius corpus in extrema porticu basilicae beati Petri ante secretarium vel tunc antiquissimum, in quo Leo, Simplicius, Gelasius, Symmachus apostolicae sedis episcopi cum nonnullis aliis tumulati suis hactenus epitaphiis praedicantur, sepultum est. Is locus, ut rem acu tangamus, est inter sanctam Mariam de febre, quae antiquitus secretarium erat, et minorem portam sancti Petri, quae Iudicii dicitur, parieti basilicae adhaerens, ubi usque hodie extant in muro vestigia ad haerentium sepulcrorum cum absidibus. Obiit vero sanctus Leo papa idibus aprilis anno CCCCLXI, ibique annis circiter CCXXX. iacuit. Nam Sergius papa anno DCLXXXVII. creatus, corpus eiusdem Leonis papae, quod in abditis inferioribus secretarii basilicae vaticanae positum fuerat, facta diligentius tumba, in eadem basilica publico loco reposuit, ac ipsum locum ornavit. Petrus Manlius, qui anno MCLX. vixit, corpus sancti Leonis papae suo tempore sub altare oratorii Leonis IIII. papae iacuisse tradit, ubi Leones II. III et Leo IIII. sepulti etiam fuere.

Id oratorium et altare fuit prope aram maximam sancti Petri parte dextera, hodie dirutum. Pontifices romani Simplicius tiburtinus qui anno CCCCLXXXIII, Gelasius afer qui anno CCCCXCVI, Symmachus sardus qui anno DXIIII. Romae obierunt, ut aperte tradit Iohannes diaconus; in eiusdem porticus loco sepulti fuerunt inter secretarium, et portam Iudicii, quorum, ut dixi, sepulcrorum hactenus in muro vestigia manent. Eosdem in basilica sancti Petri sepultos fuisse tradit Bibliothecarius. In eadem porticu in spatiis inter quinque portas, sequentes XII. Pontifices sepultos fuisse ex eo opinor, quod Iohannes diaconus Leonem, Simplicium, Gelasium, Symmachum, Gregorium pontifices cum nonnullis aliis in porticu sancti Petri iacuisse tradit, quos Bibliothecarius in basilica sancti Petri tumulatos fuisse scribit. Neque vero simile est sanctum Gregorium extra basilicam iacuisse, si decessores eius intra ean-

(1) Capituli huius materia nonnisi partim extat apud P. Manlium, Maph. Vegium, ac Phil. Dionysium. Nolui igitur collectam magna sedulitate a Panvinio notitiam praetermittere; quam tamen minoribus typis, chartae parcens, imprimendam curavi.

dem sepulti fuissent. Adiicit Petrus Manlius sanctum Gregorium sepultum fuisse ante secretarium inter columnas porticûs. Anastasius II. romanus obiit Romae anno CCCCXCVIII. Hormisdas frusinas hernicus obiit Romae anno DXXIII.

Iohannes tuscus, qui obiit Ravennae in carcere, in quem eum Theodoricus rex Gothorum arrianus coniecerat, obiit anno DXXVI. Corpus Romam translatum in eadem sancti Petri porticu sepultum est.

Felix III dictus IV. samnis obiit Romae anno DXXXI. Bonifacius II. romanus obiit Romae anno DXXXI. Iohannes II. dictus etiam Mercurius, romanus obiit Romae anno DXXXIV.

Rusticus Agapetus romanus obiit Constantinopoli, quo legatus regis Gothorum Theodahati ad imperatorem Iustinianum profectus fuerat anno DXXXV. Corpus locello plumbeo Romam translatum, in eadem porticu conditum est.

Vigilium papam ex via Salaria in vaticanam basilicam translatum, et prope altare sancti Silvestri conditum, ex maiorum relatione, et marmoreo titulo indicat Petrus Manlius.

Pelagium papam, qui Romae obiit anno DLX. sepultum fuisse in eadem sancti Petri porticu ante vetus secretarium, dubium non est, cum ibidem usque ad Petri Manlii et Alexandri III. papae tempora epitaphium permanserit, quod eiusmodi est.

Terrenum corpus claudant haec forte sepulcra,
Nihil sancti meritis derogatura viri.
Vivit in arce poli caelesti luce beatus,
Vivit et hic cunctis per pia facta locis.
Surgere iudicio certus, dextramque tenentem
Angelica partem se rapiente manu.
Virtutum numeret titulos ecclesia Dei
Quos ventura ut * saecula terrae queant. * velut?
Rector apostolicae fidei veneranda retexit
Dogmata, quae clari constituere patres.
Eloquio curans errorum schismate captos
Ut veram teneant corda placata fidem.
Sacravit multos divina lege ministros
Nil pretio faciens immaculata manua.
Captivos redimens, miseris succurrere promptus,
Pauperibus nunquam parta negare sibi.
Tristia participans, laeti moderator opimus,
Alterius gemitus credidit esse suos.

Hic requiescit Pelagius papa, qui sedit annos IIII, menses X, dies XVIII, depositus IIII. nonas martii.

Iohannes III. Catellinus romanus obiit Romae anno DLXXIIII.

Benedictus Bonosius romanus obiit Romae anno DLXXIX, sepultus in secretario sancti Petri, quod hodie dicitur sancta Maria de febre.

Pelagius II. romanus obiit Romae anno DXC. sepultus in eadem porticu.

Gregorius magnus romanus obiit Romae anno DCIIII, in eadem porticu reconditus, cuius sepulcro hoc epitaphium incisum est.

Suscipe terra tuum corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit, leti nil iura valebunt;
Cui vitae alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulchro,
Qui innumeris semper vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigore veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebat actu quicquid sermone docebat,
Esset ut exemplum mystica verba loquens
Anglos ad Christum convertit mente benigna,
Sic fidei acquirens agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, haec tibi cura, hoc pastor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus laetare triumphis,
Nam mercedem operum iam sine fide tenes.

Hic requiescit sanctus Gregorius I. papa, qui sedit annos XIII, menses VI, dies X, depositus IIII. idus martii.

Gregorius IIII. papa corpus sancti Gregorii papae et doctoris ex humiliore loco, in quo ante vetus secretarium sepultum fuerat, transtulit intra ecclesiam sancti Petri ante novellum secretarium, constructis absidibus, sicuti modo cernimus, in oratorio sub altari sui nominis honorifice collocavit, quo eius anniversaria sollemnitas cunctis certatim pernoctantibus veneratione gratissima celebratur. In quo etiam oratorio distinctis aris recondidit corpora sanctorum martyrum Sebastiani, Gregorii, Tiburtii filii Chromatii praefecti, quae ex coemeteriis intra eandem ecclesiam detulit. Posuit etiam ibidem pallium, phylacteria, et baltheum sancti Gregorii, quae annue more maiorum osculabantur. Sancti Gregorii altare eleganti ciborio exornavit Pius II. papa, cui caput sancti Andreae ex Peloponneso delatum imposuit. Hodie dicitur altare sancti Andreae, quod extat inter murum basilicae, et portam Iudicii, et die coronationis Pontificis loco secretarii deservit.

In eadem porticu sepulti fuere Sabinianus et Bonifacius III. papae, qui beato Gregorio proxime successerunt, Romae vita functi alter anno DCVII, alter autem anno DCVIII, ut ex amborum hisce epigrammatibus liquet, quae in eadem porticu fuisse tradit P. Manlius.

Sabiniani papae epitaphium.

Saeva vorax nil posse tuas mors aspice vires,
Vivit in aeternum quem peremisse putas.
Nam bona distribuens qui nil migrando relinquit,
Per te post missas ire videtur opes.
Hic primam subitam non sumpsit laude coronam,
Sed gradibus meruit crescere sanctus homo.

Atque hominum vitium blando sermone removit.
Nec iudex culpis, sed medicina fuit. (1).
Praesule quo nullum turbavit bellicus horror,
Saeva nec angelici vulneris ira fuit.
Quem famis ira dapes, quem nudus sensit amictum,
Vincebat lacrimis omnia dira suis.

Bonifacii IIII papae epitaphium.

Vita hominum brevis est: certa hanc determinat hora,
Sed vitae aeternae inde paratur iter.
Quod non indecora, aut rursum peritura videntur
Sed pulcrum atque decens iam sine fine manet.
Dic igitur, quid mors stimulis agitaris iniquis?
Quid fremis incassum? quid furibunda geris?
Commoda nulla tibi poterunt tua facta referri,
Nec prodesse potest impetus iste tibi.
Gregorii semper monita atque exempla magistri
Vita opere ac dignis moribus iste sequens.
Quo hunc terrere putas? Sunt huius maxima vota
Mittere ad astra animum, reddere corpus humo.
Saucia multiplici siquidem nam membra dolore
Rursus in antiquo pulvere versa manent.
Quae coniuncta animae stabilito in corpore surgunt
Ad vitam aeternam te pereunte magis.
Sancta fides merito vitae clementia patris
Spem certam hanc famulos iussit habere suos.

Hic requiescit Bonifacius iunior, qui sedit annos VI, menses VIII, dies XII, depositus octavo idus maii, imperante domino Heraclio, anno eius secundo.

Primus Bonifacius IIII. intra basilicam sancti Petri sepultus est iuxta portam ravennianam et altare Bonifacii VIII. papae, ut ex hoc, quod adhuc ibidem extat epitaphio liquet.

Gregorio quartus hic iacet Bonifacius almus,
Huius qui sedis fuit aequus rector et aedis.
Tempore qui Phocae cernens templum fore Romae
Delubra cunctorum fuerant quo daemoniorum,
Hoc expurgavit sanctis cunctisque dicavit,
Cuius natalis solemnia qui celebratis,
Primis septembris fert haec lux quarta kalendis.
Octavus titulo hoc Bonifacius ossa reperta
Huc locat erecta Bonifacii nominis ara.

Sequentes romani Pontifices partim in porticu, partim in basilica sancti Petri sepulti sunt.

(1) Hoc tantum distichon scripserat ex Manlio Panvinius; sed totum epitaphium ex Grutero nuper restituerunt auctores appendicis dionysianae, ut nos iam diximus p. 151. n. 1.

Deusdedit Romanus obiit Romae anno Christi DCXIX.

Bonifacius V. neapolitanus obiit Romae anno DCXXV. sepultus in porticu sancti Petri hoc elogio :

Atria magnifici sunt membris plena sepulti
Sedis apostolicae Bonifacii praesulis almi.
Reliqua desunt.

Honorius romanus	mortui anno	DCXXXX.
Severinus romanus		DCXXXVIII.
Iohannes IIII. dalmata		DCXXXIX.
Theodorus hierosolymitanus, graecus,		DCXLVII.

cuius epitaphii superest hic versus :

Incubat egregii Theodori praesulis almi
Hoc tumulo corpus.
Reliqua desiderantur.

Eugenius romanus	Romae mortui anno Christi.	DCLVII.
Vitalianus romanus		DCLXXII.
Adeodatus romanus		DCLXXVI.
Domno romanus		DCLXXIX.
Agatho panormitanus siculus		DCLXXXII.

Sepulti in basilica sancti Petri in porticu incertis locis.

Leo II. casauensis calaber in basilica vaticana sub altare oratorii Leonis IIII. papae, obiit Romae anno DCLXXXIII.

Benedictus II. romanus obiit Romae anno salutis DCLXXXV.

Iohannes V. antiochenus syrus obiit Romae anno salutis DCLXXXVI, cuius in basilica sancti Petri eiusmodi extabat inscriptio :

Hic tumulus vatis conservat membra Iohannis,
Ordine Pontificum, qui fertur iure secundus.
Licet in extremis sollers fidusque minister
Claruit, et primus, iure levita fuit.
Missus ad imperium vice praesulis extitit auctor,
Hunc memorant synodus pontificisque tomus.
Cum titulis fidei vigilantia quanta regendi
Commissas animas ne lupus hostis oves
Carperet admixtus premeretve potentior, unam
Iustitiam cunctos nixus habere parem.
Providus humanis, summus verusque sacerdos,
Nil temere atque nimis, pondere cuncta gerens.

Cuno thrax	obierunt Romae anno	DCLXXXVII.
Sergius antiochenus syrus		DCCI.
Iohannes VI. graecus		DCCV.

Iohannes VII. graecus obiit Romae anno DCCVIII. sepultus in oratorio suo ante portam Guidoneam, quae modo sancta dicitur, iuxta altare sudarii Iesu Christi.

Sisinius syrus	obierunt Romae anno	DCCVIII.
Constantinus syrus		DCCXVI.

Gregorius II. romanus obiit Romae anno DCCXXXI. sepultus in porticu sancti Petri.

Gregorius III. syrus obiit Romae anno DCCXLI. sepultus sub altare oratorii sui intra basilicam vaticanam dextra altaris maioris in choro canonicorum cum hoc versu:

Tertius hic papa Gregorius est tumulatus.

In eodem oratorio sepulta fuere corpora Petri diaconi Gregorii I. papae, Eugenii III, Hadriani IV, Eugenii IV, ut infra dicam

Zacharias graecus	Romae mortui sunt anno.	DCCLII.
Stephanus II romanus, qui triduo tantum vixit		DCCLII.
Stephanus III. dictus II. romanus		DCCLVII.

Sepulti in porticu sancti Petri. Stephani II. sepulcro hic versus additus:

Subiacet hic Stephanus romanus papa secundus.

Paulus I. romanus Stephani II. frater obiit Romae in monasterio sancti Pauli anno DCCLXVII. Corpus per Tiberim ad sanctum Petrum translatum, sepultum est in oratorio ab se in honorem beatae Mariae constructo prope altare maius sancti Petri, et oratorium Hadriani papae, in quod mulieres non intrabant, cum hac inscriptione.

Hic requiescit Paulus papa.

Stephanus IV. dictus III. siculus obiit Romae anno DCCLXXII. sepultus ad sanctum Petrum.

Hadrianus I. papa romanus obiit Romae anno DCCXCV, sepultus in oratorio suo prope altare maius sancti Petri, et oratoria Pauli et Leonis IV. cum hoc elogio:

Hic pater ecclesiae, Romae decus, inclytus auctor
  Hadrianus requiem papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
  Pastor apostolicus promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus iam gente parentum.
  Sed sacris longe nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore pastor
  Semper ubique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto
  Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
  Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
  Urbs caput orbis honor inclyta Roma tuas.
Mors, cui nil nocuit, Christi quae morte perempta est,
  Ianua sed vitae mox melioris erat.
Post patrem lacrimans Carolus haec carmina scribsi,
  Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper.
  Cum Christo teneas regna beata poli.

Te clerus, populus, magno dilexit amore,
   Omnibus unus amor, optime praesul, eras.
Nomina iungo simul titulis clarissime nostra
   Hadrianus Carolus, rex ego, tuque pater.
Quisque leges versus, devoto pectore supplex
   Amborum mitis dic miserere Deus.
Haec tua nunc teneat requies carissime membra,
   Cum sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures
   Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem scio iudicis almam,
   Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor esto tui nati, pater optime, posco;
   Cum patre, dic, natus pergat et iste meus.
O pete regna pater felix caelestia Christi,
   Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
   Laus tua sancte pater semper in orbe manet.

Sedit beatae memoriae Hadrianus papa annos XXIII, menses X, dies XVII. obiit VII, kalendas Iannarii.

Leo III. papa romanus obiit Romae anno DCCCXVI. sepultus in oratorio, quod postea in basilica vaticana fecit Leo IIII.

Stephanus V. dictus IV. romanus	Romae mortui anno	DCCCXVII.
Paschalis romanus		DCCCXXIV.
Eugenius II.		DCCCXXVII.
Valentinus romanus		DCCCXXVIII.
Gregorius IIII. romanus.		DCCCXLIV.

Variis in locis basilicae vaticanae conditi.

Sergii II. romani, qui anno DCCCXLVII. Romae obiit, corpus tumulatum est sub altare sancti Xysti papae et martyris, cum reliquiis eiusdem Xysti et Fabiani pontificum, illuc ex coemeteriis translatis, quod altare erat in introitu basilicae iuxta ferratam, supra quod altare fuit arcus ex eleganti musiveo opere factus cum hoc epitaphio:

Sergius en iunior praesul et plebis amator
   Hoc tegitur tumulo, qui bene pavit oves.
Spes patriae, mundique decus, moderator opimus,
   Divinis monitis non fuit ille piger.
Romanos proceres non tantum famine verbi,
   Rebus et humanis nocte dieque favens.
Utque Leo sanctus, Damasus quoque ipse benignus,
   Hic ritum tenuit, instituitque gregem.
Egentum semper studuit recreare catervam,
   Proque poli ut caperet caelica regna libens.
Iam iam pro tanto tundamus pectora pugnis
   Pastore amisso, vivat ut axe poli.

Nectitur ecce piis Faviano et corpore Xisto,
Praesulibus, quorum spiritus astra micant.

Leo IV. romanus obiit Romae anno DCCCLVI. sepultus sub altare oratorii sui, quod erat ante altare sancti Mauritii iuxta aditum, quo ad sancti Martini monasterium iter erat post sanctum Petrum, in quo Paschalis II. recondidit corpora sanctorum Leonum I. II. III.

Benedictus III. romanus obiit Romae anno DCCCLVIII, quem Nicolaus eius successor, dum adhuc diaconus esset suis humeris cum aliis diaconis usque ad basilicam sancti Petri gestans, propriis manibus extra ecclesiam sub porticu iuxta portam argenteam cum hoc elogio in tumulo collocavit.

Quisquis huc properas Christum pro crimine poscens
Quam lacrymis dignus sit rogo disce locus.
Hac gelida praesul Benedictus membra quiete
Tertius en claudit, quae sibi reddat humus.
Quodque foret tectus, servat sub tegmine saxi
Indignum sanxit se sociare piis.

Nicolaus magnus, qui obiit Romae anno DCCCLXVII, quiescit in porticu eadem iuxta portam Iudicii, cuius sepulcri inscriptio haec fuit.

Scire volens cum triste genus mortale repente
Quisquis ad haec properas eois partibus aulae,
Templa vel occiduis pollens austroque beatae,
Axe vel a gelido, carmen scrutare memento.
Conditur hoc antro sacri substantia carnis
Praesulis egregii Nicolai, dogmate sancto
Qui fulsit cunctis, mundum, replevit et urbem
Intactis nituit membris, castoque pudore,
Quae docuit verbis, actuque peregit opimo,
Sydereo plenus mansit doctusque sophiae,
Caelorum claris quem servant regna triumphis,
Ut vernet soliis procerum per saecula vatum.

Hadrianus II. romanus obiit Romae anno DCCCLXXXII.

Iohannes VIII. romanus dormit ante ecclesiam in porticu iuxta portam Iudicii, cuius hoc erat epitaphium:

Praesulis octavi requiescunt membra Iohannis
Tegmine sub gelido marmorei tumuli.
Moribus, ut par est, fulsit qui nempe beatis
Altisonus comptus actibus et meritis.
Iudicii custos mansit, pietatis amator,
Dogmatis et varii plurima verba docens.
De segete Christi repulit zizania saepe,
Multaque per mundum semina fudit ovans.
Doctiloquens *, prudens, verbo linguaque peritus,
Solertem sese omnibus exhibuit.
Et nunc caelicolas caenat super astra phalanges.

* cod. docti.

Marinus galesianus faliscus obiit Romae anno DCCCLXXXIV.
Hadrianus III. romanus obiit Romae anno DCCCLXXXV.
Stephanus VI. dictus V, qui anno DCCCXCII. Romae obiit. Epitaphium sepulcro eius in porticu ante ecclesiam sancti Petri hoc fuit impositum:

Accedis quisquis magni suffragia Petri
Caelestis regni poscere clavigeri,
Intentis oculis compuncto corde locellum
Conspice perspicuum, quo pia membra tacent.
Hic tumulus quinti sacratos continet artus
Praesulis eximii pontificis Stephani.
Bis ternis annis populum qui rexit et urbem,
Et gessit Domino quae fuerant placita.
Suscepit tellus consumptum pulvere corpus,
Aethera sed scandit spiritus almus ovans.
Unde peto cuncti venientes dicite fratres:
Arbiter omnipotens da veniam Stephano.

Hic praedictus Stephanus V. requiescit ante ecclesiam beati Petri.

Formosus portuensis } qui mortui sunt Romae anno
Bonifacius VI. romanus } DCCCXCVI.

Stephanus VII. dictus VI, qui Romae excessit anno DCCCXCVII, habuit sepulcrum in eadem porticu cum hoc epigrammate:

Hoc Stephani papae clauduntur membra sacello,
Sextus dictus erat ordine quippe patrum.
Hic primum repulit Formosi spurca superbi,
Culmina qui invasit sedis apostolicae.
Consilium instituit, praesedit pastor et ipsi,
Lege satis fessis iura dedit famulis.
Cumque pater multum certaret dogmate sancto,
Captus et a sede pulsus in ima fuit.
Carceris interea vinclis constrictus in imo
Strangulatus ubi (1) exuerat hominem.
Post decimumque diem regnanti transtulit annum
Sergius huc papa funera sacra colens.

Romanus galesianus } Romae mortui anno
Theodorus II. romanus } DCCCXCVII.

Iohannes IX. tiburtinus, qui Romae anno DCCCC. obiit, sepultus est in porticu iuxta portam Guidoneam, alias sanctam, cum hoc elogio:

Ecclesiae specimen clarissima gemma bonorum,
Et mundi dominus hic iacet eximius.
Iohannes meritis qui fulsit in ordine nonus
Inter apostolicos, quem vehit altitonans.
Conciliis docuit ternis quid dogma saluti
Observare Deo munera sancta ferens.

(1) Mirum quomodo nemo adhuc emendaverit, duce Panvinii codice, lectionem in editionibus vitiosissimam *strangulatus verbi exuerat homine*.

Temporibus cuius novitas abolita mali est
Et firmata fides, quam statuere patres.
Qui moriturus eris, lector, dic: papa Iohannes
Cum sanctis capiat regna beata Dei.

Benedicti IV. romani, qui obiit Romae DCCCCIII, corpus sepultum est in porticu ante ecclesiam sancti Petri iuxta aditum, quo itur de palatio ad sanctum Gregorium cum hac inscriptione:

Membra Benedicti quarti sacrata quiescunt
Pontificis magni praesulis eximii.
Qui merito dignus Benedictus nomine dictus,
Cum fuerit largus omnibus atque bonus.
Huic generis decus, ac pietatis splendor opimus,
Ornat opus cunctum iussa Dei meditans.
Praetulit hic generale bonum lucro speciali,
Mercatus caelum cuncta sua tribuit.
Despectas viduas, nec non inopesque pupillos
Ut natos proprios assidue refovens.
Inspector tumuli compuncto dicito corde:
Cum Christo regnes o Benedicte Deo.

Leonis V. ardeatini, et Christophori romani, qui anno DCCCCIII. mortui sunt corpora ibidem quiescunt. Epitaphii Christophori hic extat versus:

Hic pia Christophori quiescunt membra sepulti.

Sergius III. romanus, qui obiit anno DCCCCXI, quiescit inter portas argenteam et ravennianam cum hoc epitaphio:

Limina quisquis adis Petri metuenda beati
Cerne pii Sergii excubiasque Petri.
Culmen apostolicae sedis is iure paterno,
Electus tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur urbe pater, pervadit sacra Iohannes,
Romuleosque greges dissipat ipse lupus.
Exul erat patria septem volventibus annis,
Post multis populi in urbe rediit precibus.
Suscipitur, Papa sacratur, sede recepta
Gaudet, amat pastor agmina cuncta simul.
Hic invasores sanctorum falce subegit
Romanae ecclesiae iudiciisque patrum.

Anastasii III. romani, qui anno DCCCCXIII. Romae obiit; sepulcro quod est in sancto Petro, hoc fuit additum epitaphium:

Vatis Anastasii requiescunt membra sepulcro,
Sed nunquam meritum parvula claudit humus.
Sedem apostolicam blando moderamine rexit
Tertius existens ordine Pontificum.
Ad Christum pergens peccati (1) vincula sperat

(1) Vitiose in edd. *pacati*.

Solvere clementer omnia posse sibi
Limina currentes ad templi undique huius,
Ut praestet requiem poscite corde Deum.

Lando sabinus		DCCCCXIV.
Iohannes X. ravennas		CMXXVIII.
Leo VI. romanus		CMXXVIII.
Stephanus VIII. dictus VII. romanus		DCCCCXXX.
Iohannes XI. romanus		DCCCCXXXV.
Leo VII. romanus	Romae mortui anno Christi	CMXXXIX.
Stephanus IX. dictus VIII. romanus		DCCCCXLII.
Marinus II. romanus		DCCCCXLVI.
Agapetus II. romanus		DCCCCLVI.
Iohannes XII. romanus		DCCCCLXIV
Leo VIII. romanus		DCCCCLXV.
Benedictus V. dictus VI. romanus		DCCCCLXXIV.
Domnio romanus		DCCCCLXXV.

Ioannes XIV. papiensis, qui obiit anno DCCCCLXXXV Romae, hoc in suo sepulcro habuit epitaphium ante ecclesiam in portica prope Iohannem VIII. papam:

Praesulis eximii requiescunt membra Iohannis
Qui Petrus antea extiterat quippe.
Sedem Papiae blando moderamine rexit,
Imperatori Othoni dulcis fuit atque percarus.
Commissum populum romanum moribus instruens
Dulcis in eloquio cunctis praeclarus amicis,
Subiectis placidus, pauperibusque pius.

Defunctus est papa Iohannes romanus mensis aug. die XX.

Bonifacius VI. romanus, qui obiit anno DCCCCLXXXV. Romae.

Iohannes XV. romanus sepultus intra basilicam ante oratorium sanctae Mariae in oratorio a Paulo papa facto cum hoc epitaphio:

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Iohannes,
Qui legis sacrae diffundere noverat amnes.
Egregius doctor verbo quaecumque docebat,
Moribus et vita tribuens exempla gerebat.
Nunc a canonicis distincto iure rigoris,
Non timor, aut lucrum non gratia flexit amoris.
Det Deus aeternus caelorum lumine pasci.
Qui dat Roma mori, dederat bene gaudia nasci.
Quando vir iste obiit si vis cognoscere verum,
Septima lux martis fuit illi meta dierum.

Iohannes XVI. romanus obiit Romae anno DCCCCXCV.

Gregorius V. saxo obiit Romae anno DCCCCXCVIII, sepultus ante secretarium intra ecclesiam prope altare sanctorum Andreae et Gregorii, cuius adhuc extat hoc epitaphium:

Hic, quem claudit humus, oculis, cultuque decorum

Papa fuit quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno Francorum regia proles
Filius Othonis de genitrice Iudith.
Lingua theutonicus, Vuangia doctus in urbe,
Sed iuvenis cathedram sedit apostolicam.
Ad binos annos et menses circiter octo,
Ter senos februo connumerante dies.
Pauperibus dives per singula sabbata vestes
Divisit numero cautus apostolico.
Usus francisca vulgari et voce latina
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho sibi Petri commisit ovile
Cognatis manibus unctus in imperium.
Exuit et postquam terrenae vincula carnis
Aequivoci dextro substituit lateri.
Decessit XII. kalendas martii.

Benedictus VII, dictus VIII, romanus obiit Romae anno MXXIV

Iohannes XIX. romanus eius frater, qui obiit Romae MXXXIII, quiescit sub porticu inter portas argenteam et romanam cum hoc epitaphio:

Qui solers domino placuit, qui mente modesta
Praesul apostolicus orbis, et omne decus,
Hic statuit tumulo claudi sua membra sub isto,
Haec eadem sperans ut sibi reddat humus.
Ardua qui fulsit cunctis ut sidera caeli,
Augustis carus, gentibus, et tribubus.
Doctrinis comptus sacris, et dogmate claro
Per patrias sancta semina fudit ovans
Nam Graios superans eois partibus unam
Schismata pellendo reddidit ecclesiam.
Principis hinc Petri sed quisquis tendis ad aulam,
Dic supplex iisdem regnet ut arce poli.

In eadem basilica requiescunt infrascripti Pontifices.

Leo IX. germanus, qui obiit Romae an. MLIV. miraculis clarus, in pilo marmoreo inter portas ravennianam et argenteam intra ipsam basilicam, ubi nunc est altare, ad quod memoria omnium defunctorum die suo quotannis celebratur.

Urbanus II. gallus, qui obiit anno MIC, iacet prope oratorium Hadriani papae in eleganti sepulcro.

Anacletus II. romanus antipapa, qui obiit Romae an. MCXXXIX.

Eugenius III. pisanus, qui obiit Tibure an. MCLIII, in oratorio sancti Gregorii iacet in sepulcro marmoreo tessellato.

Hadrianus IV. anglus, qui obiit Anagniae an MCLIX, conditus est in antiquo marmoreo pilo, prope Eugenium III. Ante eius sepulcrum sub Alexandro III. duo corpora incognita reperta sunt dum illud construeretur.

Gregorius IX. anagninus, qui obiit Romae an. MCCXLI.

Caelestinus IV. mediolanensis, qui obiit Romae an. MCCXLI.

Nicolaus III. Ursinus romanus, qui obiit Suriani in agro viterbiensi anno MCCLXXX, in oratorio suo iacet in marmoreo tumulo.

Honorius IV. Sabellus romanus, qui obiit an. MCCLXXXVII, iacet in sepulcro marmoreo.

Bonifacius VIII. Caietanus anagninus, qui obiit Romae an. MCCCIII, sepultus sub altari sacelli ab se conditi inter portas argenteam et ravennianam.

Urbani VI. neapolitani, qui obiit Romae an. MCCCLXXXIX, adhuc visitur in ecclesia diruta marmoreum sepulcrum cum hoc epitaphio:

Hoc animo magnus sapiens, iustusque monarcha
Parthenopeus adest Urbanus sextus in arca.
Fervebat fidei latebras conferre magistris
O Deus his fretus semper post prandia sistris.
Schismatibus magnis animo maiore regebat,
Omne simoniacum tanto sub patre tumebat.
Quid iuvat hunc terris mortali tollere laude?
Pro meritis caeli splendet sibi gloria valde.

Bonifacii IX. sepulcro, quod hodie dirutum est, hoc elogium incisum fuit:

Flete super pugilem claves, crux alma, tiara,
Ecclesia viduata viro, simul inclyta Roma.
En petra parva patrem sub caelica sidera primum
Claudit, apostolica solium qui rexit habena,
Catholicamque fidem servans a turbine sanctum
Remigium Christi victis virtute tyrannis.
Orthodoxus erat super omnes, arca superni
Consilii, sua iura tuens, et grandia tractans.
Caesaris ex animo, fidei clypeatus honore,
Corpore conspicuus, roseus flos, famine constans.
Auditorque placens, miseris miserator opimus.
Ossa iacent, mens alta polum felicibus alis
Ascendens micat ante Deum nova lucis origo.
Glorius antistes quisnam Bonifacius alter
Nonus ut iste fuit? Quae chronica scripserit unquam,
Quodve genus parilem dedit aevo nomen? et omnes
De Tomacellis fulget, fulgebit in annos
Parthenope lustrans, tulit hunc genus omne latinum
Quidquid alit tellus, et quod tegit omnia caelum.

Obiit MCCCCIIII. die I. octobris, pontificatus vero sui anno XV.

Innocentius VII. sulmonensis pelignus, obiit Romae anno MCCCCVI, sepultus in oratorio sancti Thomae cum hoc epitaphio:

Innocentio VII. pont. max.

Cum neglecti eius sepulcri memoria paene interiisset, Nicolaus V. pont. max. instaurandum curavit.

Eugenius IV. venetus obiit Romae anno MCCCCXLVII, sepultus insigni marmoreo tumulo iuxta Eugenium III, cum hoc epitaphio:

Eugenius iacet hic quartus, cor nobile cuius
  Testantur vitae splendida facta suae.
Istius ante sacros se praebuit alter ab ortu,
  Alter ab occasu Caesar uterque pedes.
Alter ut accipiat fidei documenta latinae,
  Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo duce et Armenii Graiorum exempla sequuti
  Romanam agnorunt Aethiopesque fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundique e finibus Indi;
  Magna sed haec animo cuncta minora suo.
Nam valida rursum Teucros iam classe petebat,
  Dum petit ast illum substulit atra dies.
Qui semper vanos tumuli contempsit honores,
  Atque hac me pressa condite dixit humo.
Sed non quem rubro decoraverat ille galero,
  Non hoc Franciscus stirps sua clara tulit.
Susceptique memor meriti tam nobile quod nunc
  Cernis tam praestans surgere iussit opus.

Eiusdem aliud epitaphium.

Dum studet ecclesiam placida componere pace,
  Actaque par voti, pars quoque agenda sui,
Eugenius quartus moriens hic ossa reliquit.
  Sic nece praeruptum quod bene coepit opus.
Debuerant durae tantisper ferre sorores
  Tardius et vitae solvere pensa brevis.
Tunc ubi pax terris, quam miro ardebat amore
  Reddita, tunc caelo restituendus erat.
Sed Deus actutum sedes ornare beatas,
  Consultumque suis maluit ire bonis.

Nicolai V. sergianensis liguris, qui obiit anno MCCCCLV, sepulcrum in basilica beati Petri prope Eugenii IV. mausoleum ex adverso latere fuit, quod ad alium locum in basilicae demolitione translatum adhuc extat cum hoc elogio:

Hic sita sunt quinti Nicolai antistitis ossa,
  Aurea qui dederat saecula Roma tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
  Excoluit doctos doctior ipse viros.
Abstulit errorem quo schisma infecerat orbem,
  Restituit mores, moenia, templa, domos.
Tum Bernardino statuit sua sacra senensi,
  Sancta Iubilaei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Frederici et coniugis aureo,
  Res italas icto foedere composuit.

Attica romanae complura volumina linguae
Prodidit. En tumulo fundite thura sacro.

Sedit annos octo, dies XX, vixit annos LVII, menses IV, dies IX. Philippus Cardinalis bononiensis fratri sanctissimo.

Aliud eiusdem epitaphium.

Pontificis summi Nicolai hic condita quinti
Ossa cubant, liber spiritus astra colit.
Aemulus ille Numae, pacem sed praetulit armis,
Praetulit et diris cantica sancta tubis.
Miro idem studio ritus cultusque sacrorum
Curavit, mira donaque sacra fide.
Alter et Augustus doctos doctissimus ipse
Excoluit summa semper et auxit ope.
Extulit atque altae renovavit moenia Romae,
Extulit ingentes et renovavit opes.
Saecula qui magni iubiiaei laeta sacravit,
Caesareum rutilo cinxit et orbe caput.
Qui scissum ecclesiae pastor compegit ovile,
Ad suaque errantes claustra reduxit oves.

Callistus III. Borgia valentinus hispanus, obiit Romae anno MCDLVIII, sepultus marmoreo mausoleo in sacrario basilicae sancti Petri sine epitaphio.

Pii II. papae senensis corpus sepuitum retro altare sanctorum Andreae et Gregorii cum hoc elogio, quod adhuc extat:

Pius II. pontifex maximus, natione tuscus,
patria senensis, gente Piccolominea.

Sedit annos sex. Brevis pontificatus ingens fuit gloria. Conventum Christianorum Mantuae pro fide habuit, oppugnatoribus romanae sedis intra atque extra Italiam restitit, Catharinam senensem inter sanctos Christi retulit, pragmaticam in Gallia abrogavit, Ferdinandum Aragonensem in regnum Siciliae cis fretum restituit, rem ecclesiae auxit, fodinas inventi tum primum aluminis apud Tolfam instituit, cultor iustitiae et religionis, admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconae decessit. Ibi et classem paratam, et ducem Venetorum cum suo senatu commilitones Christi habuit. Relatus in Urbem est patrum decreto, et hic conditus ubi caput Andreae apostoli ad se ex Peloponneso advectum collocari iusserat. Vixit annos LVIII, menses IX. dies XXVII. Franciscus Cardinalis senensis avunculo sanctissimo fecit anno MCDLXIIII.

Humi in tabula marmorea:

Pius II. pontifex maximus.

Epitaphium Pauli II. papae eius sepulcro, quod adhuc extat, insculptum,

Paulus II. venetus pontifex maximus

e vetusta Barborum familia, praeclaris naturae dotibus, avunculo Eugenio IIII. non inferior, iustitiae, pietatis, divinarumque caerimoniarum

cultor religiosissimus, ecclesiasticae libertatis maiestatisque defensor constantissimus, praecipuo pacis servandae studio, et singularis omnis generis munerum abstinentia, formidanda etiam lege magistratibus indicta clarissimus, in principes munificentia, in pauperes misericordia ingnis, patrio amore annonae copiam Urbi dedit. Patrimonium beati Petri, erratis populorum indulgentissimi parentis affectu emendatis, et conservavit, et auxit. Furentes armis haereticos repressit, et quod per difficilem rerum temporum conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione saluberrime disposuit. Vixit annos LIII, menses V, dies III. Sedit annos VI, menses decem, dies XVI.

Marcus Barbus Cardinalis sancti Marci patriarcha aquileiensis consanguineo benemerenti fecit anno salutis MCDLXXII.

Xysti IV. savonensis liguris corpus sepultum est in oratorio ab se constructo, in quo nunc canonici et clerus sancti Petri divinas laudes Deo canunt, sub praegrandi pretiosissimi operis aereo monumento cum hoc elogio:

Xysto IV. pont. max. ex ordine Minorum

doctrina et animi magnitudine omnis memoriae principi. Turcis Italia submotis, auctoritate sedis aucta, Urbe instaurata, templis, ponte, foro, viis, bibliotheca in Vaticano publicata, iubiiaeo celebrato, Liguria servitute liberata. Cum modico ac plano solo condi se mandavisset, Iulianus Cardinalis patruo benemerenti maiori pietate quam impensa faciendum curavit. Obiit idibus sextilibus, hora ab occasu quinta, anno Christi MCDLXXXIV. Vixit annos LXX, dies XXII, horas XII.

Innocentii VIII. Cybo genuensis, qui obiit anno MCDXCII, corpus sepultum est prope altare ab se conditum, cui Christi lanceam imposuerat, aeneo eleganti sepulcro cum hoc versu:

In innocentia mea ingressus sum; redime me Domine,
et miserere mei.

Alexander VI. Borgia valentinus hispanus, obiit anno MDIII, sepultus lateritio monumento in sacrario sancti Petri, quod paulo ante dirutum est, corpusque ibidem sub terra conditum.

Pii III. senensis corpus prope avunculum Pium II. iuxta altare sancti Andreae et Gregorii cum hoc elogio conditum est:

Pius III. pontifex maximus

a Pio II. avunculo, duos et viginti annos natus in Cardinalium collegium ascitus, urbis et Picaeni legatione integerrime functus, a Paolo II. ad Federicum III. missus, ut Germanorum arma in Turcas concitaret, conventum frequentissimum Pontificis morte dissolutum habuit, sub Innocentio VIII. Umbros dissidentes pacavit, Carolo Gallorum rege Italiam irrumpenti ab Alexandro VI. sero admodum obviam missus, eo mortuo duo de quadraginta patrum suffragiis Pontifex creatus, dum de restituenda in pristinam maiestatem christiana republica ac Urbe agit, VI. et XX. die e tanta expectatione rerum publico omnium luctu decessit, eloquio, prudentia, religione, innocentia, et gravitate, domi foris-

que insignis, in dicendis in senatu sententiis liber et gravissimus. Vixit annos LXIIII, menses V. dies X. Obiit an. salutis Christi MDIII. XV. kal. novembris. Iacobus et Andreas fratri sanctissimo posuere.

Humi in tabula marmorea:

Pius III. pont. max.

Iulius II. savonensis ligur obiit anno MDXIII. Romae, sepultus in choro canonicorum a patruo suo Xysto IV. condito cum hoc titulo:

Depos. Iulii II. pontificis maximi.

Paulus III. Farnesius romanus obiit Romae in Quirinali anno MDXLIX, sepultus lateritio tumulo retro organum ad tempus cum hac inscriptione:

Paulo III. pont. max.

Alexander Farnesius nepos Cardinalis cancellarius amplissimum, in nova basilica e pario et aliis marmoribus mausoleum extruxit, statuis, et colosseo Paulli III. aeneo simulacro ornatissimum.

Iulius III. de Monte aretinus obiit Romae anno MDLV, sepultus lateritio tumulo inter sepulcra Piorum II. et III. cum hoc indice:

Iulio III. pontifici maximo.

Marcellus II. Cervinus politianus tuscus, obiit Romae MDLV, sepultus in antiquo marmoreo pilo retro organum e regione tumuli Pauli. III. cum hoc titulo:

Marcellus II. pont. max.

Pius IIII. Medices mediolanensis, obiit Romae anno MDLXV, sepultus prope altare Innocentii VIII. lateritio monumento cum hac inscriptione:

Pius IIII. Medices mediolanensis pont. max.

Ex hac igitur tot Pontificum serie liquet romanos omnes Pontifices, praeter paucissimos, vel in hac basilica sepultos, vel si forte alibi vita functi iacuerint, demum eos ad hanc magno cum honore translatos fuisse, ut agnoscerent filii veram matrem, quum veri patres eorum non alibi, quam in ea requiescere volentes minime ignoraverint. Atque ut omittamus eos, qui ex coemeteriis, aliisque variis Romae locis illuc translati sunt, illud praeclarius videtur, quod legimus Iohannem et Agapetum, quorum beatus Gregorius in tertio dialogorum libro magna signa refert, cum hic Constantinopoli, ille Ravennae, decessissent, utrumque postea ad hanc ipsam basilicam translatum fuisse. Enimvero cum ex antiquis, quae traduntur monumentis constaret omnes fere summos Pontifices in ea reconditos, tum manifeste id deprehensum est, cum vetere ecclesia demolita, nova fundamenta iacerentur; siquidem inventi sunt non pauci per totius basilicae pavimentum subterranei tumuli marmoreis nitidis et eximie politis tabulis constructi; quod multum auctoritatis huic basilicae addere existimandum est. In quo non ignobile etiam illud est canonicis tributum privilegium, ut soli ipsi libitinas, quibus superiacent defuncti Pontifices, humeris suis portent. In eadem basilica sacra Pontificum mortuorum novendialia celebrantur a Cardinalibus sanctae romanae ecclesiae. Eorumdem mortuorum corpora in sacello canonicorum sancti Petri triduo asservantur, ut populus eorum pedes exosculetur. Deinde sepeliuntur.

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

De antiqua ecclesia sancti Petri diruta et nova construi coepta.

Iulius II. papa, magni excelsique animi vir, ut in bellis gerendis, hostibusque ecclesiae ulciscendis constans et paene pervicax fuit, ita et in cunctis iis, quae animum eius, quavis ratione moverent, ita accendebatur, ut illico quae vix cogitaverat, se statim conficere posse speraret. Inter cetera vero animi eius, quibus praestabat dona ad fabricandum mirum in modum inflammatus erat. Quapropter ingentes immo immanes substructiones Romae partim inchoavit, partim perfecit. Hanc eius ardentissimam voluntatem adiuvabant peritissimi, qui tum Romae erant architecti Bramantius picenus ex castro Durantis agri urbinatis, Raphael itidem urbinas, qui praeter artem picturae, qua excelluit, architecturae quoque peritus fuit, Balthassar Petruccius senensis, Antonius Sangalius, Michaël Angelus Bonarota florentinus trium artium picturae, sculpturae, et architecturae peritissimus, et quidam alii. Horum princeps omnium iudicio tunc et erat et habebatur Bramantius, eximio vir ingenio, et qui primus post antiquos rectas architecturae regulas restituit. Hic Pontificem ex animi sententia nactus, ei exstructionem fabricae basilicae vaticanae paulatim oratione, qua multum valebat, insinuavit et pontificii nominis magnificentia, et tanti apostoli maiestate dignam: modo iconographias, modo alias eius basilicae delineationes ostendere, assidue easdem praedicare, et rem perpetuae Pontifici gloriae futuram pro certo affirmare. Pontifex animo excelso et vasto, in quo parvis rebus locus non erat, magnarum semper molium avidus, aurem peritissimo architecto praebuit, eximiamque apostolo Petro novam basilicam, vetere diruta, exstruere constituit. Qua in re adversos paene habuit cunctorum ordinum homines, et praesertim Cardinales; non quod novam non cuperent basilicam magnificen-

CAP. II.

De vetere basilica, quae nunc superest.

Superest adhuc dimidiata veteris basilicae pars, quae ad portas et orientem pertinet. Cuius brevem descriptionem facturus, a gradibus et platea ante basilicam incipiam. Ante basilicam vaticanam adhuc extant veteris quadripartitae porticus vestigia. Ante porticum sunt XXXV. gradus marmorei, in quinque praecinctiones sive ordines distributi, a Pio II. papa renovati, cum colosseis sanctorum apostolorum Petri et Pauli marmoreis ex utraque parte simulacris, cum hac inscriptione «Pius II. pont. max.» Ante gradus est magna platea privatorum aedibus completa: supra gradus extat parva area et porticus antiquae frons, in quam tribus portis a Nicolao V. factis, per annum Iubilaei MCCCCXLIX. iter est, quae quatuor columnis, et antiquo musivo exolescente ornatae sunt. A laeva sunt tria ex marmore maeniana ab Innocentio VIII. papa inchoata, quinque parastatis substentata, ab Alexandro VI. pont. max. perfecta, ex quibus romanus Pontifex populo benedicere solet. Infra est auditorum rotae tribunal. Tota haec fabrica palatio Pontificis prostat, quod intus est. A dextra est domus archipresbyteri sancti Petri decens et ampla, quam vetustate consumptam restituit Richardus Cardinalis constantiensis, qui fuit archipresbyter sancti Petri, ut ex hisce versibus liquet:

Quam bene stare vides, quondam disiecta iacebam,
  Et decus hoc facies fert modo culta novum.
Richardus normanna tuus Constantia praesul
  Cardinei struxit gloria magna togae.
Presbyter et veneto Paulo regnante secundo
  Primus in hac Petri qui fuit ecclesia.
    An. MCCCCLXX.

Porticus ante basilicam, peristyliis ante et a lateribus dirutis, aut aliis aedificiis conclusis, aream habet tantum quadratam. In angulo sinistro versus plateam, ubi olim fuit sanctae Mariae in Turri aedicula, adhuc superest turris campa-

naria. Sub porticu, quae respicit orientem coronae precatoriae, et sigilla plumbea apostolorum, et sudaria sacra venduntur. Ibidem adhuc reliquum est altare quoddam a dextera huius porticus. Tectum ligneum fecit Alexander VI. Ex porticu inter tres alias portas, area sive impluvium visitur, quod paradisus dicitur, totum quadris lapidibus stratum. Sinistra pars antiquae porticus aedificiis palatii vaticani ab Innocentio VIII. inclusa est, quae Pius IIII. restituit. Dextera clauditur domo archipresbyteri, Iulii II. sacello, et aedibus altaristae. A qua parte ingredientibus paradisum, occurrit aedicula parva, post eam sepulcrum operculo porphyretico coopertum Othonis imperatoris ex variis marmoribus factum. In medio areae est suggestus octo e columnis porphyreticis, tecto aeneo ornatus, in quo iacet aerea pinea elegantissima, supra cuius zophorum sunt arcus cancellati, pavones, delphini, et alia aerea ornamenta cum his litteris A Ω. Hunc suggestum, quem Bibliothecarius cantharum vocat, aedificasse Symmachum papam supra scripsimus, prope quem extant adhuc vas magnum rotundum aereum, et antiquus porphyreticus lacus. Supra interiores porticus picta est e musivo opere Christi navicula cum hoc epigrammate:

Quem liquidos pelagi gradientem sternere fluctus
Imperitas, fidumque regis, trepidumque labantem
Erigis, et celebrem reddis virtutibus almum,
Hoc iubeas rogitantte, Deus, contingere portum.

In porticu, quae superest ante ecclesiam, iussu Martini V. picta fuit apostolorum Petri et Pauli vita. Ea porticus sustentatur decem columnis et duabus parastatis in utraque extremitate. Media est parva porta, supra quam sancti Petri sedentis imago extat cum tegmine duabus porphyreticis columnis munito. In intercolumniis sunt duae veteres Christi et beatae Virginis imagines miraculis clarae, illuc e muris veteris ecclesiae translatae. Tectum ligneum imbricatum porticûs renovavit Nicolaus V. Basilicae modo extant septem portae; media, cuius fores sunt aeneae ab Eugenio IV. papa factae, de quibus supra dixi. Supra eandem portam extant catena et hasta, quae vexilla videntur fuisse, item signa militaria tria. Proxima huic

a dextro latere alia minor porta Ravenniana consequitur, vexillorum hostis, et serra ferrea suspensis ornata, quae spolia Xysti IIII. papae tempore capta a classe ecclesiastica apud Smyrnas, et aliquot Turcis occisis, Romam delata fuerunt, et ad eius perpetuam memoriam conservandam ibidem affixa. Prope eam portam est alia minor dicta Iudicii, quae ecclesiam vetustissimam sancti Gregorii olim, nunc sanctae Mariae de febre dictam, respicit, quae antiquitus secretarium fuit, ut supra dixi; in qua sunt duo peristylia ex utroque latere quatuor columnis sustentata, sex insunt altaria totidem in sacellis locata, maius, duo ex uno latere, et tria ex alio, in quorum novissimo extat admirabilis artificii imago beatae Virginis filium mortuum amplectentis, ex uno lapide marmoreo, divina Michaëlis Angeli Bonaroti manu facta, impensa Iohannis Cardinalis sancti Dionysii, quem oratorem Gallorum regis Alexander VI. papa purpura anno MCCCCXCIII. insigniverat. Ab alio portae mediae sive argenteae latere, palatium versus extant duae minores portae, romana, et guidonea novissima, quae porta sancta dicitur e pulcherrimo marmore facta, quam ineunte anno iubilaei Pontifex romanus aperire, eoque exacto claudere solet, quod etiam haec inscriptio supra posita docet. « Iulius III. pontifex maximus portam hanc aperuit, et clausit anno iubilaei MDL, apertam prius ab Alexandro VI. anno MD, et a Clemente VII. anno MDXXV.» Haec porta intra ecclesiam habet operculum marmoreum e musivo ornatum, duobus columnis vitineis fultum.

His explicatis, basilicam ipsam ineamus, et primum uti nunc superest eam describamus, post de his quae supersunt altaribus dicemus. Dimidiata basilica, quae nunc superest, habet quinque porticus, quas naves vocant, mediana omnium maxima eximiis XI. marmoreis columnis, et duabus parastatis, portas versus sustinetur. Peristylium marmoreum musiveis signis decoratum, cum romanorum Pontificum imaginibus. Supra zophorum usque ad tectum tota est ornata picturis vetustissimis. Fenestras maximas habet in laterum parietibus; in fronte sex habet, interpositis Cimabui egregii suo tempore artificis figuris. Secundi et minores parietes totidem minoribus colum-

nis marmoreis fulciuntur, tot fenestras supra se habentes, quot sunt intercolumnia. Extremi parietes basilicae olim toti lapideis tabulis incrustati fuerunt, quorum vix hodie vestigia supersunt. Pavimentum totum marmoreis tabulis magnis stratum est. Habet quatuor circulos marmoreos; primum in porticu ante portam ecclesiae porphyreticum; secundum intra limen, aegyptiacum; tertium, porphyreticum ante aram sacramenti; quartum, aegyptiacum ante portam basilicae novae, cui supra scriptum est. « Paulus iii. pontifex maximus. » Vetus basilicae pars a nova amplissimo muro dividitur, quem Paulus III. fecit. Haec de basilicae vaticanae parte, quae superest, in universum.

Nunc speciatim reliqua perscrutemur, et primum de altaribus dicamus. In dextro peristylio maiore et intercolumnio medio ecclesiae est altare sanctorum Simonis et Iudae a Xysto IIII. structum, in quo sanctissima eucharistia conservatur. Supra illud est suggestus marmoreus deauratus, duabus columnis vitineis munitus. A sinistro latere in extrema quae superest basilicae parte, est organum amplissimum deauratum, quod sex columnis porphyreticis fulcitur, cui subiacet altare beatae Virginis, quam pinxit Iottus egregius suo tempore pictor, sub quo est corpus beatae Petronillae ex eius sacello diruto illuc translatum. Quod altare Richardus Cardinalis constantiensis centum annis ante restituerat. Prope hoc altare est imago aenea sancti Petri apostoli sedentis clavesque manu tenentis, ab eodem Richardo basi marmorea exornata; prope quam muro affix est devotissima imago sancti Salvatoris nostri Iesu Christi ab eodem Iotto facta cum hoc elogio: « Instinctu pietatis hanc Dei, eiusque Genitricis imaginem, quam Iottus pinxit, ex huius sacratissimi templi ruinis disiectam eripuit, atque in hunc locellum sic totum aere ornatulum, Nicolaus Acciaiolus iurisconsultus patriciusque florentinus. Pariterque ex privilegio olim ab avo eius concesso, insigni equite Donato Acciaiolo, huius almae urbis tunc senatore romano, cuius posuit sibi posterisque suis, sedente Paulo III. pont. max. MDXLIII. » Retro organum sepultus est lateritio ad tempus tumulo Paulus III.

His expeditis, altaria basilicae, quae parietibus adiacent, explicemus; exordiamur autem ab his, quae inter portas col-

locata sunt. Inter portam argenteam mediam et romanam in ipsa media ecclesiae navi est altare, quod nunc sanctae Annae vocatur, celebratum a societate parafrenariorum Cardinalium sanctae romanae ecclesiae et ab ea ita vocatum, cum antiquitus sancti Spiritus, vetustissimis vero temporibus sanctorum Philippi et Iacobi vocaretur. Inter portam romanam et peristylium columnarum in eadem media navi est altare novum translatum ex vetere ecclesia, quod sanctorum apostolorum Petri et Pauli dicitur, in quo est lapis super quo corpora ipsorum apostolorum a sancto Silvestro papa fuerunt divisa, ut ex hac inscriptione liquet, quae ibi est in tabula marmorea: « super isto lapide porphyretico fuerunt divisa ossa sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et ponderata per beatum Silvestrum papam anno domini CCCXIX. quando facta fuit ista ecclesia. » Habet id altare imaginem sancti Mauritii et gradum porphyreticum. In minori nave inter peristylium et portam guidoneam, est altare incognitum cum insignibus Ursinorum, quod antiquitus, ut ex Petro Manlio et Maph. Vegio intelligitur, sancto Tridentio dicatum fuit. In eadem navi inter portam guidoneam et peristylium intus extat altare, quod nunc sancti Erasmi, antiquitus sancti Antonini, dicebatur, ut ex eisdem auctoribus constat. In extrema navi ante portam sanctam est altare Sudarii, cui imminet suggestus marmoreus elegans quatuor columnis munitus. In eo Sudarium sanctissimi Salvatoris nostri Iesu Christi, et lancea, qua eius latus perforatum fuit a milite, quando sanguis et aqua exivit, conservantur. Eam lanceam Baiazetus Turcarum imperator Innocentio VIII. papae dono dedit, qui fratrem eius sultanum Geme in custodia habebat. Id oratorium a Iohanne VII. factum, totum adhuc musiveis imaginibus pictum, et tabulis marmoreis incrustatum est.

Ab eodem latere inter sepulcrum Innocentii VIII. aereum, et Pii IIII. lateritium, est altare beatae Virginis illuc ex ruinis veteris templi translatum, et ab Innocentio VIII. dedicatum, cum marmoreo operculo parastatis marmoreis munito, cui ipse Pontifex lanceam Salvatoris imposuerat, quae postea ad sanctum Sudarium translata est. Sequitur postea aliud altare Crucifixi,

quod inter sepulcra Pauli II. et Nicolai V. collocatum est. In extrema basilica pilo antiquo marmoreo iacet Marcellus II. A dextro latere inter portam argenteam sive mediam et portam ravennianam, est altare, quod nunc mortuorum, antiquitus sanctorum Simonis et Iudae dicebatur, quod Xystus IIII. papa transtulit ad mediam basilicam in intercolumnio, ubi nunc sanctissima Eucharistia conservatur: Id altare cancellis munitum est cum insignibus Innocentii VIII, habetque lapideum operculum, sive ciboriolum cum clavibus et clypeis Ursinorum et alterius mihi incognitae familiae. Inter portam ravennianam, et peristylium ecclesiae, in maiore navi sequitur altare sancti Bonifacii III. a papa Bonifacio VIII. exstructum, quod nunc dicitur sanctae Catharinae. Habet id altare suggestum marmoreum cuspidatum more germanico et cum ferreis cancellis, qui fixi sunt supra bases marmoreas vermiculatas. Ibidem sepultus Bonifacius VIII. Inter portam Sudarii et peristylium intus est est altare novum sanctorum apostolorum Petri Pauli et Andreae cum hac inscriptione: «Guillelmus de Pereriis auditor hoc altare Deo et sanctis apostolis dedicavit anno MCCCCLXXXXI. In ultima versus parietem navi, extat altare sanctorum Andreae apostoli et Gregorii papae, sub quo eiusdem doctoris corpus a Gregorio IIII. sepultum fuit. Supra altare est suggestus marmoreus quatuor columnis munitus, in quo est tabernaculum ubi Pius II. caput Andreae apostoli ex Peloponneso advectum locavit.

Circa id altare sunt sepulcra Gregorii V. Pii II. et III. et lateritius tumulus Iulii III. Id sacellum nunc pro secretario in Pontificis coronatione usui est, totus cancellis marmoreis per intercolumnia et testudine lateritia a Pio II. facta conclusum. In eo loco sunt cubicula mulierum sanctimonialium, quae muris clausae perpetuam Deo ibidem servitutem vovent. Sequitur ab ea parte oratorium et altare sancti Thomae cum baptisterio, quod est in pilo marmoreo, olim Probi praefecti praetorio sepulcro. In eo sepulti sunt Innocentius VII. et tres Cardinales. Post eum est chorus canonicorum cum ligneis sedilibus triplici ordine pro tribus clericorum generibus institutus, et altare in sacello a Xysto IIII. constructo, in quo ipse et Iulius II. sepulti

sunt. In huius chori postica parte porta est, qua in sacrarium itur. In pariete novo a Paulo III. facto, inter basilicam veterem et novam, sunt altaria, duo in parte dextera scilicet beatae Virginis et Crucifixi, et totidem in parte sinistra beatae Mariae, et sanctae Luciae, cuius aediculam in ea parte aliquando fuisse supra ostendimus.

C A P. III.

De sancta Maria de febre alias sacrario sancti Petri.

Sacrarium sancti Petri, quod antiquitus S. Maria de febre vocabatur, est octangulum testudinatum cum tecto lateritio; pavimentum marmoreum multis defunctorum tabulis refertum habet, totum a Nicolao V. restitutum. Habet octo sacella sive absidulas muro inclusas egregia arte factas. Prima absidula portam sive ingressum habet: in altera, dextera introeuntibus, est ara sanctae Trinitatis, in qua sepulti sunt Alexander VI. papa, et Henricus Borgia cardinalis ipsius pronepos a Paulo III. creatus. Tertia et quarta habent armaria, sive pluteos, quibus res sacrae reconduntur. In quinta est altare Crucifixi, sub quo reconditum est corpus sancti Iohannis chrysostomi archiepiscopi constantinopolitani, in quo aliquando fuit Crucifixus argenteus a Carolo magno basilicae vaticanae donatus, quo in pios usus converso, alius ei similis ligneus factus est. Sexta absidula continet armaria VII, sepulcrum que marmoreum Callisti III. papae cum hoc epitaphio. « Callistus papa III. » in quo presbyteri sacra facturi sacris vestibus amiciuntur. Octava continet altare reliquiarum, et parvam bibliothecam multis libris refertam. Insunt in hoc sacrario multa aurea argentea et serica ornamenta, imagines, candelabra, vestes sacrae et ecclesiasticae. Quot absidas habet, tot fenestras habuit, tres clausas, quinque apertas. Tota ecclesia est ligneis tabulis tessellatis cooperta. Extat in ea imago Pauli IIII. cum hoc elogio:

« Memoriae aeternae Pauli IIII. pont. opt. max. christianae legis antistitis, religionis vindicis, libertatis assertoris, sanctissimi ac piissimi principis, patris patriae, D. N. clementissimi,

quod iustissima eius sententia antiquatis superiorum principum decretis, vaticanae basilicae veteris patrimonii praedia, quae temporum iniuria iniusto imperio detinebantur sunt restituta, princeps ordo canonicorum omnibus in consilio idem decernentibus, decreto in tabulas relato, ac votis communiter susceptis, communique aere collato ad augendam loci gratiam statuam collocavit, quotannisque decimo kal. iunii christiano more riteque sacrificium fieri censuit; eoque facto a basilicae vectigalium quaestore pecuniam paratam, basilicanis, qui sacris praesto fuerint, pro sacerdotii gradibus, viritim constituit dari. »

C A P. IIII.

De basilica nova, quae modo facta est.

Basilica nova, quae nunc aedificata est, quadrangula fere speciе esse videtur. Lata pedes CCCCXC, habet tres naves maiorem et laterales minores cum absidibus, transversam, crucem cum duabus aliis absidibus ex utroque latere, et maiorem absidam quam tribunam vocamus. Tres naves, crux, absidae maior et laterales oppositae, iam testudinatae sunt emblematibus gypseis fenestrisque amplissimis ornata. Tholus medius, quem cupulam vocant, maximus, adepol et ad caelum pertingens, usque ad zophorum marmoreum extremum perductus est. Confessio, ut dicimus, nondum est extructa. Basilica ipsa omnium, quae toto terrarum orbe fuerunt amplissima, tota e lateribus coctis facta est, tiburtino lapide extra crustata, mirabili arte, immenso sumptu. Sub tholo a dextero latere est ingens marmoreum Pauli III. sepulcrum, a sinistro delubrum cum columna, quam Christi vocant, cum hac inscriptione: « Haec est illa columna, cui Dominus noster Iesus Christus dum populo praedicaret, et Deo patri preces in templo effunderet innitebatur, quae una cum aliis undecim hic circumstantibus de Salomonis templo, triumphaliter in hac basilica collocata fuit: daemones expellit, et ab immundis spiritibus vexatos liberos reddit, et multa quotidie miracula apud ipsam patrantur. Per reverendissimum patrem ac dominum Cardinalem de Ursinis ornata fuit an. domini MCCCCXXXVIII. »

Absides dextera et sinistra inter se oppositae pares sunt, et tria continent altaria, in medio, et ab utroque latere navis: maior absis media habet altaria duo. Naves duae laterales minores, quae ante utrasque absidas minores a lateribus ex opposito sitas, deductae sunt, habent singulae altaria tria, unum in extremitate, duo a lateribus, et aliquot praeterea delubra. Ante crucem sunt duo alii arcus, et sacella, quibus ex maiori navi iter est in minores, cum duobus ex utraque parte altaribus. Altarium tympana maximis columnis et capitulis corinthiis pulcherrimis fulciuntur. In media ecclesia sub maiore tholo extat altare sancti Petri, undique muris retro veteris templi, ante novis munitum: habet peristylium cum sex columnis vitineis ante confessionem: porphyreticis gradibus ad id altare ascenditur, quatuor columnis operculum marmoreum substinentibus ornatum, ut alibi dixi.

CAP. V.

De palatio sancti Petri.

Supra scripsimus Symmachum papam episcopia ad sanctum Petrum fecisse, Nicolaum III. palatium condidisse, Urbanum vero V. urbis leonianae muris restitutis id amplificasse. Ceterum neque forma, neque magnitudine ei, quod nunc superest respondebat. Primus Bonifacius IX, Hadriani mausoleo munito, et arcis instar fabricato, cum firmam sedem apud sanctum Petrum constituisset, nobilissimi palatii fundamenta iecit. Supersunt adhuc aliquot eius aedificationis cubicula, eius amplitudinem pro temporum conditione referentia. Sedato schismate, Martinus V. et Eugenius IIII. vaticanum palatium auxerunt. Nicolaus V. sacella duo fecit, quorum unum sancti Nicolai a Paulo III. dirutum est, aliud sancti Laurentii, quod adhuc superest, atque cameras, triclinia, et cubicula multa fecit. Pius II. muros, cubicula, et alia multa fabricavit. Paulus II. II. porticus palatii inchoavit. Xystus IIII. prosequutus est, bibliothecamque et sacellum palatinum fecit. Innocentius VIII. porticus perfecit, domumque innocentianam, villam quae dici-

tur pulcra visio, et portam palatii fabricavit. Alexander VI. turrim borgianam, et maenianum ante domum Innocentii. Iulius II. atrium, quo villam palatio coniungeret, incboavit. Leo X. perfecit triplices porticus, et cubicula struxit. Paulus III. duo sacella. Iulius III, et Paulus IIII. cameras supra atrium. Novissime Pius IV. omnes superiores Pontifices fabricarum excellentia vicit, villa pulcrae visionis restituta, theatro vaticano, nymphaeo, turri, porticibus, et toto denique palatio renovato; cuius egregii Pontificis memoriam quam diuturnam fore speramus. (1)

C A P. VIII.

De Urbe leoniana, sive Burgo sancti Petri.

Vaticanum antiquitus extra Urbem fuisse, nemo dubitat. Mausoleo Hadriani condito, exigua quaedam muri pars ab eo usque ad pontem vaticanum sive triumphalem circumducta fuit, ne urbs eo ponte pervia hostibus esset; ea maenia, quibus imposita est Amelia porta, haud longe a Tiberi se non extendebant, ita ut basilica sancti Petri in Vaticano condita, diu extra Urbis muros fuerit, a Constantino scilicet usque ad Sergii II. obitum, per annos plus minus quingentos triginta. Quo tempore a Saracenis, qui Africa egressi cunctam Italiam misere vexabant, basilicae apostolorum Petri et Pauli de improviso captae sunt, et suis ornamentis spoliatae. Eam rem attendens Leo IIII, qui Sergio successit, basilicam sancti Petri ut viciniorem et digniorem muro cinxit, de qua re quid apud veteres, et praesertim Bibliothecarium invenerim, eorum verbis citatis afferam. Et primum miraculosam ignis extinctionem aperiam, quae eiusdem Leonis IIII. temporibus circa basilicam sancti Petri accidit, de qua ita scribit Bibliothecarius. « Exordio pontificatus Leonis IIII, Saxonum vicum validis ignis invasit, qui flammarum virtutibus cuncta comburere coepit, ubi populorum multa congregata sunt agmina, quae huius incen-

(1) Omittimus capitula VI. et VII. de bibliotheca vaticana, et de bibliothecariis apostolicae sedis, utpote iamdiu edita

dii flammas volebant extinguere, sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aëre cuncta comburens atque comminuens, ita ut propius beati Petri apostolorum principis basilicam perveniret, Saxonum Longobardorumque domos ac porticum concremans atque diripiens. Quo audito ipse almificus pontifex Leo IIII. anxius illic celeri cursu profectus est; et obvius ante ignis impetum se praeparavit, dominum deprecari coepit, ut ipsius incendii flammas extingueret, et crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, beati virtutem ferre non valens pontificis, extinctas flammas redegit in cineres. »

Bibliothecarius in Leone IIII, Saracenorum depredationem, ita etiam commemorat. «Mortuo Sergio II. papa, ecclesiae beatorum apostolorum Petri et Pauli a Saracenis funditus depraedate sunt, qua calamitate omnis Romanorum virtus elanguit, et vigor contritus est.» De muro a Leone IIII. facto ita tradit. «Post priorem depraedationem basilicarum sancti Petri et Pauli apostolorum, Saraceni iterum easdem ecclesias et urbem spoliare constituerunt. Gens itaque illa saeva tunc Romam venire coepit reminiscens pristinum lucrum et praedam, quam fecerat, etiam multiplicata iterum perversorum omnium manu, multisque cum navibus ad urbem romanam duodecima indictione venire crudeliter decreverunt, multisque etiam diebus commorantes in loco, qui Coratum dicitur, iuxta insulam Sardiniae, exire nullo modo potuerunt. Quorum iniquus ac nefandus adventus non mediocriter Romanos terruit. Sed Deus omnipotens, qui ecclesiam suam semper inviolatam custodivit, et deinceps custodire non desinet, excitavit tunc inter ceteros omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Caietanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere ac dimicare fortiter debuissent. Mox enim a locis propriis egressi ante Saracenos, ipsi cum suis navibus coniunxerunt, suumque repente adventum beatissimo Praesuli notum fecerunt, et se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de Paganis, Domino auxiliante victores existerent. Tunc demum venerabilis ipse aliquantos ex eis prius ad se Romam venire praecepit, volens ab eis specialiter scire, utrum eorum paci-

ficus esset adventus, an non, sicque factum est; inter quos tunc filius Sergii magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Caesarius advenit, quos benigne in palatio lateranensi suscipiens, causam pro qua venerant inquirit; illi autem se ob aliud non venisse testati sunt, nisi ut superius legitur exaratum. Quorum pius apostolicus credulus verbis, cum magno exercitu et armorum procinctu, mox civitatem Hostiam properavit, omnesque cum gaudio suscepit. Illi autem videntes summum praesulem, omnes osculari coeperunt pedes eius. Summus autem praesul in ecclesia beatae Mariae celebravit, omnibusque corpus dominicum tradidit, atque orationem post perceptum corpus super eos donavit. « Deus, cuius dextera beatum Petrum apostolum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, et coapostolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede ut amborum meritis horum fidelium tuorum brachia contra inimicos sanctae tuae ecclesiae dimicatura, omnipotenti dextera tua corroborentur, et convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. »

Die vero altera, postquam praedictus Pontifex reversus a iam praedicta civitate, ipsi sceleratorum socii, sive participales, iuxta latus maris hostiensis multis cum navibus pervenerunt. Praefati autem homines super illos impetum facientes, omnes superaverunt orationibus apostolorum, et sancti praesulis, ex quibus per quasdam insulas nostras fame laborantes atque penuria, plurimi a nostris interfecti sunt; ceterum alios vivos causa veritatis ac testimonii, comprehendentes Romam duxerunt; quorum romani proceres, ne multiplicatus numerus videretur, multos prope portum nostrum romanum in ligno suspendi iusserunt: aliquantos enim nos ferro constrictos vivere iussimus causa misericordiae, quam ob Deum habemus: et posthaec ne otiose aut sine angustia apud nos viverent, aliquando ad murum, quem circa ecclesiam beati Petri incoeptum habebamus, aliquando per diversa artificum opera, quicquid necessarium videbatur, per eos iubebamus deferri. Obtulit idem praesul post depraedationem gentis Agarenorum mul-

ta dona beato Petro apostolo, aliisque ecclesiis. Fecit etiam ibi campanarium, in quo posuit campanam cum malleo aereo, et crucem exauratam. Post victoriam denique saevae gentis Agarenorum aedificavit civitatem, quam suo nomine vocari praecepit, atque super portam, quae respicit ad sanctum Peregrinum, orationem istam descripsit. « Deus qui apostolo tuo Petro collatis clavibus regni caelestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede ut intercessionis eius auxilio a peccatorum nexibus liberemur; et hanc civitatem, quam noviter te adiuvante fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum manere securam, et de hostibus, quorum causa constructa est, novos ac multiplices habere triumphos. Per etc. » Secundam vero scripsit super portam posterulam, quae sita est iuxta castrum sancti Angeli. « Deus, qui ab ipso huius mundi exordio hanc sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam romanam ab hostibus custodire et conservare dignatus es, iniquitatis nostrae chirographum propitiatus emunda, et civitatem hanc, quam tuo sancto nomini per apostolorum tuorum Petri et Pauli suffragia noviter dedicavimus, ab omnibus inimicorum insidiis securam semper atque imperterritam manere permitte. Per etc. » Tertiam vero orationem scripsit super posterulam, quae respicit ad scholam Saxonum. « Praesta quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro apostolo tuo, tuae pietatis indulgentiam consequamur; et civitatem hanc, quam ego famulus tuus Leo quartus episcopus, te auxiliante novo opere dedicavi, meoque nomine leoniana vocatur, ut semper illaesa maneat ac secura, apud clementiam tuam iugiter exoramus. Per etc. » Quamobrem secundo sui praesulatus anno praefata civitas sumpsit exordium, et in sexto suae consecrationis anno civitas undique consummata est. In illa itaque die pax et laetitia maxima fuit clericis et proceribus omnibus.

Hac itaque civitate expleta, condolebat praesul, quod minime populus sibi erat ibi ad habitandum. Eodem igitur tempore advenit populus Corsorum, qui propter metum gentis Agarenorum civitates suas et terras ac possessiones reliquerat, cui cum nimio gaudio hanc civitatem summus praesul do-

navit, multisque divitiis ditavit, ac multas possessiones eis contribuit. Hanc rem ita commemorat Maphaeus Vegius libro secundo de rebus memorabilibus basilicae sancti Petri. « Leo IIII. papa basilicas sanctorum apostolorum Petri et Pauli tempore suae electionis a Saracenis depraedatas et devastatas egregie reparavit. Ostiae et Portus muros a barbaris dirutos non modico sumptu restituit, et in sancti Petri basilicae defensionem ac munimen, gloriosum opus magno animo, maiore expensa fecit. Muros enim Burgi inchoavit, perfecitque sexto demum anno, qui una ex parte ad arcem usque sancti Angeli, ex altera autem usque ad hospitale sancti Spiritus, clauso intra superiore monte, praetenduntur. Unde et totum ipsum ambitum civitatem postea leonianam a nomine conditoris appellarunt. Quos cum semirutos noviter Nicolaus V. denuo extrueret, aggressus rem longe etiam maioris animi atque impensae, sed praestantem admodum, ac praestante illo Pontifice vere dignam, interrupto medio ipso opere defunctus est. Cessit autem illud tantae saluti non modo basilicae sancti Petri, sed ipsi etiam urbi Romae, ut barbarae gentes, quae multoties illi insultantes basilicam tamquam aptiorem nequitiae eorum nidum occupare consueverant, erectis deinceps muris deterriti, a solita excursione insultationeque abstinuerint. Neque necesse fuerit, Carolum magnum, qui ad opem ferendam accersitus, egregie eam ab omni vi iniuriaque tutatus est, aut alium quempiam praepotentem regem defensionis causa advocare; unde etiam, sicut memoriae proditum est, recte videantur antiquiores Romani contra Etruscorum impetum hunc locum, utpote hostili impugnationi aptum, ex responso vatum, unde et Vaticani nomen accepit, occupasse. Non sum vero ignarus sculptos esse quosdam versus supra portam, quae tangit arcem sancti Angeli, atque alios supra portam Viridariam, qui vulgo passim habentur, qui et eius tanti operis ipsum Leonem IIII. auctorem fuisse significant; sed quoniam prorsus inepti sunt, non dignos putavi, quos hic insererem. Ceterum quoddam epigramma prosa solutum minime contemnendum, quod ego, cum penitus ignoraretur prae nimia vetustate corruptum, ac quasi obcaecatum, politum tamen integrumque exscripsi, insculptum la-

pidibus tiburtinis super porta ipsorum murorum, contigua arci sancti Angeli dignius credidi heic inserendum; ex quo intelligimus et muros ipsos tunc a pontifice Leone erigi coeptos, et barbaros etiam cum iterum insultum fecissent victos, simulque ad ipsum murorum opus damnatos. Verba eius sunt haec. «Cum voluisset iterum contra Romanos malivola Saracenorum gens bella excitare, ut prius, depraedationesque inferre, quosdam Deo permittente maris tempestas absorbuit, quosdam vero romani milites vivos ceperunt, atque ob laudem aeternamque memoriam plures ferro vinctos in hoc tam honesto opere diversos perferre labores coëgerunt. Hoc siquidem novum miraculum sanctissimi Leonis papae IIII. temporibus, et invictissimi domini Lotharii imperatoris semper augusti, Dominus fecit. »

Nec omittendum videtur decretum quoddam ipsius Leonis IIII. insculptum tabulae marmoreae in templo sancti Michaëlis non longe a basilica sancti Petri, in quo non quidem erectionis murorum (nam nondum erigi coeperant) sed insultationis barbarorum, occupationisque basilicae sancti Petri, nec non et defensionis a Carolo magno factae, inter cetera fit mentio, cuius partem, quae proposito nostro conducit heic quoque subdere dignum duxi huiusmodi. « In nomine Domini, tempore Leonis papae IIII, imperante Carolo magno imperatore, eo tempore quo Petri basilica a Saracenis capta fuerat, tunc denique pro totius mundi capite turbato, totus mundus turbatus, omnis Gallia cum rege Carolo ad tuendam illam venerunt: unde contra inimicos Domini bella Domini decertando quidam mortui sunt, et in crypta iuxta Neronis palatium sepulti: eodemque tempore a Leone papa, et rege Carolo ad honorem Michaëlis archangeli super illos facta est ecclesia. His ita peractis rex in Apuliam abiit, eamque beato Petro et Romae subiugavit etc. Nec inutile fuerit haec commemorasse, ut manifestior fieret huius Leonis IIII. non tam erga basilicam sancti Petri amor et beneficentia, quam summa etiam in agendis magnis rebus sapientia et animi celsitudo. Cuius exemplum secuti ceteri Pontifices, quorum fuit semper ingens studium basilicam sancti Petri maximis commoditatibus, honoribus, et privilegiis augere, multa ei atque ampla dona contulerunt,

quam summo certe ante alias amore ac favore complexi sunt.

Primus igitur Leo IIII. basilicam vaticanam lateritio validissimo muro cinxit, et ab Hadriani mole per circuitum, usque ad flumen Tiberim, qua xenodochium sancti Spiritus respicit circumducto, qui murus diutissime perduravit, urbemque a se leonianam vocavit. Urbanus V. cum Avenione Romam aliquando venisset, vaticanos muros collabentes restituit. Bonifacius IX. mausoleum Hadriani primus romanorum Pontificum ad arcis instar aggeribus, fossis, muris, cubiculisque instruxit; qua re Pontificum ditionem Romae diu fluxam stabilivit. Nicolaus V. ad ingentes fabricas pronus cum ingentem absidam ad basilicae sancti Petri caput inchoasset, moenia quoque vaticana paene omnia temporum iniquitate quassata refecit, et turrim maximam fabricavit. Alexander VI. a palatio vaticano ad arcem sancti Angeli, intra veterem murum atrio sive ambulacro constructo, palatium arci adiunxit, quam latioribus propugnaculis et cubiculis amplificavit. Paulus III. novum et eximiae structurae murorum urbis leonianae ambitum a porta sancti Spiritus inchoavit, sed imperfectum reliquit. Pa us IIII. bello neapolitano terrea propugnacula amplissima circa arcem fecit. Vicerunt antecedentium omnium Pontificum fabricas, inchoata et paene perfecta a Pio IIII. civitatis leonianae moenia. Is enim animo excelso et plane regio rem maiestate pontificia dignam aggressus est. Nam urbem leonianam amplificatis muris totam novis moenibus cinxit, arcem sancti Angeli lateritiis amplissimis propugnaculis tutissimam reddidit, ut ingruente in Urbem aliqua hostili incursione, refugium turbato populo romano et curialibus essent. Tantum opus paene perfectum a successore Pio V. destitutum est.

FINIS.

EDITORIS MONITUM.

Infinitae doctrinae indefessique laboris vir Panvinius, post generalem tractatum de Christianorum ecclesiis, et singulares historias templorum lateranensis ac vaticani, aliarumque basilicarum (supra p. 180.), opus moliebatur condere peculiare de romanae urbis ecclesiis, monasteriis, sacrisque aliis eiusmodi locis; pro quo tamen nonnisi paginas aliquot, quantum ego vidi, morte occupatus reliquit, ubi nihil est aliud quam praedictorum locorum quidam indiculus, perbrevis aedepol, imperfectus, atque ieiunus. (Nam quod apud Roccabertum B. P. T. XVII. p. 536. inter Panvinii inedita scripta laudantur « libri decem de antiquis et recentioribus ecclesiis, monasteriis, coemeteriis et aliis piis locis urbis Romae » id, inquam, minime mirum est, si forte libri etiam de basilica vaticana comprehenduntur.) Ego vero vaticanos codices scrutans deprehendi L. A. Zacagnii, qui meus in vat. bibliothecae praefectura plus saeculo ante praecessor fuit, librum autographum, in quo res a Panvinio olim cogitata, longe uberius et doctius explicatur. Quum itaque ad sacras Urbis antiquitates cognoscendas, et demonstrandam Romanorum a divo Paulo laudatam pietatem nihil fere aptius, quam hoc opusculum, fore putarem, hanc illico occasionem arripui, ut latitantem iamdiu pretiosum codicem ad publicae lucis usuram producerem; ita tamen ut ab ipsa codicis scriptura ne latum quidem unguem discederem: neque enim mihi ad manus erant tot monumenta, et quidem saepe mss., quae Zacagnius laudat, neque otium tam operoso catalogo recensendo, atque ad trutinam exigendo superat. Alioqui Zacagnii diligentiam studiumque accuratum satis noveram. Quasdam tamen minime urbanas ecclesias a Zacagnio obiter memoratas, utpote argumento alienas, uncis inclusi. De meo, vix unum aut alterum segmentum attuli, etsi in editione curanda propter materiae amplitudinem et codicis difficultates non minimum laboravi. Reliquum est, ut christianarum antiquitatum, praesertim earum quae Romae sunt vel fuere, studiosi homines hanc quoque voluminis mei partem aequi bonique pro sua benignitate consulant.

ECCLESIARUM URBANARUM

EX ANASTASIO BIBLIOTHECARIO

ET ALIIS ANTIQUIS MONUMENTIS

MAGNUS CATALOGUS.



Simplices numeri, sine alicuius auctoris nomine, paginas indicant Anastasii bibliothecari editionis moguntinae in-4.

A

S. abba Cyri ecclesia prope turrim militiarum. Faunus l. 4. c. 8. Benedictus canonicus p. 143.

S. abba Cyri et Archangeli ad elephantum 237.

S. abba Cyri oratorium in xenodochio de Valeriis 203.

S. abba Cyri altare simpliciter 212.

S. abba Cyri oratorium via portuensi. A. Maius praef. ad tomum III. Spicilegii romani, cum auctoribus ab eo citatis.

S. abba Cyri oratorium via tiburtina 114.

SS. abba Cyri et Iohannis. Greg. IX. an. VI. ep. 143. Innoc. IV. an. 8. fol. 98. et 105.

— De eadem, et S. Mariae maioris ecclesia Greg. IX. an. 5. ep. 85. Vide Sergii et Bacchi.

SS. abba Cyri et Iohannis archipresbyter. Innoc. IV. an. 5. ep. 46. 453.

SS. Abdonis et Sennen ecclesia inter viam aureliam et portuensem. Mabillon annal. tom. 4. p. 501. 513.

SS. Abdon et Sennen coemeterium extra portam portuensem 165. Abdon, Sennen, et Candidae basilica et coem. Hadr. I. 170.

S. Adalberti et Paulini ecclesia in insula Lycaonia episcopo Silvae Candidae ad habitandum concessa. Iohan. XIX. ap. Ughel. tom. 1. c. 112. Bened. IX. ibid. c. 122. 138. d.

— Eidem ablata, et portuensi reddita an. 1. Leonis IX. Vide ibid. p. 145. a. Vide Bul. Greg. IX. ibid. 155. b.

— Ab Othone III. aedificata ibid. 145. b. Vide Ademarum in chronico apud Pagium an. 1000. n. 3.

S. Alexandri coemeterium et ecclesia. Vide coemeterium. Altare pro oratorio 187. terg.

S. Ambrosii hospitalis ecclesia non longe ab hospitali S. Iacobi prope conventum S. Mariae de Populo. Burcard. diar. Alex. VI. in ms. tom. 2. fol. 149. Eandem esse puto ac hospitale S. Ambrosii Langobardorum, cuius mentio ibid. die 23. aug. an. 1497. ubi de funeralibus Card. de Lunate, et die 8. decembr. eiusdem anni ubi de funeralibus Card. Parmensis.

S. Anastasiae titulus 351. restauratus a Leone III. 176. 188, donis auctus 200, ecclesia ditata a Greg. IV. 239.

S. Anastasiae, ubi clerici. Iohan. Buccamatius Card. tusculanus in testamento suo an. 1309. inter Panvinii schedas de Card. in arch. secr. p. 54.

— In foro boario, ubi olim templum Herculis. Anon. de Urbis antiquitatibus in cod. urb. n. 410. f. 187.

S. Anastasii abbatia. Honor. III. an. 2. f. 272. terg.

S. Anastasii ad Aquas Salvias monasterium 301.

S. Anastasii ad Aquas Salvias. Bullar. Casin. tom. 2. cons. 112. 150. et 25.

S. Anastasii ad Aquas Salvias unita ecclesia S. Mariae de Palatiolis vulgo la Palazzuola dioeceseos Albanen. Innoc. IV. an. 1. ep. 392.

S. Anastasii basilica 315. Monasterium 188. 201. 241. 260. Combustum cum ecclesia et baptisterio restituit Hadrianus I. 173. Vide Aquae Salviae monast.

S. Andreae ecclesia 274. Oratorium in diaconia antiqua, nisi error codicis est 204.

S. Andreae quod Barbarae dicitur monasterium, S. Mariae ad Praesepe vicinum 95. Vide S. Andreae Catabarbara.

S. Andreae basilica Catabarbara patricia, restaurata a Leone III. fortasse vaticanae propinqua 207.

S. Andreae apostoli basilica iuxta basilicam S. Mariae ad Praesepe p. 40. 199. iuxta cod. ms. Vide p. 204.

S. Andreae iuxta S. Mariam maiorem hospitale. Iohan. Buccamatius Card. tusculanus in testamento an. 1309. inter Panvinii schedas de Card. in arch. secr. p. 54.

S. Andreae post Praesepe, nunc intra atrium ecclesiae S. Antonii. Vide Mabillon iter ital. p. 93.

— Monasterium erat saecularium tempore Sixti IV. Iac. Volater. diar. ms. fol. 28.

pae 201. Addictum lateranensis ecclesiae servitio, Hadriani I. iussu 166.

SS. Andreae et Viti ecclesia. Vide S. Scholasticae.

SS. Andreae et Sabae monasterium. Innoc. IV. bulla apud Ughel. t. 1. col. 300.

S. Andreae in Silice in via appia, trigesimo ab urbe miliario, cum baptisterio et porticu, restauratur a Leone III. 186.

S. Andreae oratorium via lavicana 88.

S. Andreae vulgo de la Valle tholus picturis ornatus an. 1627. mense iunii. Avvisi del 30. giugno, ubi legitur pontificem Urbanum VIII. die 28. iunii eas nuper absolutas visum ivisse.

— Coepta ecclesia aedificari a Card. Gesualdo, et a Card. Montalto magnificentius exstructa Av. prim. maggio 1603. et ult. apr. 1608.

S. Andreae Casalis receptionis memoria prope pontem Milvinm Romam versus, ubl nunc S. Andreae statua in aedicula habetur. Vide continuationem diariorum Alex. VI. per Burcardum in cod. urbin. die X. sept. 1503.

S. Angeli castellum 280. inter caelos ob eius altitudinem dictum. Glaber. hist. eccl. l. 1. c. 4. tom. 4. Duchesnii p. 7. a.

S. Angeli in Fabiano 188.

S. Angeli in foro piscium. Vide Michaëlis.

S. Angeli in foro piscium Prior. Innoc. IV. an. 5. ep. 399.

S. Angeli iuxta templum Iovis vocatur in epistola decima Anacleti antipapae.

S. Angeli in foro Piscario, veterem Ianum fuisse male opinatur. Ligorius fol. 50.

S. Angeli in piscibus, canonicus Iohan. Cincius Innoc. IV. an. 1. ep. 20.

S. Angeli in Macerello prope montem Iordanum in via papali. Gio. Giacomo Penni relazione della cavalcata di Leone X. nel pigliare il possesso, nel cod. stampato vat. n. 2107. fol. 232.

S. Angeli hospitale prope Lateranum, a quo hodiernum hospitale initium sumpsit. Illi antiquitus unitum erat aliud hospitale S. Iacobi de Coliseo, ut dicitur in statutis soc. archihospitalis Lateranen. quae ms. extant in archivio eiusdem, quod guardiani debeant hospitalia visitare. Sancita esse dicuntur statuta ista an. 1338.

(S. Angeli in monte Gargano ecclesiae inventio sub Gelasio p. 42.)

S. Antonii ecclesia in Hadrianae arcis amplificatione a Paulo IV. occasione belli neapolitani demolita. Vide acta diurna vulgo avvisi an. 1556. in bibl. vat.

S. Antonii ecclesia prope S. Mariam maiorem. Vide S. Andreae.

S. Antonii ecclesia prope S. Mahuti ecclesiam. Vacca relat. ant. rom. n. 91.

S. Antonii. Martinus Polonus pag. 45. ait palatium Catilinae, ubi est ecclesia S. Antonii, iuxta quem est locus qui dicitur infernus. Nicol. autem Signorilis in ms. cod. vat. 3536. fol. 17. terg. ait palatium Catilinae in palatio ubi est ecclesia S. Mariae de inferno. Vereor itaque ne pro ecclesia S. Antonii, templum Antonini et Faustinae perperam acceperit. Vide S. Mariae de inferno.

(S. Antonini in monte Portulo, hodie monte Portio. Petr. diac. chron. Casin. l. 3. c. 59.)

S. Apollinaris ecclesia. Innoc. IV. an. 5. ep. 845.

S. Apollinaris basilica 164. 190. 199.

S. Apollinaris, non in Apollinis templo, Ligorius fol. 47. terg. Archipresbyter et canonici. Innoc. IV. an. 5. ep. 845. Vide S. Laurentii in Lucina.

S. Apollinaris oratorium 44.

S. Apollinaris oratorium a Symmacho aedificatum annales veteres a Cuspiniano de coss. laudati ad an. 510.

S. Apollinaris in porticu B. Petri, quae appellatur Palmata vel Palmaria, ab Honorio I. condita 65. Ab hac ad S. Petrum omnibus sabbatis litania fiebat, ibid.

(S. Apollinaris basilica Ravennae 110. 211.)

SS. Apostolorum titulus Eudoxiae ad Vincula restauratur ab Hadriano I. 168. Donis ornatur a Greg. IV. 238. Vide S. Petri ad Vincula.

SS. Apostolorum in via lata 163. in titulum erecta a Ioan. III. an. 566. bulla in collect. ms. Massarelli de Card. in cod. arch. secr. n. 211. plut. 63. fol. 103. ad Apostolos ecclesia renovata a Steph. VI. 351.

SS. Apostolorum in via lata restauratur ab Hadriano I. 159. Donis aucta a Leone III. 199. 210. Restauratur cum quadriporticu 207.

SS. Apostolorum XII. canonicus Iohannes, Innoc. IV. an. 5. ep. 747.

SS. Apostolorum ad catacumbas in via Appia, tertio miliario ubi

B

S. Bibianae monasterium. Innoc. IV. an. 1. ep. 20.

S. Bibianae basilica iuxta palatium Licinianum p. 40. Monasterium 202.

S. Bibianae. Vide Olympiana.

S. Bibianae (de) coemeterio herba quae morbum comitialem miraculose curat. Contarenus de Urbis antiq. pag. 147.

S. Blasii capella in Urbe memoratur in hist. monast. Casaurien. tom. 3. hist. Franc. Duchesnii p. 547. c.

S. Blasii de Anulo, vulgo dell' Anello, proxima S. Andreae de Valle Theatinis ad ampliandam eandem ecclesiam concessa a Clemente VIII. Avvisi del 1595. primo marzo; cum prius Barnabitarum esset. Avvisi del primo nov. 1595. Sed vide avvisi rom. 6. mar. 1610. e 21. nov. 1618.

S. Blasii ecclesia Fratribus minoribus concessa. Vide in indice vaticano tom. VII. factum id ab abbate S. Cosmatis iussu Greg. IX. an. 1230. Bulla in collect. ms. Margarini. Vide cod. vat. n. 6420. fol. 549.

S. Blasii montis Acetoris rector. Innoc. IV. an. 5. ep. 891. Vide S. Laurentii in Lucina.

S. Blasii in contrata Iudaeorum in regione S. Angeli prope domum Iohan. Card. Buccamatii. Idem in testam. anni 1309. inter schedas Panv. de Card. in arch. secr. f. 54.

S. Blasii de Oliva ubi altare S. Nicolai ab eodem Card. dotatum, fortasse idem cum praecedente, ibid. Vide S. Benedicti de Clusura.

S. Blasii prope S. Petrum in Vincula. Faunus lib. 4. c. 1. p. 106. terg.

S. Blasii in Campo securo. Vide S. Praxedis.

S. Blasii ad Tiberis ripam legendae theologiae destinata. Ibi enim se theologiam legisse sub. Pio II. ait Dominicus episcopus Torcellanus cod. vat. ms. 4589. fol. 212. Della pagnotta unit. ecclesiae S. Petri in cod. Eugen. IV. in arch. secr. num. 2703. f. 491.

S. Blasii ubi olim templum Carmentis. In eius ecclesiae muro tabula vetus aenea. Anon. in cod. urb. n. 210. f. 223. bis. Carmentis autem templum ponit sub Capitolio f. 188.

S. Blasii de Posterula. Vide S. Laurentii in Lucina.

S. Blasii vulgo de Materazzari in campo Martio. Ibi repertus lapis cum hac inscriptione: IN HOC LOCO SOLEBAT ORARE S. CAECILIA; ideoque ea tradita fuit a Card. Sfondrato Dominicanis quibusdam Av. del 7. agosto 1604.

— Thrasonis ad S. Saturninum.
— S. Felicitatis prope coem. Callixti.
— SS. Hermetis et Domitillae.
— Eadem praeterea ad Nympham memorantur in Urbis descriptione in cod. vat. 4265. fol. 209. terg. qui scriptus fuit an. 1375. Praeterea habentur
— Intra portam appiam ad S. Apollinarem.
— Praetextati, ad Domine quo vadis. Ibid.
— Ex coemeteriis reliquias nefas extrahere S. Greg. Mag. lib. 3. ep. 30. Hadrianus I. in cod. carolino ep. 61.
— De coemeteriorum cultu Theodorus Studita lib. 2. ep. 215.
— De martyrum coemeteriis extra Urbem pulchre Paulus I. in ep. 12. ad Iohan. abbatem tom. 6. concil. Labbei col. 1690.

In coemeteriis luminaria ad missas celebrandas, vigilias faciendas in die natalitiorum eorum ex patriarchio lateranen. mitti statuit Greg. III. 106. E coemeteriis plnribus desolatis et in ruinam positis reliquias aufert et in Urbis ecclesiis recondit Paulus I. 129. Idem praestitit Paschalis I. 217. Item visione monitus S. Caeciliae corpus in coemeteriis inquirit, et citra spem reperit 221. 222. Greg. IV. ex coemeteriis reliquias martyrum sumit 235. Item ex eisdem dirutis sollemni pompa reliquias in ecclesiam S. Silvestri et Martini transfert Sergius II. Vide appendicem ms. Uti nunc ita olim terra erant oppleta, et sacra corpora aegre a fossoribus reperiebantur. Vide Baron. tom. 10. p. 616. et an. 886.

Coemeteria a Iohan. III. restituta 59. 60. Item ab Hadriano I. 169. 170.

Coemeteria visitata a Leone IV. p. 265. Missae ibi celebratae 85. Ab Aistulpho sacris corporibus spoliata 221. Madeleucus Virdunen. martyrum coemeteria Romae veneratur. Hugo Flaviniacen. tom. 1. bibl. mss. Labbei p. 111. Vide similia in vita Paschalis II. apud Baron. tom. 12. pag. 108. b.

Coemeteria cum martyrum corporibus in Cypro S. Epiphanius veneratur. Polybius in vita S. Epiph. n. 53.

Coemeteria extra Urbem, imperatoribus vetantibus quempiam sepeliri in urbibus. Vide Polybium in vita S. Epiph. c. 70. et 71. ubi de S. Epiphanii sepultura in ecclesia.

Coemeterium Alexandri iuxta S. Alexandrum in civitate Figlina extra portam Salariam. Acta S. Susannae in fine in cod. vat. 6075. f. 197.

— Inter duas lauros, via lavicana ibid.

— Commodillae cod. 6076. fol. 32. c. 4. in actis SS. Dignae et Meritae et fol. 33. c. 2.

— Felicis et Adaucti quod et Commodillae, via ostiensi cod. 6076. f. 33. c. 2.

— Destructa ab Aistulpho, et tunc eorum cultus defecit, translatis in titulos Urbis reliquiis. Acta SS. Dignae et Emeritae cod. 6076. f. 33. c. 1. pulchre.

— In coemeteriorum sepulcris martyrum phoenix sculpta. Acta S. Caeciliae, ubi de sarcophago S. Tiburtii.

— Aistulphus inquirens SS. reliquias S. Caeciliae non invenit, Paschalis quoque I. in Urbem detulit easdem. Appendix actorum S. Caeciliae inedita in cod. 6076. fol. 101. col. 4. et 102. c. 1. 2.

— Pontiani ad Ursum pileatum. Acta S. Bibianae in cod. vat. 6076. f. 110. c. 4.

Coemeteria instauravit Iohan. I. Ita Iornandes in annal. apud Cuspinianum de coss. an. 523.

In coemeteriis cellulae, ubi habitabant fideles, pace etiam ecclesiae reddita. Sic S. Barbatianus nolens fieri episcopus, Callixti coemeterium habitavit, et ibi repertus fuit a Galla Placidia. Vita S. Barbatiani edenda a Bacchino initio. Sic Liberius in coemeterio S. Agnes.

Coemeterium seu arenarium via nomentana 69.

De coemeteriis diversarum orbis ecclesiarum Rubeus lib. 1. hist. Raven. pulchre.

Coemeterium Antiochiae ad portam Daphniticam, ubi reconditum S. Ignatii martyris corpus, S. Iohan. Chrysost. tom. 3. homil. 42. Ado et Beda in martyrol., Evagr. lib. 1. c. 16.

In coemeteriis uno in loculo nunquam duo cadavera, more adhuc an. 882. observato. Vide annales Fuldenses ad eundem annum in fine. Rodulpho II. postulante SS. MM. corpora, Paulus V. permisit ut decanus Feltrensis coemeteria lustraret, licet ab eodem Pontifice decretum fuerit, ne amplius e coemeteriis extraherentur, ad evitanda scandala et frequentes falsitates. Epistula Card. Burghesii secretarii status data die 25. Jan. 1614. in cod. bibliothecae Panfilianae de rebus Comacli fol. 81. a terg.

S. Columbani ad monasterium Casinen. spectans. Bullar. casin. tom. 2. const. 162. pag. 155. col. 2. initio.

S. Constantiae ecclesia seu sepulcrum prope ecclesiam S. Agnes, de qua pulchre Mabillon. iter ital. p. 84.

S. Cornelii basilica via appia iuxta coemeterium Callixti p. 38.

SS. Cornelii, Sixti, Fabiani, Antheri, et Miltiadis ecclesia extra Urbem via appia. Mabillon. annal. tom. 4. p. 502. 503. 513. ubi videtur innuere diversam fuisse ecclesiam S. Cornelii ab ecclesia S. Sixti.

Corsarum monasterium iuxta basilicam S. Sixti martyris 264. In eo ecclesia S. Mariae 265. Oratorium S. Caesarii in monasterio ad Corsas 202.

SS. Cosmae et Damiani basilica in via sacra iuxta templum Urbis Romae a Felice IV. constructum 50. 207. In tribus Fatis restaurat tectum Hadrianus I. 168. Ab eodem diaconia fit 170. 200. Donis ditatur a Paschale I. 225. 229. Vide etiam p. 133. et 159.

SS. Cosmae et Damiani in Silice, ubi mentio quoque S. Laurentii in Miranda. Innoc. IV. an. 1. ep. 694. Vide Florav. Martinel. pag. 46. Vicus lateritius. Vide Trullus. Huic monasterio Iohannes Card. legatus univit. monasterium imperii constantinopolitani citra Macram iuris eccl. romanae, idque Honorius III. confirmat in registro an. VI. ep. 462.

SS. Cosmae et Damiani basilica ornata a Sergio I. 88. Donis augetur ab Hadriano I. 17. a Leone III. 186. Memoratur 234. 237.

— Constructa a Felice IV. Iornandes de successione regnorum apud Cuspinianum de consulibus ad an. Chr. 525.

— Pompeius Hugonius p. 174. vocat eam SS. Cosmae et Damiani in asylo, fretus auctoritate Martini Poloni, qui tamen habet solummodo pag. 46. in eccl. S. Cosmae fuit templum asylum.

SS. Cosmae et Damiani iuxta templum Romuli. Guido Card. subscribit in bulla Innoc. II. de an. 1139. tom. 3. Margar. n. 171. et n. 172.

— Oratorium fortasse in Caelio monte. Leo VII. in privil. monasterii Sublac. an. 938. tom. 1. col. ms. Margar.

— Basilica ornata vel constructa a Symmacho. Annales antiqui a Cuspiniano de coss. laudati ad an. 510.

S. Cosmatis monasterium in valle tiberina. Bullar. casin. tom. 2. const. 112.

SS. Cosmae et Damiani monasterium. Honor. III. an. 2. ep. 699. ubi fit mentio ecclesiae S. Caeciliae et S. Mariae in Turri.

SS. Cosmae et Damiani monasterium trans Tiberim in Mica au-

rea. Varia iudicata inter ipsum et monast. Farfen. de ecclesia S. Mariae in Minerv. saec. XI. in coll. Marg. ms. tom. 2. Ughel. tom. 1. col. 137. b. 139. b. 143. b. 146. b.

S. Cosmatis moniales. Greg. IX. an. 12. ep. 210.

— De hac ecclesia in arch. secr. tractatus est valde fusus ab aliqua moniali compositus, si bene memini.

S. Cosmae porticus et monasterium trans ecclesiam S. Marci versus Lateranum. Cencius camer. 189. 190. Fortasse S. Cosmae in regione Pineae, de quo Martinel. p. 353.

— De monte Granatorum. Vide S. Laurentii in Lucina.

SS. Cosmae et Damiani oratorium ad S. Mariam 45. Monasterium iuxta Praesepe 201.

SS Cosmae et Damiani oratorium in xenodochio quod dicitur Tucium 203.

SS. Cosmae et Damiani in Silva Candida 265. 276.

(SS. Cosmae et Damiani in Sublaco 277.)

Crescentiniana basilica in regione secunda, in via mamertina a S. Anastasio constructa p. 31.

S. Crucis in Hierusalem ecclesia a Carthusianis Eugenii IV. aevo inhabitata. Anon. vat. cod. 6311. fol. 78. Data eisdem ab Urbano V. Baluz. Vita Paparum avenion. pag. 411. et 1478.

— Oratorium a Symmacho aedificatum. Annales veteres a Cuspiniano de coss. laudati ad an. 510.

— Carthusiani ex eadem ecclesia ad Thermas translati sub Pio IV. Fundata ibi ecclesia die 9. apr. 1561. Avvisi di quel giorno.

— Ibi Papa cantat missam tribus dominicis in anno, quando fiunt stationes. Chron. pontif. post Ranulphi Cestrensis polychronicon in cod. vat. n. 1959. fol. 163.

S. Crucis in Hierusalem basilica. Vide Sessoriana. Quomodo ibi repertus titulus S. Crucis. Burcard. diar. Innoc. VIII. die 12. martii 1491.

S. Crucis de Urbe. Greg. IX. an. 7. num. 460.

S. Crucis Prior. Innoc. IV. ep. 314. an. 5.

S. Chrysogoni titulus Marino presbytero Pipini reges Gallorum precibus conceditur a Paulo I. Cod. Carolin. ep. 25. in embolo.

S. Cyriacae coemeterium in ecclesia S. Laurentii extra muros 168.

S. Cyriaci titulus 200. 303.

S. Cyriaci titulus restauratus ab Hadriano I. 167. Basilica ornata a Leone III. donis ditata a Greg. IV. 239.

S. Cyriaci ecclesia et baptisterium intra thermas Diocletiani.

Nard. 191. Mabillon. tom. 4. anal. (1) p. 507. Titulus cardinalicius. Anon. vat. 6311. fol. 82. sub Eug. IV.

S. Cyriaci monasterium. Iohan. Buccamatius Card. in testam. anni 1309. inter Panvinii schedas de Card. in arch. secr. fol. 54. Fuit hic Card. tusculanus.

— Monasterium monialium tempore Callixti II. Etenim de eo bullam vide in cod. vat. n. 6420. fol. 2. Vide S. Andreae et Cyriaci.

S. Cyriaci ecclesia prope forum romanum. Descriptio regionum apud Mabillon. tom. 4. anal. p. 506. 509. Nescio autem cur Constantini thermas eidem proximas asserat p. 509. Ibi Iunonis templum. Anon. in cod. urb. n. 410. fol. 223. Sed vide fol. 221. terg. ubi S. Quiriaci vocatur.

S. Cyriaci ecclesia ad Camilianum. Anon. in cod. urb. n. 410. fol. 221.

S. Cyriaci monasterium prope locum ubi fuit olim domus maior, et prope Tiberim. Via quae ducebat ad idem monast. incipiebat ab arcu maiore. Bened. VIII. bulla apud Ughel. t. 1. col. 120.

S. Cyriaci martyris via ostiensi ab Honorio condita 65. Donis aucta a Leone III. 213. et a Bened. III. 301.

D

Damasi titulus. Vide S. Laurentii prope theatrum.

S. Damasi coemeterium 90.

Diaconia antiqua, fortasse S. Maria nova 190. 193. 198. 204.

Diaconiae urbis sexdecim sub Hadriano 163. 164.

Diaconia in Gyro seu Cyro 190. 238. Vide S. Mariae in Cyro diaconia.

SS. Dignae et Emeritae pons extra portam S. Laurentii, fortasse et ecclesia. Bullar. casin. tom. 2. con. 112.

S. Dionysii basilica. Vide S. Stephani et Silvestri.

(S. Dionysii monasterium Parisiis 122.)

SS. Dionysii Rustici et Eleutherii monasterium a Stephano III. fundari coeptum, a Paulo I. absolutum. Acta S. Dignae et Emeritae cod. 6076. fol. 35. col. 2.

S. Dionysii in foro, ubi templum fatale. Anon. in cod. urbin. n. 410. fol. 223. terg.

S. Dionysii basilicae vaticanae propinqua 307.

(1) Sic et alibi *anal.* id est *analecta*, non *annal.*

Dominicnm hospitale ad Naumachiam 203.

Domnae Rosae monasterium. Vita Innoc. III. cap. 138. et Anon. in cod. urb. n. 410. fol. 221. Nunc S. Catharina Funariorum. Faunus lib. 4. c. 23. Vide Rosae Domnae.

Domus Arsiciae monasterium. Vide subscriptiones sextae synodi universalis.

S. Donati monasterium iuxta titulum S. Priscae 203.

Duo furni monasterium 202.

E

Ecclesiae urbanae maximo in numero crevisse videntur post Constantii legem de claudendis ubique terrarum Deorum fanis. Lege 4. de paganis in cod. theodosiano.

Ecclesiarum urbis, quae religiosos ad processionem sede vacante mittebant, catalogus editus tempore Leonis X. extat in edito cod. vat. n. 4909. fol. 16. Inter eos Societas misericordiae.

Ecclesiarum urbis elenchus. Vide Nicolaum Signorilem qui Martino V. opus dedicat in cod. vat. 3536.

Multae ecclesiae tam intra quam extra urbem memorantur in descriptione pervetusta urbis Romae tom. 4. anal. Mabillon. fol. 506. Has excerpere oporteret. Et in alia descriptione apud Gulielm. Malmesburien. hist. lib. 4. c. 2. pag. 135.

Picturarum in multis ecclesiis auctores memorantur a Franc. Albertino tit. de nonnullis ecclesiis et cappellis.

Catalogus earum ecclesiarum quibus Pontifex presbyterium largiebatur. Vide caerimoniale Cencii camerarii cap. 18. p. 190. et seqq. 206.

Indulgentiae omnium urbis ecclesiarum P. Gregorii. Catal. mss. Angliae tom. 1. p. 3. n. 1284.

Stationum ecclesiarum urbis commemoratio catal. mss. Angliae tom. 1. part. 3. n. 1308.

De processione et statione romana. Ibid. n. 1384.

De urbanis ecclesiis legentur, ut par est, multa in itinerario Gulielmi Malmesburiensis ad urbem Romam, cuius mentio in T. 1. catalogi mss. Angliae p. 238. n. 28. Non reperi inter eius edita.

De ecclesiis urbanis scripsere Franciscus del Sodo florentinus ms. apud Ciampinium, Ludovicus Costaccius, Dominicus Danesius, qui laudantur a Turrigio de ecclesia S. Theodori. Vide meum indicem auctorum.

De ecclesiis lateranensi patriarchio propinquis, et aliis, vide Honorii II. bullam pro Bochio lateranensi iam transcriptam.

De ecclesiis a S. Angeli ad Pontem per totam regionem Areolae usque ad S. Mariam rotundam, quo protendebatur parochia S. Laurentii in Damaso, vide Ciampinium in fine libri de vicecancellario.

De ecclesiis Leoninae urbis episcopo Silvae Candidae subiectis, Iohan. XIX. apud Ughel. tom. 1. col. 111. et 112.

De ecclesiis pluribus urbis, vide Anon. in cod. regio alex. n. 1192. fol. 29.

Ecclesiae transtiberinae regionis cum tota insula Lycaonia portuensi episcopo subiectae. Ughel. tom. 1. col. 138. d.

Ecclesias urbanas in tres classes dividit Nicol. Signorilis in cod. vat. ms. n. 3536. quarum I. S. Thomae apost. vocatur, in qua Lateranensis. II. SS. Apostolorum, in qua Vaticana. III. SS. Cosmae et Damiani, in qua S. Mariae maioris.

Ecclesiae plures memorantur in actis schismaticorum sub Alex. III. apud Radevicum si bene memini frisingensem.

Ecclesiarum urbis, praesertim titulorum, visitatio commissa episcopo Firmano et Comiti de Casate archidiac. mediolanensi a Nicolao III. post regestum an. 1. fol. 71.

Ecclesiis et titulis urbis desertis presbyteros dari a vicario urbis et Iohan. Piscis altarario basilicae vat. iubet Bened. XII. an. 2. vel 3. de cur. ep. 372.

Ecclesiae plures presbyteros habebant, qui primus, secundus etc. vocabantur. Reg. Farfen. an. 1012. et 1017. tom. 2. coll. Marg. n. 70. 95. 98. de ecclesia S. Eustachii. Sic Agnellus presb. X. ravennas.

Ecclesiae et corpora SS. martyrum a Gothis exterminatae 54.

In ecclesiam imago imperatorum illata 94.

Ecclesiis urbanis universis dona dat Leo. III. 198.

— Dona varia ecclesiae ex fidelium oblationibus Pontifices largiebantur 191. 212. Item ex argento ecclesiarum 208.

Ecclesiae urbis a summis Pontificibus edificatae, instauratae, tam quae extant quam quae non extant, nec non tituli tam veteres quam de novo instituti recensentur ab Angelo Massarello in cod. arch. secr. sign. n. 211. 212. pluteo 63. fol. 86. et seqq.

— Libri ecclesiis donati a Steph. VI. 350. 351. et a Leone IV. 212. 284. 291.

Ecclesiarum bona descripta in marmoribus, quae earundem fo-

ribus affligebantur. Iohan. XIX. tom. 1. Ughel. p. 120. Vide vaticana basilica.

Ecclesiis factae donationes in aereis et deauratis interdum laminis exaratae Caroli M. dono pro monast. S. Anastasii ad Aquas Salvias tom. 1. Ughel. fol. 65. Eadem lamina in multis mendosa tom. 2. bullar. casin.

Episcopi suffraganei ravennatis ecclesiae episcopia Ravennae habebant, ubi metropolitam convenientes habitarent. Sic de bononiensi Agnellus in vita S. Apollinaris, ubi et ecclesiam habuisse indicat.

S. Edisti ecclesia via ardeatina, et domus culta ab Hadriano I. amplificata 164.

S. Emerentianae basilica via nomentana restaurata ab Hadr. I. 171.

S. Erasmi monasterium in Caelio monte 74. 201.

S. Erasmi monasterium ad formam Claudiam. Leo IX. in privil. monast. Sublacen. an. 1051. in coll. ms. Marg. n. 167. tom. 2. et bullar. casin. tom. 2. n. 212.

— Casale positum in Quinto. Ibid.

S. Erasmi monasterium prope hospitale lateranen. Anon. in cod. vat. 6311. fol. 77. terg.

S. Erasmi monasterium 180. 181. 186. 242.

— Monialium visitatio a Greg. IX. commissa priori monasterii S. Mariae novae, et Paulo Paparonio basil. S. Petri canonico Reg. Sublacen. fol. 142. de an. 1372. in coll. ms. Margarini, ubi dicitur situm fuisse in Caelio monte prope hospitale S. Thomae in Formis. Lis cum abbate Sublacensi commissa a Thoma Castellino, Paulo Paparonio, et Petro Cincio canonicis S. Petri eodem anno. Ibid. fol. 142. et fol. 145. de anno seq.

S. Eristi monasterium Bullar. Casin. tom. 2. con. 112.

Eudoxiae titulus. Vide S. Petri ad vincula.

S. Eugeniae basilica restaurata ab Hadriano 169. Ibi monasterium puellarum conditum 170. Monast. extra portam latinam 203.

S. Eugeniae basilica restaurata a Ioban. VII. 90. Donis aucta a Leone III. 190.

S. Eugeniae oratorium 264.

S. Euphemiae basilica a Sergio I. restaurata 88. Donis aucta a Leone III. 191.

SS. Euphemiae et Archangeli monast. iuxta tit. Pudentis 202.

(S. Euphemiae in urbe tiburtina a Gelasio I. condita 142. Iornandes in annal. apud Cuspinianum de coss. an. 492.)

S. Euphemiae ecclesia in via appia a Dono dedicata 75.
(S. Euphemiae ecclesia apud Constantinopolim 57.)
S. Eupli ecclesia prope S. Paulum extra muros restauratur ab Hadriano I. 168.
S. Eupli oratorium extra portam S. Pauli a Theodoro conditum 69.
S. Eusebii titulus 115. 310. 188. 200.
S. Eusebii basilica ab Hadriano I. renovata 168. Donis aucta a Greg. IV. 238.
S. Eusebii monasterium. Iohan. Buccamatius Card. tusculanus in testam. an. 1309. inter Panvinii schedas de Card. in arch. secr. fol. 54.
S. Eustachii ecclesia. Greg. IX. an. 5. ep. 52.
S. Eustachii diaconia 188. 200. basilica 237.
S. Peregrini hospitalis apud B. Petrum positi in loco, qui vocatur Naumachia, reditus monasterio S. Caeciliae uniti. Appendix actorum S. Caeciliae in cod. vat. 6076. tom. 102. col. 2.

S. Peregrini oratorium in hospitali Dominico ad Naumachiam 203. Hospitale a Leone III. constructum unit monasterio SS. Agathae et Caeciliae Paschalis I. 222.

S. Petri seu Vaticana basilica a Constantino aedificata in templo Apollinis p. 19. Aula principis apostolorum dicitur 307. Presbyteri ibi ad baptismum et paenitentiam a Simplicio constituti p. 40.

— Ianuas medianas ibi argento vestit Honorius I. 65.

— Tabulis aereis ex Pantheone desumptis ab eodem tegitur 65. Absidis musivum restauratum a Severino 67. Ciborium pannis ornatum a Nicolao I. 327. Supra sanctuarii ianuas syno-

dus VI. depicta a Leone II. 297. A Saracenis spoliatur 257. Restituitur a Leone IV. 259. Restauratur a Benedicto II. 81.
— Ibi pauperum habitacula 45.
— Ante sacrarium eiusdem basilicae S. Gregorius I. sepelitur. 62.
— Camera ibidem a Leone III. constructa 37. Restaurata 168.
— Basilicae cantharus, quadriporticus ornata, gradus extructi. Episcopia dextra laevaque fecit Symmachus 45. Camera ante portas argenteas aulae S. Petri 284.
— Praelata lateranensi a Theodora augusta 57.
— Synodus ibi celebrata a Bonifacio II. 51, a Bonifacio III. 63, a Theodoro 69, ab Hadriano II. 337, a Leone IV, 286, a Gregorio II. 102, a Leone III. 183.
— Luminaria eidem addunt Sabinianus 62, et Agatho 79. A Constantino imp. cum muneribus visitatur 73.
S. Petri confessio argento tecta a Sixto III. p. 36. Iuramenta ante eam praestita 51. Argento tecta a Pelagio II. 61. Missas ibi celebrari praecipit Gregorius I. 62. Argento vestita ab Honorio I. 65, et a Leone IV. 266.
— Confessio S. Petri ornata ab Hadriano I. 171. 174, a Leone III. 176. 187. 193. 196. 205, a Paschali I. 229.
— Symbolum graece et latine in ingressu ad corpus S. Petri duobus in scutis affigit Leo III. 204. Hospitium iuxta accubitum, ubi post matutinale officium vel missas Pontifex lassus recumberet, condit Gregorius IV. 244.
— In vaticana basilica septem episcopos Cardinales omni dominico die missas celebrare statuit Stephanus IV. 139.
— Eam vi occludit Desiderius Longob. rex 140. Porta S. Petri 132. 174. Porta urbis qua est egressus ad S. Petrum. Ibid. 141. Ex ipsa per vim homines nonnullos abstraxit Desiderius, ibid. Ibi fidelitatem iurant Spoletini Hadriano I. eiusque successoribus 153. Eius singulos gradus Carolus magnus deosculatur, mox ante confessionem S. Petri votum solvit 155 Missas feria secunda paschae ibi Hadrianus facit Carolo magno 156. Tectum et porticus restaurat 165. 167. Tres diaconias extra portam S. Petri restaurat Hadrianus, et unaquaque feria quinta ab eisdem ad balneum eleemosynae causa duci iubet 165. Porticum ad fluminis ripam, qua ad basilicam vaticanam itur, in ampliorem formam redigit 167 Mulieres ibi a viris seorsum orant 171 Portas aereas a Perusina urbe desumptas apud turrim eiusdem basilicae erigit Hadrianus I. 175. Ibi Carolus mag-

nus salutatur imperator 184. Eius presbyterium renovat Leo III. 185. Item triclinum maius eiusdem ecclesiae musivo etc. ornat 185.

— Vaticanae basilicae gradus quibus ascenditur in atrium, et porticus ex utraque parte atriis restaurat Hadrianus I. 162. Fons in atrio ex forma sabbatina, ibid. Balneum ubi pauperes in pascha lavari solebant ab eodem Hadriano reparatur. Ibid. et 163. 170. 239. Presbyterium variis ornamentis ab eodem decoratur, ibid. Portae argenteae in introitu basilicae 163. In ea pars virorum et pars mulierum 193. In turri eiusdem dona Hadriani I. 171. Item in eiusdem oratoriis, ibid. Lumina circa lectorium in dominicis et aliis festivitatibus poni iubet Leo III. 195. 197. Eius baptisterium reficit Leo III. 196. Ornat 205. Ciborium vetus aufert, et S. Mariae maiori largitur Leo III, aliudque novum condit 205. Tecta reficit 206. Ciborium ornat et altare 207.

— Dona ecclesiae oblata 28. 33. 37. 37. 39. 41. 45. 48. 50. 51. 56. cum p. 347. Alia 62. 72. 106. 300. 302. 303. 309. 310. 318. 320. 321. 327. 349.

— Dona eidem oblata a Leone III. 213. 214, a Paschale I. 217. 219. 225. 229, a Gregorio IV. 237, a Sergio II. 253. 254.

— Vaticanae basilicae dona oblata ab imp. Theophilo 304, a rege Saxonum, ibid., a Bened. III. 305, a Leone IV. 258. 263, 267. 269. 271. 273. 274. 275. 276. 277. 285. 287. 291. 292, a Sergio I. 87, a Zacharia 112, a Carolomanno 113, a Stephano IV. 139, ab Hadriano I. 157. 171. 172. 173, a Leone III. 176. 178, et a Carolo magno 184. Item a Leone III. 187. 188. 190. 194. 197. 798. 199. 204. 210. 211.

— Eius portas argenteas a Saracenis ablatas restituit Leo IV. 284. Altare argento utrimque ornavit 291.

— Vaticanae basilicae columna maior iuxta balneum. Item aliud balneum ad usum peregrinorum, et alia loca 206. A S. Andreae oratorio ingressus in vat. basilicam 207. Curtem in Gallia de fisco donat vat. basilicae Ludovicus Pius 215. Prope porticum Anglorum schola 218. In vat. basilica vigilias in sabbati nocte agit Paschalis I. 221. Monachi quotidie divina ibi recitabant officia 235. S. Petri apostoli ecclesiae extra muros porticum super oratorium B. Mariae, quae mediana dicitur, aliamque porticum ante valvas argenteas reficit, et paradisi frontem restaurat Gregorius IV. Item porticum super gradus per quos populus indifferenter ascendit 243.

— Ad vaticanam basilicam e lateranensi palatio pro consecratione veniunt Stephanus VI. 346, et Nicolaus I. p 307, nec non Constantinus antipapa 131. Ibi per singulas lectiones et responsoria thus adoleri iubet Stephanus VI. 349. Varia eius loca, cubicula, et ornamenta 88. Cathedrae Pontificum, ibid. Eius pergula ornata a Stephano IV. 349. Atrium ante ecclesiam in quadriporticu a Dono ornatum. 25.

— Presbyteros ibi quotidie celebrantes mulctam solvere vetat Stephanus VI. 349. Tria monasteria eidem inserviebant 103, a potestate presbyteri exempta 104. Quartum addidit Hadrianus I. 160.

— Hospitale S. Gregorii in porticu basilicae S. Petri 351. Duplex ante ipsam basilic. atrium 248. Fons in eadem porticu in pauperum usum 323. Domus Saxonum et Longobardorum prope porticum et basilicam 262.

— Anglorum schola prope porticum S. Petri 218. Haec videtur fuisse Anglorum hospitale, a quo ad plateam basilicae S. Petri currebant pueri et alii tempore carnisprivii sub Innocentio VIII. et deinceps, ut scribit Burcardus in eiusdem diario.

— Quinque prope eandem monasteria. Iohan. XIX. apud Ughel. tom. 1. col. 111. ubi traduntur episcopo Silvae Candidae.

— S. Gregorii oratorium, ubi eius lectus habetur, iuxta ecclesiam S Petri 269. 298. 246. 316. 352. In Principis apostolorum aede Frascatae constructa 321. Ibi etiam corpus S. Gregorii altare dicitur 205. Corpus S. Gregorii magni in alium propinquum locum noviter constructum transfertur, et pluribus altaribus et donis augetur a Gregorio IV. 235.

— B. Mariae oratorium ad ambonem basilicae vaticanae 270. Videndum an sit illud quod Paulus I. condidit 129, et Pauli papae vocatur 210.

S. Pastoris oratorium in vat. basilica 269.

— S. Crucis oratorium ad fontem intra basilicam S. Petri 44. 45. restauratur a Leone III. 196.

— S. Gregorii cellula ubi caput S. Andreae Pius II. servari iussit, et ipse sepultus fuit. Iacob. Volater. diar. ms. Sixti IV. f. 83.

— Oratorium seu cappella erat prope secundum lapidem magnum porphyreticum in terra positum in navi recta primaria basilicae. Burcard. diar. Innoc. VIII. in cod. urbin. fol. 121.

— S. Mariae pauperum altare in basilica vatic. Burcard. diar. Innoc. VIII. die 14. sept. 1489.

— S. Leonis oratorium intra basilicam S. Petri 129. 263. 265. 267. Eius corpus antea ex secretario inferiore in basilicam a Sergio I. translatum 88. S. Leonis altare 205.
— S. Leonis confessio in oratorio eiusdem in basilica vatic. 206.
— S. Stephani oratorium in S. Petro qui vocatur maior 191.
— Sudarii cappella. Iacobus Volater. diar. Sixti IV. ms. fol. 60. a terg.
— Vaticanae basilicae paradisus, in quo sub Salvatore ex musivo et navi apostolorum, erat sepulcrum porphyreticum Hadriani imp. ex Hadriana mole desumptum, in quo Innocentius II. sepeliri voluit. Anon. in cod. urbin. n. 410. fol. 218. terg.
— In eundem paradisum piuea aerea ab Innoc. II. delata, ibid. Ibi sepulcrum Praefecti. Mabillon. iter. ital. p. 82.
— Ecclesiae cum vaticana coniunctae. Vid. S. Petronilla, monasterium S. Andreae, S. Dionysii basilica, SS. Processi et Martiniani.
— Vaticana basilica aute templum Apollinis. Ibi XII. columnae vitineae ante confessionem quas Constantinus ex templo Apollinis Troiae desumpserat. Latitudo et longitudo arcae in qua reconditum S. Petri corpus. Excerpta ex libro politico in cod. vat. 636. fol. 125.
— Paradisus, ubi est Symmachi conclave, in quo pinea aerea condebatur, describitur in cod. vat. 4265. fol. 210. terg. constructus ex lapidibus Metae seu sepulcri Romuli, ibid. 211. Alia ibidem.
— Ibi templum Apollinis, quod nunc S. Petronilla dicitur. Cod. 4265. fol. 210. terg. Vide Petronillae.
— Brevis totius ecclesiae descriptio nou contemnenda, ex qua discimus Vaticanum quoque vocatum fuisse aliquem eiusdem ecclesiae locum. Cod. vat. 4265. fol. 212. terg.
— Custos altaris S. Petri. Innoc. IV. an. 5. ep. 823.
— Turris campanaria cum Bonifacii VIII. campana percelebri combusta penitus fulmine aevo Petrarchae ep. 9. lib. 15. Vide avvisi di Roma in quelli di Venezia 25. settembre 1610.
— Eius capitulum canonicos eligebat. Innoc. III. an. 9. ep. 170.
— Papa incertus (1) extra urbem degens vetat canonicis S. Petri quempiam in vaticana basilica sepelire, in qua vix passus spatium sepulcro vacabat, etiam prope confessionem ipsam. Ricard. de Pofis in dictamine ms. cod. vat. n. 5404. c. 15.

(1) Immo Urbanus IV. apud Mabillon. iter. ital. p. 82. Editor.

— Indulgentiae concessae a Bened. XII. eleemosynam largientibus vat. basilicae restaurandae. Secret. an. ep. 113. et seq.
— Frumentariae pro reparatione basilicae Eugenii IV. Codex in arch. secret. n. 2703. fol. 716.
— Vaticanae basilicae navis maior aeneis tegulis tecta Eugenii IV. aevo. Petronius in diar. cui tit. Mesticanza prope finem in cod. vat. 5522. fol. 428. terg.
— Ptochotrophium ibidem a Theodorico tribus milibus tritici medimnis donatum, quas Iustinianus abstulit. Procop. anecdota cap. 26. p. 76. cf.
— Ibi oratorium S. Dei Genitricis, in quo servabatur sudarium, quam putant esse imaginem edesseuam. Anon. antiquus in cod. vat. 60 76. fol. 77. col. 4.
— Tegulae aneae ex templo Romuli desumptae extabant aevo Eugenii IV. Anon. vat. n. 6311. fol. 65. terg.
— Palatii vaticaui constructores Pontifices recensentur. Ibidem.
— Ab Eugenio IV. instauratur basilica. Ibidem 66.
— Aerarii officina prope speciosam portam palatii ab eodem Eugenio condita, ubi olim campanaria turris. Ibid.
— Eius pavimentum et porticus a Symmacho marmoribus sternuntur. Annales veteres a Cuspiniano de coss. laudati ad an. 510.
— Tectum cum tegulis aereis comburitur circa an. 1007. Rodulf. Glaber hist. lib. 2. c. 7.
— Vaticanae basilicae balneum propinquum, ad usum, ut videtur, clericorum; nam et Ravennae olim prope cathedralem ecclesiam balineum in quo clericis feria tertia et sexta lavari fas erat. Agnellus raven. in vita Victoris episcopi XXV.
— Facultas extrahendi pecunias e capsa, fortasse eleemosynarum, basilicae vaticanae, canonicorum rogatu duobus Cardinalibus concessa a Greg. IX. an. 13. ep. 233.
— Clem. VI. mandat canonicis ut Aymericum Cardinalem legatum in maiore basilicae altari celebrare sinant, si tamen consuetum fuerit. Baluz. vitae Paparum avenion. tom. 2. p. 684.
— Card. tusculanus archipresbyter putavit pro sui officii munere in eo altari maiore posse se missam celebrare, quod et fecit die paschae secunda, non sine hominum querela. Iacob. Volat. diar. ms. Sixti IV. an. 1483. fol. 139. terg.
— Vaticana basilica. Ibi cappella Auditorum prope cappellam ubi sepultus fuit Innoc. VII. Chron. episcoporum Ravennae in archiepiscopo XCIV.

— Datariae palatium dirutum in aedificatione primarii prospectus vatic. basilicae, sub cuius vetere pavimento reperta etiam vestigia circi Neronis. Avvisi 24. gen. 1609.
— Cathedra S. Petri in ea basilica exponebatur die 1. martii, quam aureo panno tegi, et in locum suum referri se praesente voluit Sixtus IV. Iacob. Volater. in diar. ms. fol. 32. a terg.
— Archipresbyteri aedes supra gradus basilicae sub Paulo II. a Ricardo Cardinale constantiensi a fundamentis paene instauratae. Iacob. Volater. in diar. ms. Sixti IV. fol. 47.
— Aedes cum curia sive horto. Burcard. diar. Innoc. VIII. in cod. urbin. fol. 130. terg. ubi coronatus Pontifex ad comedendum se recepit. Unitae ipsis aedibus erant canonicorum domus. Burcard. ibidem.
— Vaticana basilica. Ibi repertum Iulii Bassi pulcherrimum sepulcrum subter duo altaria SS. apostolorum, quod integrum extrahi iussit Clemens VIII. Avvisi degli 8. 11. ottobre.
— Tegulae aeneae tholo faciendo destinatae, in alium usum conversae a Clemente VIII. occasione belli pro recuperanda Ferraris. Avvisi dei 3. decemb. 1597.
— Quatuor evangelistae forma ovali subtus tholum ex musivo, opus sunt Iohannis a Burgo S. Sepulcri, et Caesaris ab Urbevetere. Avvisi di Roma 4. luglio nel supplimento.
— Dictae basilicae naves lampadibus ardentibus plenae in sollemnioribus festis. Burcard. diar. Alex. VI. in ms. tom. 2. fol. 50.
— In basilicae pulpito marmoreo canonici epistolam et evangelium in missis decantabant. Burcard. diar. Alex. VI. in ms. tom. 2. fol. 84.
— Pauli III. sepulcrum sub tholo positum, transfertur ab Urbano VIII. e regione sepulcri sui. Avvisi dei 17. gen. 1629.
— Scholae cantorum concedunt Honorius III. et Caelestinus III. certam partem oblationum altaris S. Petri. Honor. III. reg. an. 3. ep. 407.
— Reditus ex imaginibus plumbeis SS. Petri et Pauli conceditur canonicis S. Petri ab Honorio III. an. quarto vel quinto ep. 247.
— Hungarorum regis hasta ibi appensa ab Henrico III. Arnulph. mediol. chron. p. 175. terg.
— Massa trabaria suppeditabat trabes in vaticanae basilicae usum. Nicol. III. ep. 28. registri secundi anni I. fol. 76.

— Vaticanae basilicae portas aeneas in scalis exterioribus eiusdem positas ad conflandam S. Pauli statuam pro ornanda antoniana columna Sixtus V. adhibuit. Avvisi dei 20. luglio 1588.
— Tegulas aeneas, quae templi Iovis capitolini fuerant, Paulus V. Anconam mittit ad bombardas conflandas. Avvisi di Roma 8. novemb. 1607.
— Basilicae fabricae Paulus V. sexcenta milia scutatorum, romano Pontifici pro tempore a Bisinlani principe legatorum, largitur. Avvisi di Roma 17. novemb. 1610.
— Idem Paulus V. de aedificanda nova turri campanaria cogitat. Avv. Rom. 25. luglio 1618.
— Brixius de Monte canonicus S. Petri. Burcard. diar. Alex. VI. die 7. aug. 1499.
— Dominicus de Rubeis canon., ibid. die 8. septemb. an. 1499.
— Andreas de Valle canon. et episcopus crotoniensis. Ibid. 6. iun. 1500.
— Vaticanae basilicae canon. Parentius subdiaconus. Innoc. III. in regest. an. 7. ep. 117.
— Petrus Georgii canon. factus recanatensis episcopus an. 1244. Ughel. tom. 1. part. 2. col. 130.
— Prior Stephanus Paccaronus, eiusque sigillum. Ughel. tom. 1. col. 769.
— Archipresbyter Stephanus S. Mariae trans Tiberim presbyter Cardinalis. Innoc. IV. an. 1. ep. 177.
— Paulus Francisci de S. Victoria firmanus canon. Bened. XII. an. 3. de curia part. 1. ep. 95.
— Petrus Angeli canon. Innoc. IV. an. 4. ep. 148.
— Laurentius presbyter canon. Idem an. 4. ep. 148.
— Idem et Iordanus canonici ibid. ep. 471.
— Gotifridus canonicus ibid. ep. 629.
— Petrus de Camberchaco canonicus cappellanus Papae, et Angliae legatus. Bened. XII. an. 2. secret. ep. 318. et alibi.
— Stephanus presbyter Card. tit. S. Mariae trans Tiberim creatus archipresbyter S. Petri die 10. octob. IV. an. 1. ep. 177.
— Paulus Paparonus canon. S. Petri an. 1372. Vide S. Erasmi monast.
— Iacobus et Iohannes de insula canonici. Bened. XII. an. 2. vel 3. de curia ep. 96.
— Petrus Cincius canonicus S. Petri an. 1372. Vide S. Erasmi monast.

— De Leonis canon. S. Petri et protonotarius obiit 7. nov. 1498. Burcard. in diar. Alex. VI.

— Thomas Castellinus canon. S. Petri an. 1372. Vide S. Erasmi monast.

— Archipresbytero Cardinali concessa portio oblationum factarum confessioni S. Petri, et per custodem basilicae exsolvenda. Iohan. XXI. ep. 132. an. 1.

— Constitutiones basilicae pro canonicis satis amplae. Iohan. XXI. ep. 152.

— Aliae pariter amplae Nicolai III. an. 2. ep. 110. editae sunt si bene memini, a Bzovio in annalibus.

— Columna Christi ferreis cratibus cincta, in quibus includuntur daemoniaci, stabat prope tribunam ecclesiae veteris; et ab ea ad alias columnas, trabes erant cum columnellis marmoreis. Burcard. diar. Alex. VI. die 31. martii 1499, et in diar. Innoc. VIII. die 25. augusti an. 1483.

— Prope portam basilicae erat locus audientiae causarum, plateola tantum intermedia. Burcard. ibid. die 20. decemb. 1499, et 25. decemb. 1502. Ibi columna benedictionis. Ibid. die 6. iul. an. 502.

— Porta aurea, quae singulis iubilaeis aperiri solebat, credebatur esse in cappella Veronicae; sed aperto muro, nullum portae vestigium repertum fuit. Papa tamen voluit ibi portam sanctam collocare. Burcard. ibid. post 15. decemb.

— Clerus S. Petri non dat portionem canonicam parochis in funeralibus. Burcard. diar. Alex. VI. die 25. april. 1500, et 23. april. an. 1501. Vide S. Spiritus in Saxia.

— Auditores et advocati festum S. Ivonis celebrabant in vaticana basilica cum Cardinalium praesentia. Burcard. diar. Alex. VI. die 19. maii an. 1502.

— Hieronymus Porcius Andriensis episcopus, et Andreas a Valle canonici, obviam eunt ad pontem Milvium Cardinali Estensi archipresbytero. Burcard. diar. Alex. VI. die 25. dec. an. 1501.

— Corpora SS. apostolorum Simonis et Iudae in vetere basilica sine ulla inscriptione reperta, cum libro qui legi non potuit ob vetustatem. Avvisi di Roma 8. ottob. 1605.

— Convivia in natalitiis sanctorum ibi celebrata, quod remotus esset locus ab episcopi conversatione. S. August. apud Mabillon. iter ital. p. 55.

— Sudarium a Pontifice fidelibus ostendi consueverat tempore

Pauli II. Vide Platinam ubi de eius obitu. Ante basilicae valvas pars catenae portus Sataliae a Sixto IV. captae pendebat. Platina in eius vita. Restaurata ab eodem Sixto. Ibid.

— Sixtina cappella in palatio vaticano absoluta die 15. augusti an. 1483. Iacob. Volater. diar. ms. Sixti IV. fol. 128. terg. et 129. terg.

— In eodem palatio porta horti extra urbem. Burcard. diar. Alex. VI. in ms. tom. 2. fol. 145. terg. et die 23. septemb. 1499.

— Hortus maior, ubi turris noviter ab Alex. VI. constructa super caveam vinariam communem. Burcard. ibid. die 18. aug. 1500.

— In platea S. Petri fons innocentianus coepit currere die 17. decemb. an. 1501. Burcard. diar. Alex. VI.

(S. Petri basilica albanensis restaurata a Leone III. 189. 212.)

(S. Petri in via appia in Silice ultra S. Thomam apostolum, prope tricesimum lapidem, cum baptisterio restaurata ab Hadriano I. 168.)

(S. Petri ecclesia in domo culta, quam Capracorum vocabant, aedificata ab Hadriano I. 166.)

(S. Petri ad Caelum aureum basilica Papiae 111.)

S. Petri monasterium ad Ianiculum, ubi orans S. Petrus genuum vestigia in lapide impressa reliquit. Agnellus ravennas in vita S. Apollinaris. Monasterium pro oratorio basilicis proximo, et pro quocumque oratorio usurpari solet.

S. Petri in templo Apollinis in monte Aureo p. 10. in Cornelio I.

(S. Petri oraculum seu oratorium intra palatium constantinopolitanum 76.)

(S. Petri ecclesia cum oratorio Salvatoris prope interamnensem S. Valentini basilicam 108.)

(S. Petri in civitate Leopoli prope Centumcellas 290. 292. Vide in Centumcellis 225.)

(S. Petri de Massa in territorio Praenestino. Bullar. casin. tom. 2. n. 150.)

S. Petri in Maruli 276. iuxta campum Meruli via portuensi 74. In massa Merulana restauratur ab Hadriano I. 169.

S. Petri ad pontem Merulum. Anon. vatic. n. 632. fol. 61. terg.

S. Petri ad campum Meruli. Albertinus de antiquitatibus urbis tit. de pontibus fol. 6. a terg.

S. Petri hospitale in loco qui dicitur Naumachia Leo III. a fundamentis construit 206.

S. Petri basilica in via tiburtina a Symmacho aedificata 45.

S. Petri ad vincula, aliâs titulus Eudoxiae, ornatur donis ab Hadriano I. 173. 178. A Leone III. 188. 199. iuxta cod. ms. A Stephano V. 215. Vide SS. Apostolorum titulus Eudoxiae.

S. Petri ad vincula presbyter p. 44. Monasterium 215.

S. Petri ad vincula, ubi clerici. Iohan. Buccamatius in testam. rog. an. 1309. inter Panvinii schedas de Cardinalibus in arch. secr. fol. 54.

— Eius aedes ruinosas restaurat Sixtus IV. dum esset Cardinalis, easque incoleret. Platina in eius vita.

(S. Petri ad Ulmum monasterium, ubi dormientes S. Petrus cum S. Apollinari, super lapidem corporum suorum vestigia impressa reliquerunt, tricesimo ab urbe lapide. Agnellus ravennas in vita S. Apollinaris. Monasterium tamen pro oratorio usurpare solet Agnellus.)

SS. Petri et Marcellini ecclesia 303. Vide Marcellini.

SS. Petri et Marcellini duplex ecclesia, una apud Lateranum, alia in Suburra. Nardinus p. 97.

— Prope Lateranum tradita Praemonstratensibus ad aedificandum collegium. Avvisi di Roma 28. ottobre 1609. e 5. marzo 1611. in quelli di Venezia 12. marzo.

SS. Petri et Marcellini via lavicana inter duas lauros. Nardin. 106.

SS. Petri et Marcellini coemeterium via lavicana iuxta basilicam S. Helenae renovatur 159.

SS. Petri et Pauli in via sacra iuxta templum Romuli, a Paulo I. noviter facta, ubi iidem apostolorum principes, tempore quo ad martyrium ibant, propria genua flectere visi sunt, quae in silice ibi noscuntur esse designata. Ita Anast. biblioth. p. 129. Sed in Farnesiano et aliis codd. antiquis dicitur iuxta templum Romae. Hanc ecclesiam prope S. Mariam novam sitam fuisse opinatur Pompeius Hugonius de stationibus p. 232. et meo quidem iudicio recte; nam Pauli I. et subsequentibus temporibus, Romuli templum aliquod supra templum Pacis fuisse putabant. Ita Martinus polonus p. 46. Sed Anonymus de antiq. urbis in cod. urbin. n. 410. fol. 213. terg. ait fuisse retro templum Pacis, licet folio 202. terg. unum idemque fuisse dicat templum Romuli et templum Pacis. Quamquam autem et Martini poloni, et Anonymi verba in eundem sensum recidunt, si anticam Pacis templi partem Colosseum versus fuisse, cum Scamozzio in notis ad tabulam V. dicamus, nihilominus palam est veteres antiquarios duo Romuli templa agno-

1198. n. 538. A Clemente V. commendata Gentili Cardinali tit. S. Martini de montibus. Baluz. vitae Paparum avenion. tom. 2. p. 151.

— Indulgentia eidem a Nicolao V. concessa. Vat. cod. 6198. fol. 183.

— Huic ecclesiae una cum ecclesia S. Blasii in campo Securo, et ecclesia S. Laurentii extra muros, conservatores deputat Benedictus XII. anno 2. vel 3. de curia ep. 244.

S. Priscae titulus restauratur ab Hadriano I. 159. Donis augetur a Leone III. 179. Vid. Aquilae et Priscae titulus.

S. Priscae ecclesia, ubi Aquila et Priscilla habitarunt, et S. Paulus altare consecravit. Nardin. p. 445. De eadem ecclesia Honorius III an. 3. fol. 241. De eadem contentio cum episcopo Ferentinate. Idem an. 9. ep. 32.

S. Priscae monasterium. Bullar. casin. tom. 2. con. 112.

Priscillae coemeterium in via salaria a Iohanne I. renovatum 50. Alia 58.

SS. Processi et Martiniani basilica restaurata a Greg. III. 105.

SS. Processi et Martiniani oratorium iuxta ingressum, qui ducit ad S. Petronillam in vaticana basilica condit Paschalis I. 217. cum propitiatorio et confessione 218. Dona eidem offert 224.

SS. Processi et Martiniani oratorium 267.

SS. Processi et Martiniani ecclesia inter vias aureliam et portuensem. Mabillon. anal. tom. 4. p. 501. 513.

SS. Proti et Hiacynthi sepulcrum in via pincia. Mabillon. anal. tom. 4. p. 501. 513.

— Oratorium a Symmacho aedificatum. Annales veteres a Cuspiniano de coss. laudati ad an. 510.

S. Pudentianae titulus 188. 214. 351. Vid. Pudentis titulus. Vid. Euphemiae et Archangeli monasterium.

S. Pudentianae in thermis Novati in vico Patricio p. 5. in Pio I. Vid. Pudentis titulus.

S. Pudentianae picturae veteres subter ecclesiam et in ipsa ecclesia, describuntur in notis ms. ad Hugonium de stationibus p. 165. 166. in bibliotheca Card. Imperialis.

Pudentis titulus, id est ecclesia S. Potentianae, restauratur ab Hadriano I. 169. Donis ornatur a Leone III. 200, a Gregorio IV. 239.

Q

SS. Quadraginta hospitale trans Tiberim. Burcard. diar. Alex. VI. post diem 5. iun. an. 1500.

SS. Quatuor coronatorum ab Honorio I. ecclesia condita 65. Ibi eligitur Stephanus VI. 346, qui dona eidem dat. 351.

SS. Quatuor coronatorum titulus 257. Dona ei oblata a Leone IV. 258. 260. 263. 292. Nomine SS. Quatuor fratrum appellatur 270. 274. 281. 284. Ecclesia ab eodem a fundamentis restaurata 269. Ibi oratorium S. Barbarae ibid. 270. S. Sixti, S. Nicolai. Ibid. Ab Hadriano I. restaurata 273. Donis aucta a Leone III. 189. 190. Ibi oratorium S. Sixti 270.

SS. Quatuor coronatorum ecclesia ornata erat picturis veteribus ante quam Card. Millinus eam instauraret. Eas picturas Iustadonna, seu Iustobona, fieri curaverat a Gu * et Petrolino pictoribus, ut in eisdem picturis adnotabatur. Iohan. Garzonius in vita S. Dominici meminit Gustadonnae matronae romanae cuius filium a mortuis suscitavit S. Dominicus. Ita adnotatum ab incerto reperi ad Ugonium de urbis stationibus fol. 221. in biblioth. Card. Imperialis.

* Ita cod.

— Ad archiepiscopum trevirensem spectabat, ibique hospitabatur cum Romae degeret. Acta Balduini archiep. trevir. tom. 1. Miscel. Baluzii p. 127. Vide Region. II. in ind. antiquitatum. Ab Honorio I. papa condita, ab Henrico imp. an. 1085. destructa, a Paschale II. instaurata et palatio decorata. Anon. vat. cod. n. 6311. fol. 77. terg.

S. Quirici ecclesia 167. Quiriaci titulus 189. Ecclesia in Thermis 226.

R

De Renati monasterium 188. 202. Vide subscriptiones sexti concilii generalis.

S. Romani basilicam extra portam salariam renovat Sergius II. et titulo SS. Silvestri et Martini parochiam esse decernit 253.

Rosae Domnae monasterium. Iohan. Buccamatius Card. tusculanus in testam. an. 1309, inter Panvinii schedas de Cardinalibus in arch. secr. fol. 54. Vide Domnae Rosae.

S. Rosae in Castro aureo, nunc S. Catharina Funariorum. Nardin. p. 323.

SS. Rufinae et Secundae ecclesia apud Lateranum a Vigilii vicedomino habitata 57.

SS. Rufinae et Secundae iuxta palatium lateranense. Iohan. XIX. apud Ughel. tom. 1. col. 111. ubi dicitur propria esse episcopi Silvae Candidae. Et Bened. IX. ibid. 121. Postea portuensis episcopi. Greg. IX. ibid. 155. b. 156. c.

— Prope ipsam Cellarium sive Lardarium. Bened. IX. apud Ughel. tom. 1. col. 121.

SS. Rufinae et Secundae in episcopio Silvae Candidae 168. 277.

S

S. Sabae monasterium 149. 173. 186. 201. 241. Innoc. IV. ep. 882. et an. 5. ep. 835.

S. Sabae ecclesiae fons, in quo eiusdem sacrum scapulare, eiusque aqua morbos multos sanat. Contarenus de urbis antiquitatibus edit. Neapol. an. 1569. p. 147.

S. Sabae abbas. Innoc. IV. an. 5. ep. 835. Eius canonici regulares intersunt processionibus sede vacante sub Leone X. Vide Ecclesiae. Ad eius abbatem pertinebat Porcilianum prope Ostia tiberina. Bonav. Angeli hist. di Parma p. 640. Abbas. Bened. XII. an. 2. vel 3. de cur ep. 96.

S. Sabae in monte Quirinali. Anon. in cod. urbin. n. 410. fol. 203. terg. et 206.

S. Sabinae basilica a Petro episcopo constructa sub Sixto III. p. 35. Titulus restauratus a Leone III. 176, qui dona eidem offert 186. 189. 203. 205. iuxta scriptum codicem 211. Ornatur ab Eugenio II. 231.

S. Sabinae ecclesia. Litanias ab eadem ad S. Paulum triduo ante ascensiouem Domini instituit Leo III. 189.

S. Sabinae iuxta palatium Licianum a Simplicio constructa. Iornand. in anal. apud Cassiod. de coss. an. 468.

S. Sabinae ubi fratres Praedicatores an. 1309. Testam. Iohan. Buccamatii Card. tusculani inter Panvinii schedas de Cardinalibus fol. 54.

(S. Sabinae in territorio Ferentinello reparata ab Hadr. I. 173.)

S. Salvatoris imago achiropoeeta humeris a Stephano III. et aliis sacerdotibus gestata ad S. Mariam maiorem in litaniis 118.

S. Salvatoris prope palatium magni ducis Etruriae. Vide S. Iacobi in Thermis. Vetus traditio est, imaginem Salvatoris et

B. M. V. in ea ecclesia effigiem esse ducis Valentini et Vannocciae eius matris. Vide S. Eustachii.

S. Salvatoris extra portam versus S. Paulum. Cod. vat. n. 4263. fol. 216. initio.

S. Salvatoris in Aerario. Nomi antichi e moderni di Roma. Venet. 1552. in-8. p. 12. vat. 11572.

S. Salvatoris in Aerario vel Statera. Lucius Faunus lib. 2. c. 3. fine, et 11. fine. Maurus c. 5. p. 40, Gamuccius p. 26. 60.

— In Maxima. Faunus ibid. c. 4, Maurus c. 1. p. 9, Gamuccius p. 13. terg.

S. Salvatoris ad arcum in Crypta, hodie S. Maria Grottapenta. Turrig. ibid. p. 251.

S. Salvatoris in capite pontis S. Mariae. Bullar. casin. t. 2. con. 112.

S. Salvatoris de Cornutis meminit Innocentius III. in epistola ad clericos S. Agathae lib. 8. regest. n. 86. Vide S. Agathae.

— Corneliorum seu de Cornutis, eadem ac S. Hieronymi, in Quirinali e regione viridarii Columnensium. Turrig. ibid. p. 251. Vide S. Hieronymi.

S. Salvatoris Corneliorum. Maurus c. 12. p. 80, Contar. 117, Gamuccius p. 122, Faunus lib. 4. c. 8, Nardin. 187.

S. Salvatoris de Cupellis subiicitur titulari ecclesiae S. Laurentii in Lucina quod attinet ad scrutinium, baptisma, manualem, obedientiam, correctionem, interdictum, et excommunicationem. Honor. III. ep. 203. regest. anni 4. vel 5. Eius archipresbyter. Innoc. IV. an. 5. ep. 747.

S. Salvatoris de Inversis. Vide S. Celsi.

SS. Salvatoris et Balbinae monasterium. Urban. V. literarum commun. regest. an. 6. ep. 44. ultimae partis.

S. Salvatoris de Iulia. Iohannes Buccamatius Card. tusculanus in testam. rog. an. 1309. inter Panvinii schedas de Cardinal. in arch. secret. fol. 54.

S. Salvatoris in Lauro consumitur incendio. Avvisi dei 30. novembre 1591.

— Eius canonici regulares intersunt processionibus sede vacante sub Leone X. Vide ecclesiae. Ab Ursinis fundata. Lippus Brandolinus in epigr. de laudibus Sixti IV. ep. 25. in cod. ms. vat. n. 5008. fol. 65.

S. Salvatoris in Maximis, ubi porta ingens Capitolii et clivus. Fabricius Varanus de Roma, in fine. Torrig. della chiesa di S. Teodoro p. 152. 250.

S. Salvatoris in Maximis, seu Maximinis, in Capitolio. Anon. in cod. urbin. n. 410. fol. 221. terg. Versus ecclesiam S. Mariae in Porticu. Ibid. fol. 222. terg. 226. terg.

S. Salvatoris in Maximis in Capitolio, ubi Iovis templum. Anon. de urbis antiquitatibus in cod. vat. 6311. fol. 71. terg. sub Eugenio IV.

S. Salvatoris in Mentuzza. Nardin. 432.

S. Salvatoris in Palco. Maurus c. 13. p. 91, Gamucerius p. 143, Faunus lib. 4. c. 23, Contarenus p. 123.

S. Salvatoris in Pensilibus. Nardin. p. 323, fortasse eadem ecclesia ac S. Salvatoris in Palco. Anonym. Nomi antichi e moderni de' luoghi di Roma. Venet. 1552. in 8. vat. 11572. Hodie S. Stanislai. Torrig. della chiesa di S. Teodoro p. 251.

S. Salvatoris Pietatis in campo Martio. Faunus lib. 4. c. 16.

S. Salvatoris de Pinea, hodie S. Mariae in Cappella, seu Coppella prope ecclesiam S. Ceciliae. Turrig. ibid. p. 251.

S. Salvatoris in Statera, vel in Porticu, vel in Aerario, hodie S. Homoboni. Turrig. de ecclesia S. Theodori p. 251. Vide SS. Sergii et Bacchi.

S. Salvatoris in Tellure. Nardin. p. 143. Turrig. de ecclesia S. Theodori p. 248.

S. Salvatoris hospitale prope S. Mariam in Domnica, quod et lateranense. Anon. de urbis antiq. in cod. vat. 6311. fol. 77. a terg. Vixit hic anonymus sub Eugenio IV.

(S. Salvatoris oratorium. Vid. S. Petri ecclesia Interamnae.)

(S. Salvatoris apud Reate monasterium 131. 225.)

— De Sardas monasterium 202.

S. Saturnini in via salaria basilicam igne consumptam Felix IV. reficit 50. Item Greg. IV. 234.

S. Saturnini in via salaria a Felice IV. condita. Iornandes in annalibus apud Cuspinianum de coss. anno Christi 525.

S. Saturnini basilica in via salaria, cum coemeterio SS. Chrysanthi et Dariae, restaurata ab Hadriano I. 170.

Schola cantorum, prius orphanotrophium vocata 252.

Saxonum schola in Posterula Saxonum in urbe Leoniana 280.

Schola Anglorum ab Offa rege fundata. Paris hist. Angl. tom. 2. p. 31. 927.

S. Scholasticae ecclesia in Regione IV. prope Macellum non longe ab ecclesia SS. Andreae et Viti. Leo IX. privil. abbatiae Sublacen. an. 1051. In coll. ms. Margarini tom. 2. n. 167.

— Monialium ord. S. Clarae. Bened. XII. an. 3. de curia par. 2. epist. 507.

S. Silvestri ecclesia in Capite, fortasse pro ad Caput, qui locus erat in urbe ubi Silvester I. sepultus fuit, si fides Mart. polono est p. 195. Iuxta palatium Octaviani. Vid. p. 45.

S. Silvestri in monte Quirinali guardianus, una cum Fratribus conventualibus SS. Apostolorum, interveniebat processionibus sede vacante sub Leone X. Vide Ecclesiae.

S. Silvestri ecclesia in foro Nervae. Faunus lib. 2. c. 24. Maurus cap. 4. Gamuccius p. 56.

S. Silvestri in Lacu, eandem esse ac S. Mariam liberatricem putat Prosper Parisius de urbis antiquitatibus, auctus a Petro Martyre, editusque una cum libro cui tit. delle maraviglie di Roma 1625. p. 269, in quo etiam id ipsum asseritur. Antonius quoque Palladius de antiquitatibus urbis, postquam ait tit. de aqueductibus, prope templum Vestae extare ecclesiam S. Silvestri in lacu, subdit in tit. de foris, prope idem Vestae templum sitam esse ecclesiam S. Mariae liberatricis. Palladius autem scripsit sub Paulo III. cum absoluta fuit pictura cappellae Sixtinae, ut ait prope libri finem, agens de palatio vaticano. Lucius Faunus de antiquitatibus urbis lib. 2. c. 9. p. 44. ait S. Silvestro in Lago, o S. Maria liberatrice. Ita etiam Gamuccius de eisdem antiquitatibus p. 62. editus an. 1569, et Anonymus in lib. cui titulus Nomi antichi e moderni di Roma etc. ex edit. veneta an. 1552. in 8. p. 3. et 11. inter vaticanos libros impressos n. 11572. vel 11972. Item Lucius Maurus de antiquitatibus urbis p. 38. edit. rom. an. 1562. ubi similiter ait S. Silvestro in Lago, o S. Maria liberatrice. Vocabatur autem hoc duplici nomine ecclesia ista, quia S. Silvester postquam draconem ibi cubantem descensis 150. gradibus occidisset, locum B. Mariae dicavit. De gradibus 150. adhuc extantibus in subterranea ecclesia recens detecta, testis est Martinus polonus p. 194. De dracone ibi occiso, et ecclesia S. Mariae de inferno ibi itidem aedificata, quae eadem est ac S. Silvestri in Lacu, ut suo diximus loco, vide Anon. in notitia antiquitatum urbanarum scripta an. 1375. in cod. vat. n. 4265. fol. 214. Item librum cui tit. le maraviglie di Roma. Venet. 1598. p. 34. Idem opus a Petro Martyre Felino auctum editumque Romae an. 1625. Item Prosperum Parisium supra laudatum. Item acta S. Silvestri in cod

vat. ms. n. 6076. fol. 147. similia editis a Combefisio. Denini Mabillon. Mus. ital. tom. 2. p. 151. b.

SS. Silvestri et Martiui titulus iuxta Orpheam 201. Diaconia iuxta Orpheam 203. S. Silvestri in Orphea 165. Vid. titulus Equitii.

S. Silvestri tituli presbyter Sergius II. 247. hoc est SS. Silvestri et Martini 254.

SS. Silvestri et Martini iuxta thermas Traianas 45. 288.

S. Silvestri basilica a Symmacho aedificata. Annales antiqui a Cuspiniano de coss. laudati ad an. 510.

SS. Silvestri et Martini ecclesiam seu titulum a fundamentis reficit Sergius II. 254. Ciborium cum columnis porphyreticis ibidem condit 255. iuxta cod. ms. Confessionem aureis tabulis ornat. Ibidem monasterium iuxta eius basilicae latus condit in honorem SS. Petri et Pauli, Sergii et Bacchi, Silvestri et Martini a fundamentis aedificat, cuius monachi quotidie sacra officia in praefata basilica celebrarent 255. Vide appendicem in scripto codice in qua modo S. Martini, modo S. Silvestri et Martini ecclesia dicitur, et in alio haud procul longe loco reaedificatam fuisse, in eamque SS. Martyrum corpora multa ex dirutis coemeteriis translata fuisse scribitur. Similia etiam habentur ibi de ciborio et confessione in qua inter alia evangelia ponuntur sed tacetur de monasterio.

SS. Silvestri et Martini titulus seu parochia extra portam Salariam 253.

S. Silvestri monasterium apud Pallacinas. Vide S. Laurentii.

S. Silvestri oratorium in patriarchio lateranensi, ubi palatii possessionem capiebat Papa. Ordo rom. apud Mabillon. tom. 2. Mus. ital. p. 230.

S. Silvestri confes. et pontificis coemeterium restauratum ab Hadriano I. 170.

(S. Silvestri in monte Soracte 351. 237. 263.)

(S. Silvestri, Benedicti, et Scholasticae, monasterium in Sublaco 270.)

S. Simeonis in monte Iordano prope terram Ursi qui vocatur Pirolus. Reg. farfen. an. 1012. et 1017. in Coll. Margar. n. 70. 95. 98. tom. 2.

SS. Silvestri et Caesarii monasterium in domo sua a Leone IV. aedificatum 274.

S. Symitrii monasterium 203.

et reliquiis, ut ibi missa celebraretur sub Sixto IV. Iacob. Volater. diar. ms. fol. 53. a terg.

— Eius praeceptor Benedictus de Senis, successor Gratiani de Villanova, veste monachi olivetani deposita, ordinis S. Spiritûs veste induitur in sollemni cappella pontificia ab Alexandro VI. Burcard. in eius diar. die 25. dec. 1497.

— Eius Clerus in processione rogationum post Clerum S. Petri incedebat. Burcard. diar. die 25. april. 1501, et 2. april.

— Ipsi protonotariatum Capitolii univit Sixtus IV. Burcard. diar. Innoc. VIII. in cod. urbin. fol. 67. terg.

— Hospitale a Sixto IV. conditum scite describit Lippus Brandolinus in epigrammatibus de laudibus Sixti IV. ep. 33. in cod. ms. vat. n. 5008.

S. Stephani ecclesia 274. In Caelio monte 190. 211. Vide Nardinum p. 105.

S. Stephani in monte Caelio basilica p. 40. 69. 83. 164. 199. Eius tectum restauratur ab Hadriano I. 70. Memoratur 238.

S. Stephani rotundi picturas elaborarunt Nicolaus Pomerancius et Antonius eius filius, qui longe inferiores erant Christophoro itidem dalle Pomerancie nobilissimo pictori. Notae ms. ad Hugon. de stat. p. 291. in bibliotheca Card. Imperialis.

— Commendatur R. . . diacono Cardinali S. Angeli ab Honorio III. ut ea frueretur donec presbyter factus eam pro titulo habere posset, in regesto an. 9. ep. 186.

S. Stephani rotundi prope pontem S. Mariae. Signorilis fol. 79. terg.

S. Stephani monasterium, quod ponitur in Dulciti 202.

S. Stephani monasterium ancillarum Dei ad S. Pauli extra muros. Bullar. casin. tom. 2. const. 112.

S. Stephani maioris et minoris monasteria prope basilicam vaticanam episcopo Silvae Candidae subiecta. Iohan. XIX. apud Ughel. tom. 1. c. 111. Vide c. 118. Bened. IX. Ibid. p. 123.

— Eius abbas Paschalis I. Actorum Caeciliae appendix cod. 6076. fol. 101.

S. Stephani monasterium ad S. Petrum 225.

S. Stephani monasterium iuxta basilicam S. Petri 201. 216.

S. Stephani Catabarbara Patricia prope basilicam S. Petri monasterium, cuius monachi eidem basilicae inservirent, fundat Hadrianus I. 160. 201.

S. Stephani monasterium, quod appellatur Catagalla Patricia a

fundamentis renovat Leo III, et videtur fuisse vat. basilicae proximum 207.

SS. Stephani, Laurentii, et Chrysogoni monasterium prope titulum S. Chrysogoni, cui ecclesiae monachi inserviebant, a Gregorio III. institutum 104.

S. Stephani monasterium iuxta Lateranas 201.

S. Stephani ecclesia posita ad S. Pancratium. Leo IX. privileg. abbatiae sublac. an. 1051. In coll. ms. Margarini tom. 2. n. 167.

S. Stephani in Pinea cur ita nuncupata. Anon. in cod. urb. n. 410. fol. 218. terg.

S. Stephani in Piscina. Mart. polonus 48. cod. vat. 4265. fol. 211. terg. Vide palatium Chromatii.

S. Stephani monasterium quod vulgo dicitur Reginae. Greg. VII. privileg. monast. sublac. tom. 2. coll. ms. Margar. n. 243.

S. Stephani del Truglio. Contarenus p. 126. edit. neapolitanae an. 1569. Sixtus V. in bulla de redemptione captivorum Status ecclesiastici an. 2.

S. Stephani del Truglio. Maurus c. 14. p. 95. Gamuccius p. 156. Faunus lib. 1. c. 14. Nomi antichi di Roma. Venet. 1552. in 8.

S. Stephani ecclesia prope basilicam S. Laurentii extra muros, in qua S. Leonis episcopi et martyris oratorium 168. 264. 265. Monasterium ibi tit. SS. Stephani et Cassiani. Ibid.

S. Stephani basilica iuxta basilicam S. Laurentii p. 40. 202.

S. Stephani ad S. Laurentium basilica a Simplicio structa. Iornandes in chron. apud Cassiod. de coss. an. 468.

S. Stephani oratorium in schola cantorum, alias orphanotrophio. Vide addenda (1) vitae Sergii II. ex ms. initio.

S. Stephani et Silvestri a Paulo I. fundatum monasterium, cum ecclesia maiore, quae vocatur S. Dionysii basilica, prope S. Laurentium Lucinae 180. 309. Muneribus ecclesia ditatur a Nicolao I. 301. 309.

S. Stephani et Silvestri monasterium in domo sua a Paulo I. conditum 129. Vide S. Silvestri in Capite. Huic idem Paulus I. unit monasterium situm in monte Soracte sibi dono datum a Pipino Gallorum rege ep. 16. in cod. carolino.

S. Stephani fortasse in Aemilia quae via aurelia nuncupatur. 288.

S. Stephani basilica in via latina p. 37. 269, tertio miliario 208.

(1) Haec olim addenda, postea reapse fuerunt addita editioni vitarum Pontificum curante Vignolio. Editor

(S. Stephani cella cum castello suo in territorio Sutrino. Bullar. casin. tom. 2. con. 150.)

S. Stephani ecclesia prope coemeterium S. Hippolyti in via tiburtina restauratur ab Hadriano I. 171.

(S. Stephani monasterium in territorio Terracinensi. Mabillon. iter. ital. p. 100.)

S. Susannae titulus 85. Restauratus, et baptisterio auctus a Leone III. 178. Denuo donis auctus 200. 211.

S. Susannae titulus inter duas lauros iuxta S. Quiricum 167.

S. Susannae basilica a Sergio I. ornata 88. Donis aucta a Gregorio IV. 239.

S. Susannae ecclesia ad Augustinianos S. Mariae de Populo pertinens, a Sixto V. tradita fuit monialibus. Avvisi del 1587. li 10. ottobre.

S. Susannae habet corpora SS. Eleutherii episcopi et Gemisci martyris ex S. Iohanne de Pinea in ipsam illata. Avvisi de' 10. agosto 1591.

S. Susannae. Vide S. Agathae.

T

Tempuli monasterium cum oratorio S. Agathae 202.

S. Tertullini coemeterium in via latina ab Hadriano I. restauratum 169.

S. Theclae monasterinm prope basilicam vaticanam episcopo Silvae Candidae subiectum. Iohan. XIX. apud Ughel. tom. i. col. 111. Bened. IX. Ibid. c. 123.

S. Theodori diaconia 190. 200. 237.

S. Theodori, in descriptione antiqna Regionum nrbis apud Mabillon. tom. 4. analect. p. 510. 511. dicitur Palatinus ad S. Theodorum. In eius tribuna non rex aliquis Galliae, ut Mabillonius in itinere italico opinatur, sed S. Cleonicus nna cum S. Theodoro pingitur, de quo Cleonico in actis S. Theodori apud Turrigium de hac ecclesia p. 16. et 259. Sic S. Praxedes et S. Pudentiana coronas manibus gestantes (1) in S. Pudentianae tribuna pictae fuerunt, ut dicitur in notis mss. ad Hugonium de station. in bibliotheca Card. Imperialis p. 165.

(1) Genus ornamenti notissimum in martyribus exprimendis. Sic etiam in pictura vetere oratorii S. Felicitatis, ad Titi thermas, cuius meminimus p. 106, septem sanctae matronae filii martyres manibus corollas tenent: cuius religiosissimae picturae, dum adhuc paulo incolumior esset, nos accuratum exemplar, ad usum pietatis domesticae, efficiendum curavimus. Editor.

In S. Theodori ecclesia sunt infrascriptae reliquiae, videlicet capsula cum reliquiis S. Georgii, et de reliquiis S. Agathae, item unum ferrum lanceae. Ita Signorilis in ms. cod. vat. n. 3536. (1).

— Hinc fortasse lux Cencio camerario apud Mabillon. tom. 2. itin. ital. p. 206. ubi ait datum fuisse diaconiae S. Theodori presbyterium pro lancea.

S. Theodori intra Velum, aliâs in Sabello, iuxta domum cultam Sulpitianam, restauratur ab Hadriano I. 169. 215. Putant fuisse prope Lateranum.

S. Theodori ecclesia prope portam maiorem, et bona Flori episcopi Leo IX. in privil. monast. sublac. an. 1051. in coll. ms. Margar. n. 167. tom. 2. et in aliis tom. 1.

S. Theodori ecclesia extra urbem in via appia. Vetus Regionum urbis descriptio in analectis Mabillon. tom. 4. p. 512. 513.

(S. Theodori martyris basilica in finibus Coranis trigesimo ab urbe miliario 253. Vide etiam append. ex scripto codice.)

S. Thomae ecclesia. Vide S. Petri in via appia.

S. Thomae hospitale prope S. Iohannem et Paulum. Faunus lib. 3. c. 14. Maurus c. 9. p. 61. Gamuccius p. 91. Contarenus p. 108. Sixtus V. in bulla de redempt. captiv. an. 2.

S. Thomae in Formis hospitale. Vide S. Erasmi monast. Vide Anon. in cod. urbin. n. 410. fol. 206.

S. Thomae apostoli et S. Michaëlis archangeli de Formis. Honorius III. an. 1. ep. 319. recipit sub protectione fratres ibi commorantes. Item ep. 393. et 432.

S. Thomae in Formis hospitale concessum cum omnibus redditibus basilicae S. Petri, qui ad octo millia auri florenorum ascendebant, a Bonifacio IX, cuius anno primo vivebat Poncellus presbyter Card. tit. S. Clementis commendatarius eiusdem hospitalis. Ita Panvinius in schedis mss. de Cardinalibus in arch. secreto.

S. Thomae montis Sabellorum in via per quam itur ad scholam Graecorum, ubi nunc est ecclesia S. Mariae, ubi arcus Titi Quinti Crispini, et Publii Lentuli, ut ex inscriptione. Anon. in cod. urbin. n. 410. fol. 205.

(1) Obiter harum reliquiarum heic meminit auctor catalogi: nam longe plura de hoc argumento tum ex Signorili, tum ex aliis libris multis, tum denique ex reliquiarum in rom. ecclesiis adhuc prostantibus syllabis, coacervari poterant. Editor.

V

Z

S. Zenonis basilica. Vide SS. Tiburtii, Valeriani, et Maximi.
S. Zotici coemeterium in via lavicana restauratum a Leone III.

FINIS

EDITORIS ADNOTATIO.

Cum superius p. 383. praefarer ad hunc magnum atque eruditissimum romanarum ecclesiarum catalogum, nondum nactus eram vitarum Pontificum rom. editionem illam moguntinam in 4°. (anni 1602.) cuius paginas perpetuo se citare ait Zacagnius catalogi auctor. Postea tamen feliciter illam reperi inter codices vat. Reginae svecae num. 2061; estque illud ipsum exemplar ad quod Lucas Holstenius praeclaros codices olim contulit, eorumque varias lectiones, nec non additamenta, quandoque magna, veluti in Sergio II, manu propria diligentissime adscripsit; quibus deinde magno cum emolumento usus est Iohannes Vignolius in sua libri pontificalis seu de gestis rom. Pontificum editione. Iam vero holsteniani exemplaris historiam sequens eiusdem inscriptio docebit.

Lucas Holstenius vaticanae bibliothecae praefectus, tanto nomimine et munere dignus, hunc codicem (librum impressum) *ad vetusta exemplaria summa diligentia atque improbo labore contulit, supplevit, emaculavit, ipsos etiam litterarum apices exactissime emendans; librum sic emendatum, ut videtur, in lucem daturus, nisi morte praereptus, cum ceteris voluminibus a se scriptis, aut notis manu propria illustratis, heredi suo Francisco Barberino S. R. E. Cardinali reliquisset: post cuius obitum cum aliis confusus, inter libros Caroli Moroni, bibliothecae barberinae praefecti, publice prostitit, emptus a Laurentio Zacagnio pro bibliotheca vaticana, (anno 1685) in quam iure inferri debebat, atque intulit Emmanuel Schelstratius Zacagnii socius. Postea vero codicem iterum distractum, emit a bibliopola Constantinus Ruggerius ariminensis, qui rursus pro dignitate compingendum curavit, et eidem bibliothecae vaticanae, bene de se meritae, ultro restituit anno salutis MDCC XXXIV. die 22. novembris.*

Librum sic redemptum fuisse, testatur ibidem Iosephus Simonius Assemanus, qui praedicto anno 1734. bibliothecam vaticanam custos minor regebat.

ONUPHRII PANVINII

DE CARDINALIUM ORIGINE

LIBER UNICUS.



1. Sacerdotio in orientalibus ecclesiis, praecipueque Hierosolymis, et Antiochiae rite instituto, beatissimus Petrus apostolus catholicae romanae ecclesiae Pontifex primus, cum in urbem romanam, ecclesiam fundaturus venisset, ex praecipuis nostrae religionis cultoribus viros quosdam seniores, bonum testimonium ab his qui foris sunt habentes, plenosque Spiritu sancto et sapientia, spectatae fidei, et rarae probitatis, hierosolymitanae ceterarumque orientalium ecclesiarum more, delegit. Hi clerici appellati sunt, quos per manuum impositionem partim presbyteros, et partim diaconos consecravit: quorum opera Pontifex ipse, seu episcopus romanus, in instruenda crescente tunc romana ecclesia uti posset; cum ei tot millibus hominum ad fidem Christi quotidie venientium consulere non esset integrum. Petro autem presbyterorum, et diaconorum munia, ut pro se quisque suum officium et nosceret, et impigre faceret, dividere in primis utile visum fuit. Itaque summam rerum, animarum scilicet curandarum negotium, presbyteris commisit; ut sacramenta plebi Dei administrantes, orationi, et ministerio Verbi cum episcopo vacarent. Diaconis autem viduarum, pupillorum, et reliquorum pauperum fidelium subveniendorum curam demandavit, eisque mandavit, ut presbyteris quoque sacra facientibus praesto essent; quorum omnium numerus cum prius modicus et incertus esset, ei modum statuerunt Cletus et Evaristus pontifices maximi: Cletus enim, ut auctor est Damasus, presbyteros ad certum numerum redegit; Evaristus vero apostolorum more ad septenarium numerum diaconos in ecclesia romana auxit, quibus quoque praecepit, ut episcopum praedicantem propter stilum veritatis custodirent. Porro autem ne presbyterorum administratio in promiscuo esset, idem Evaristus pontifex romanus, qui sextus (1) post beatum Petrum romanae ecclesiae praefuit circa annum Christi cen-

(1) Cod. *tertius*. Sed *sextus* fuit scribendum, de sententia ipsius Panvinii in suo chronico rom. Pontificum.

tesimum, titulos vel ut nunc dicimus paroecias, in urbe Roma ipsis presbyteris divisit, ut singuli a se invicem secreti in sua urbis regione, titulo, seu paroecia, confusionis vitandae causa, divina ministeria exercerent, populum erudientes, sacramenta Dei omnibus ad se venientibus fidelibus exhibentes: singulosque presbyteros in unaquaque paroecia posuit; sufficere enim tunc visus est is numerus, propter credentium paucitatem.

2. Verum non longe post, fidelium quotidie crescentium multitudine permotus Hyginus pontifex romanus, cum tot fidelibus non sufficerent hi, plures in unoquoque titulo presbyteros esse voluit. Post cuius tempora, in romanorum presbyterorum titulis nullam mutationem factam reperi usque ad Dionysii PP. saeculum. Nam secundo loco circa annum Christi ·CCLX· Dionysius ·XXV· post Petrum pontifex romanus Evaristi exemplum secutus, cum iam religio christiana mirum in modum in urbe romana crevisset, denuo presbyteris ecclesias et coemeteria, seu titulos, vel paroecias, in urbe Roma cum eas ampliasset, divisit, easdemque, quo quisque suis finibus limitibusque contineretur, distribuit, pluribus per singulas, ut Hyginus fecerat, presbyteris constitutis. At non longe post circa annum Christi ·CCCV· Marcellus ·XXXI· post Petrum apostolum romanus episcopus, titulos urbis ab Evaristo antiquitus et primitus presbyteris datos, numero limitavit, decreto statuens ·XXV. in urbe romana dioeceses esse ad baptismatis commoditatem, eorumque opportunitatem, qui ad fidem ex gentibus quotidie veniebant, immo etiam ut martyrum sepulcris consultum esset, sicuti auctor est Damasus. Titulos romanos, seu paroecias cessantibus persecutionibus adauxere, presbyterosque plurimos in singulis constituere Silvester, Marcus, Iulius, Liberius, Damasus, et reliqui pontifices romani. Cum enim infinita paene gentilium multitudo, fidem Christi amplexa esset, non sufficientibus ·XXV· titulis, nec his qui in eisdem residebant presbyteris, et titulorum et presbyterorum in unoquoque titulo numerus auctus fuit. Primus autem, ut diximus, Hyginus romanus pontifex decimus post Petrum apostolum circa annum Christi ·CXL· in unoquoque titulo, seu paroecia urbana, plurimos presbyteros esse voluit, cum unus, ut prius erat, tantae multitudini non sufficeret: hincque eorum presbyterorum romanae ecclesiae, quos postea Cardinales appellatos fuisse constat, origo atque principium manavit, ut inferius demonstrabo.

3. Diaconis autem, quos ad septenarium numerum auxisse diximus in urbe Roma Evaristum, cum ante praescriptum sibi

locum non haberent, sed eorum munia in promiscuo essent, primus regiones singulis divisit Fabianus ·XXI· post Petrum apostolum papa circa annum Christi ·CCXL· ut unusquisque in suis regionibus fidelium primo necessitatibus ex ecclesiae thesauris atque Christianorum oblationibus a subdiaconis collectis, atque ab ipsis custoditis, quantum in se esset, suppeditarent; presbyteris deinceps in sua regione constitutis in omnibus ministrarent. Ex ipsis autem primum vel antiquiorem ab eisdem cum episcopi, cleri, populique consensu electum, archidiaconum appellari statuerunt antiqui Pontifices; sicut et presbyterorum primum, archipresbyterum. Cessantibus persecutionibus, sicut presbyterorum et paroeciarum, ita et diaconorum numerus auctus est. Cum enim prius tantum essent septem, singulique diaconi duabus regionibus praeessent; (in ·XIV· enim regiones Roma tunc dividebatur) postea statutum est, ut in singulis urbis regionibus singuli diaconi essent, atque ita ·XIV· facti sunt diaconi. Demum crescente in dies christiana religione, his non sufficientibus, plures in unaquaque regione diaconi creari coepti, eorumque numerus sicut et presbyterorum incertus atque indeterminatus factus est, locaque in quibus manerent assignata, quae postea ab eis diaconiae appellatae sunt. Haec autem erant fana seu templa, domos et mansiones adiunctas habentia, sicut et aliae urbis basilicae titulique, in divorum honorem dedicata, verum sine tituli praescriptione, hoc est absque animarum cura; quorum locorum cum custodes diaconi non presbyteri essent, animarum ut nunc dicitur curam non habebant: idcirco paroeciae aut tituli minime dicebantur, consecrata tamen erant; a quibus postea diaconi ipsi regionarii, antiquata regionis appellatione, nomina ac distinctiones sortiti sunt: prius enim dicebantur diaconi primae tertiae aut sextae regionis quarum diaconi erant, postea dici coepti diaconus huius vel illius diaconiae, verbi gratia sancti Sergii et Bacchi, Cosmae et Damiani, sanctae Mariae novae, et similia. Hoc autem more presbyterorum factum existimo, qui semper cum adiectione illius tituli, cui praeerant, se nominabant, ut Rodulphus tituli sanctae Mariae trans Tiberim sanctae romanae ecclesiae Cardinalis presbyter. At haec latius paulo post. Hi igitur in suis diaconiis commorantes demandata sibi munia impigre faciebant in sua regione. Episcopo quoque romano, et presbyteris sacra facientibus praesto aderant, ecclesiarum etiam thesauros custodientes, pecuniam plebi inopia laboranti iuxta sibi praescriptas rationes in suis regionibus largiebantur, ceteraque omnia agebant, quae superius explicavi-

mus cum de ordinum sacrorum origine loqueremur (1). Atque haec sunt, quae de origine diaconorum sanctae romanae ecclesiae, qui Cardinales appellati sunt, reperire potui.

4. Presbyterorum igitur, et diaconorum romanae ecclesiae, qui postea cum aliquibus circa urbem vicinis episcopis Cardinalium nomine insigniti sunt, origine enarrata, superest modo ut eorum munia seu officia, quo tempore, cur, qui fuerint, et qua ratione hi id nomen adepti sint, explicemus. Quod ut exactius et diligentius a nobis fieri possit, ante omnia quid Cardinalis voce significetur, sedulo est perquirendum; nam hoc cognito, reliqua etiam facile demonstrabimus. Haec enim vox alium significatum apud veterem quendam profanumque scriptorem, et etiam apud divum Gregorium alicubi habere videtur, quam eum qui nunc passim usurpatur. Quibus omnibus diligenter examinatis, eius veram et germanam (ut nunc videlicet accipitur) interpretationem assignabimus. M. Vitruvius Pollio ex antiquis profanisque scriptoribus solus, quod sciam (Servio tamen grammatico qui longe posterior fuit excepto) huius vocabuli mentionem facit, verum longe alieno significatu, atque a Servio, divo Cypriano, aliisque recentioribus scriptoribus usurpatur. Ita enim in eo opere quod de architectura, ad Caesarem Augustum scripsit lib. IV. cap. VI. « Fores ita compingantur, uti scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius » duodecima parte ». Idem libro decimo cap. ·XX· « Eae [scilicet » postes] concludantur superne intercardinatis trabibus. Supra trabes collocentur, capreoli cardinibus alius in alium conclusi in » altitudine excitati pedes ·IX· » Idem etiam libro eodem cap. ·XXI· « Erigebantur et arrectaria duo compacta pedum ·XXV· crassitudine sesquipedali, latitudine pedum II, coniuncta capitibus transversario cardinato tigno, et altero mediano inter duos scapos » cardinato et laminis ferreis religato. » Has autem duas inferiores sententias adduxi, quod ex eisdem prima intelligi potest, ubi huius vocis cardinalis mentio est. Ibi enim per cardinales scapos, intelligit scapos cardinatos, idest cuspidibus et edolatis linguiculis compactos, seu ut nunc dicitur incorporatos; adeo ut ex Vitruvii sententia « cardinalis » idem sonet quod annexus vel insertus aut compactus seu conglutinatus, sive ut nunc dicitur vulgo incorporatus, quod ut dixi, a divi Gregorii papae sententia haud discrepare videtur.

5. Is enim non uno in loco suarum epistolarum « cardinalem » annexum vel insertum, seu ut nunc dicitur incorporatum interpre-

(1) Huius nos panviniani tractatus excerptum saltem postea dabimus.

tari videtur. Eos enim sacerdotes, sive pontifices, presbyteros, vel diaconos, Cardinales esse refert, qui de una ecclesia presbyteris vel diaconis abundante, vel aliqua gravi causa aut necessitate exigente, ad aliam transferuntur, vel quod illa ecclesia presbyteris indigeat, aut quod fortasse doctos et eruditos non habeat, qui pascendi gregis sibi ipsis commissi, una cum episcopo curam haberent. Hos enim presbyteros vel sacerdotes, seu diaconos sic translatos, et ex una ecclesia in aliam insertos, illius ecclesiae cui annexi sunt presbyteri vel diaconi Cardinales, ut a ceteris fortasse, qui illic ordinati erant, vel qui Cardinales non erant, distinguerentur nominat. Utiturque frequenter divus Gregorius, ubi de istis Cardinalibus, verbo incardinare, hoc est coniungere seu inserere; metaphora, ut existimo, a portarum cardinibus seu cardinatis, ut dicit Vitruvius, trabibus ac tignis translata, per quos et valvae ipsae aedium muris, et trabes ipsae sibimet annectuntur. Illud quoque animadvertendum, quod Cardinalis voce nullus episcopus in sua dioecesi utebatur: tunc enim consuetum erat episcopum Cardinalem dicere cum episcopus esset fortuito casu; verum sic vocabatur quotiescumque scilicet usu veniret, ut aliqua ecclesia episcopo orbata pastore indigeret. Idem sanctus Pontifex aliquando unum ex episcopis vicinarum illi urbi ecclesiarum, in qua forte propter hominum paucitatem, seu barbarorum impetum et saevitiam, episcopus amplius habitare non posset, ad aliam ecclesiam in qua episcopus mortuus esset transferebat, atque ibidem eum non episcopum, sed sacerdotem, seu pontificem constituebat Cardinalem, cum nihilominus titulum ecclesiae suae primae adhuc usurparet, appellabaturque hoc modo, verbi gratia Martinus episcopus Asculanus, et Sabinensis ecclesiae Cardinalis sacerdos seu pontifex. Huius rei exemplum haberi potest in epistolis beati Gregorii libro primo epistola ·LXXIX· qui scribens Martino episcopo in Corsica illi praecipit de Tamitana ecclesia transire in Saonensem (1), aitque. « Iusta poscentibus aurem oportet nos be-» nevolam commodare, quatenus et petentes remedia sperata re-» periant, et ecclesiae non desit sollicitudo pastoris. Et quoniam » ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua » fraternitas decorata, ita est, delictis facientibus, hostili feritate » occupata atque diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla » remanserit, in ecclesia Saonensi quae iamdiu pontificis auxi-» lio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuae mo-

(1) Cod. *Salonensem*, et mox *Salonensi*, quibus in margine substituitur *Aleriensem* et *Aleriensi*.

» dum hac auctoritate constituimus sine dubio sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore, secundum canonum praecepta, cuncta dispone vel ordina, ut et fraternitas tua suis desideriis se gaudeat fuisse potitam, et ecclesia Dei alterno gaudio repleatur Cardinalem suscepisse pontificem. (1). » Idem paulo post epistola ·LXXX· primi libri, clero et nobilibus Corsicae insulae de eadem re scribens ait. « Etsi vos multo iam tempore » sine pontifice esse Dei ecclesiam non doletis, nos tamen de » eius regimine cogitare, et suscepti cura compellit officii, et » vestrae quam plurimum caritas dilectionis astringit: scientes, » quod in eius gubernationibus animarum vestrarum simul consistit utilitas. Nam si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris incurrit. Ea de re quoniam ecclesia Aleriensis sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus » Martinum fratrem et coëpiscopum nostrum ibidem Cardinalem » constituere sacerdotem; Leoni vero fratri et coëpiscopo nostro » operam visitationis iniungere; cui etiam in ea parochiisque ipsius presbyteros atque diacones concessimus ordinandi licentiam, eumque rebus eius, quousque illic fuerit, ut proprium » pontificem uti permisimus. »

6. Longe quoque anterior Gregorio Pelagius papa Caelestino episcopo scribens (2), Cardinalis sacerdotis in hunc modum mentionem facit, inquiens. « Presbyteri, diaconi, et universi cleri Stomensis civitatis petitorio nobis suggessere porrecto, in ecclesia » beati martyris Eleutherii episcopi, quae in ipsius civitatis parochia probatur esse constructa, presbyterum, qui constitutus fuerat, defecisse, atque in eius locum Iulianum diaconum ipsius » ecclesiae pro celebritate ipsius loci quantocius debere ordinari. » Et ideo, frater carissime, si de eius vita vel moribus nihil est » quod contra canonum veniat statuta, suprascriptum presbyterii honore decorabis: sciturus, visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse pontificis [cum scilicet in ea ecclesia non esset » annexus vel eidem praepositus.] Pariter etiam et Felicissimum

(1) De Cardinali apud editores Maurinos ad S. Gregorii lib. I. epistolam XV. ita adnotatur. *Sacerdotem Cardinalem intelligo episcopum proprium, et ut vocant, titulatum. Sic presbyter Cardinalis, diaconus Cardinalis, qui erant in cardine, id est qui primi erant sui ordinis huic titulo affixi. In iure reperimus praefectos Cardinales. Cardinalis idem est ac praecipuus. Consule Cangium de vocis huius sensu, et Altaserram in notis ad hanc epist. Apud Cassiodorum lib. VII. var. ep. XXXI. occurrit princeps Cardinalis.* Editor.

(2) Non reperi inter epistolas Pelagii sive senioris sive iunioris, apud Labb. Concil. T. V., fragmentum hoc epistolae ad Caelestinum episcopum. Editor.

» diaconem in eius ecclesiae ministerio, si conversatio eius fuerit » probata, subrogabis: ut locus processionis celeberrimus ad mi- » nisteriorum consecrationem nec sacerdote indigeat, nec mini- » stro. » His rationibus, per sequentes quoque corroboratis, per sacerdotem Cardinalem intelligere videntur hi SS. Pontifices hominem, qui alicubi ecclesiae insertus, episcopi locum teneat. Nam nil aliud est Cardinalis sacerdos, seu pontifex illius civitatis, quam episcopi vices in ea urbe tenens, mortuo tamen episcopo, et altero non ordinato. Nam vivente episcopo, vicarius potius illius, quam Cardinalis dici deberet. Certum est enim, per pontificem, seu sacerdotem alicuius ecclesiae. si haec nomina absolute sic proferantur « pontifex talis ecclesiae, seu sacerdos talis ur- » bis » designari episcopum, et non presbyterorum, aut diaconorum quempiam. Verum ut intelligeretur, eum non esse illius urbis episcopum seu pontificem illic creatum, sed tamen illam ecclesiam episcopo carentem, episcopi nomine administrare, sacerdotis seu pontificis nominibus, quibus episcopus quoque intelligitur, Cardinalem addi placuit, scilicet annexum, seu translatum, aut illi ecclesiae insertum, quo a vero illius civitatis, et illic a clero et populo ex eiusdem presbyteris vel diaconis, iuxta morem antiquum, creato episcopo differret: ut scilicet ostenderetur, eum non esse illic creatum, sed aliunde videlicet ab alia ecclesia eodem translatum; ut episcopi vice et loco potitus, etiam omnia in ea urbe perageret, perinde ac si ibidem creatus esset, quae ceteri illic creati episcopi agere consueverunt. Nam si per hanc vocem « Cardinalem » primarium in ea ecclesia ipsum intelligere quispiam voluerit, idque additum ut omnium praecipuus haberetur et intelligeretur, omnino hoc nihi superfluum videtur. Nam pontificis voce utens tantum, statim clericorum omnium princeps esse intelligitur in ea ecclesia existentium, cum pontifex appelletur; qua appellatione soli episcopi potiti sunt; presbyteros enim, aut diaconos, licet sacerdotes, non tamen unquam pontifices appellatos invenimus; cum id nomen soli sibi retinuerint, ut dictum est, episcopi. Quo fit ut Cardinalis nomine, nonnisi translatus seu insertus intelligi posse videatur.

7. Hoc etiam ex aliis clarioribus testimoniis, ex divi Gregorii epistolis conlectis, probari potest. Libro enim secundo, epistola ·XXXVII· Iohanni episcopo Squillaciuo scripta, ait. « Pa- » storalis officii cura nos admonet, destitutis ecclesiis proprios » constituere sacerdotes, qui gregem dominicum debeant pasto- » rali sollicitudine gubernare. Propterea te Iohannem ab hostibus

* cod. *lusitanae.*

» captivatae Lissitanae * civitatis episcopum in Squillacina ecclesia
» Cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut susce-
» ptam semel animarum curam, iutuitu futurae retributionis,
» impleas. Et licet a tua ecclesia sis, hoste imminente, depul-
» sus, aliam, quae pastore vacat, ecclesiam debes gubernare:
» ita tamen, ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici, et
» Domino protegente, ad priorem statum coutigerit revocari, ad
» eam in qua prius ordinatus es, ecclesiam revertaris. Sin autem
» praedicta civitas continua captivitatis calamitate prematur, in
» hac, in qua a nobis ordinatus es, incardinatus debeas ecclesia
» permanere. » Praecipimus autem etc. » Hic luce clarius Cardinalis nomine intelligere beatum Gregorium constat, quod superius dixi, translatum seu insertum; praesertim cum verbo utatur incardinare, id est inserere. Etenim libro tertio epistola ·XIII· Agnello episcopo Fundano scripta, idem beatus pater semet explicat, cum ait. « Relatio cleri simul et populi Terraciuae degen-
» tis nos valde laetificat ob hoc, quod de tua fraternitate bona
» testatur. Et quia defuncto Petro pontifice suo, sibi Cardinalem
» postulant constitui te sacerdotem, eorum vota necessario com-
» plenda esse praevidimus: quatenus et illi se gaudeaut impetras-
» se, quod postulant, et nos concessisse quod expedit videamur.
» Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in civitate, nec in eccle-
» sia tua est cuique habitandi licentia; ideo te auctoritate nostra
» Terracinensis ecclesiae Cardinalem constituimus sacerdotem:
» admonentes, ut ita de animabus populorum illic consisteutium,
» Deo protegente, debeas esse sollicitus, quatenus callidi per-
» versique hostis insidiae commisso tibi gregi qualibet arte noce-
» re non valeant. » Et paulo post. « Quicquid vero de praedictae re-
» bus ecclesiae, vel eius patrimonio, seu cleri ordinatione, pro-
» motioneve, et omnibus ad eam generaliter pertinentibus, sol-
» lerter atque canonice ordinare, facereque provideris, liberam
» habebis, quippe ut sacerdos proprius, modis omnibus faculta-
» tem. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quo-
» niam sic te praedictae Terracinensi ecclesiae Cardinalem esse
» constituimus sacerdotem, ut Fundensis ecclesiae pontifex esse
» non desinas, nec curam gubernatiouemque eius praetereas,
» quia ita fraternitatem tuam saepe dictae Terracinensi ecclesiae
» sicut praefati sumus, praeesse praecipimus, ut ante dictae Fun-
» densis ecclesiae tibi iura potestatemve nullo modo subtraha-
» mus. » Et in sequenti epistola clero ordini et plebi Terracinensi scribens de eadem re, ait. « Dilectionis vestrae desideria insinua-

» ta nobis, quam obtulistis petitio reseravit, electionemque ve-
» stram valde laudavimus: quia Agnellum fratrem et coëpiscopum
» nostrum probatum iam meritis, Cardinalem vobis constitui de-
» precamini sacerdotem. Et quoniam gratae laudandaeque petitio-
» ni nec effectum negari, nec moram licet innecti, secundum
» desideria petitionemque vestram supradictum Agnellum directa
» praeceptione ecclesiae vestrae Cardinalem esse statuimus sacer-
» dotem. Pro qua re dilectionem vestram paterna adhortatione
» commoneo, ut ei obedientiam praebere in omnibus debeatis: qua-
» tenus caritatis vestrae solatio roboratus, curam gubernationem-
» que ecclesiae, quam vobis probatur petentibus suscepisse, adiu-
» vante Domino, salubriter valeat implere. Idem epistola ·XXIIII·
eiusdem libri Leontio episcopo Urbinati scripta. « Castorium, in-
» quit, fratrem et coëpiscopum nostrum hic, pro corporis sui
» molestia, retinemus. Et quia nunc ad suam ecclesiam non va-
» let remeare, propterea eo absente, ecclesiae ipsius fraternitati
» tuae operam providimus visitationis delegandam. » Et paulo
post. « Et praeter ordinationes clericorum, cetera omnia in prae-
» dicta ecclesia tamquam Cardinalem et proprium te volumus age-
» re sacerdotem. »

8. Quod autem de episcopis seu sacerdotibus vel pontificibus Cardinalibus diximus, idem quoque de presbyteris intelligimus. Nam presbyter Cardinalis alicuius ecclesiae apud divum Gregorium esse videtur, qui de una ecclesia ad aliam propter aliquam causam translatus est. Is enim Iohanni episcopo Syracusano scribens libro decimo tertio epist. ·XXVIII· ait. « Quorumdam ad
» nos relatione pervenit, Cosmam qui ex monacho monasterii
» sanctae Luciae a decessore vestro memorandae memoriae Ma-
» ximiano in ecclesia Syracusana factus subdiaconus, atque a vo-
» bis postea in possessione, quae Iuliana dicitur, presbyter est
» ordinatus, ita nimia tristitia, et loci qualitate vehementer af-
» flictum, ut vitam sibi poenam existimet, et contritionis suae
» fuga sibi quaerat auxilium. Et ideo quia tales erga subiectos
» nostros debemus existere, quales nobis si subiecti fuissemus,
» nostros volueramus esse praepositos, magnae benignitatis est,
» si eum in ecclesiam ubi subdiaconi est functus officio, sanctitas
» vestra reducere, atque illic presbyterum voluerit constituere
» Cardinalem. Quod ita facere, quantum arbitramur, debetis; si
» tamen nihil est, quod iuste contra ipsum animos vestros exaspe-
» ret. Si vero aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitas
» vestra, ut scire possimus, insinuet. » Quod si sub vocabulo

Cardinalis hic primarium intelligere voluerimus, haud scio quam libenter Iohannes ille episcopus Syracusanus hunc presbyterum ex abiecto loco receptum, atque ex, ut ita dicamus, morte ad vitam revocatum, presbyteris suis senioribus praeponere voluisset: neque id poposcisse beatum Gregorium crediderim. Hanc enim eius petitionem fuisse credo, ut episcopus Syracusanus presbytero illi, ex eo pessimo loco evocato, locum unde vivere posset, in ecclesia sua assignaret, eiusque opera in ecclesiae Syracusanae ministerio uteretur. Quod autem sic translatus sit, nunc eum Cardinalem, ut de episcopis diximus, appellat.

9. Hoc ipsum etiam de diaconis intelligi debere, idem sanctus auctor est, qui libro quarto epist. ·XIIII· Maximiano episcopo syracusano scripta, ait. « Praesentium lator Felix diaconus cum nullatenus in haereticorum dogmata lapsus sit, nec a catholica fide » discesserit, pravis illectus adversus constantinopolitanam synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione removerat. Qui » cum Romam venisset, recepta a nobis, iuvante Domino ratione, excessum suum recepta dominici corporis et sanguinis communione correxit. Quia ergo, ut dictum est, non in haeresim » incidit, sed a sacris generalis ecclesiae mysteriis quasi rectae » studio intentionis erravit; imbecillitati eius, atque necessitatibus consulentes, maximeque substentationi eius, pietatis intuitu » providentes, in tua ecclesia Syracusana eum providimus cardinandum: sive ut officium diaconatus expleat, seu certe ut » sola eiusdem officii, pro substentanda paupertate sua, commoda consequatur, in tuae fraternitatis volumus hoc pendere iudicio etc. » Item libro sexto epist. ·XI· Fortunato episcopo neapolitano scripta de altero diacono Cardinale loquens ait. « Fraternitatem tuam a nobis petiisse recolimus, ut Gratianum ecclesiae Venafranae diaconem tuae concederemus ecclesiae cardinandum. Et quoniam nec episcopum cui obsecundare, nec propriam habet ecclesiam, scilicet hoste prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non praevidimus differendam. Idcirco, scriptis tibi praesentibus, eum necessario duximus concedendum, habituro licentiam diaconem illum, nostra » interveniente auctoritate, ecclesiae tuae, Deo propitio, constituere Cardinalem etc.» Ex his igitur omnibus divi Gregorii sententiis manifeste non solum quod superius dixi, colligi videtur, scilicet per Cardinalem nonnisi insertum alicui ecclesiae ipsum intellexisse, praesertim quia utitur verbo incardinare. quod nihil aliud quam adiungere seu annectere sonat; sed etiam Cardina-

lium nomen, perpetuum in antiquis ecclesiis non fuisse seu ordinarium, immo potius temporaneum et extraordinarium, assumptum scilicet ad tempus, quoties aliquis episcopus presbyter aut diaconus alicuius ecclesiae ad alteram translatus esset.

10. Sed ante quam nostram sententiam de hoc nomine exponamus; quid per Cardinalis nomen idem beatus Gregorius alibi, ex antiquissimis vero beatus Cyprianus, et alii veteres christianae religionis auctores, quid etiam ex gentilibus denique seu profanis scriptoribus Servius Maurus Honoratus grammaticus, senserint contra, prius explicemus; et postea si fieri poterit has discordantes inter se veterum scriptorum sententias conciliabimus. Cardinalis nomen, ut de profanis prius loquar scriptoribus, Servius Maurus Honoratus grammaticus, Virgilii interpres, super primum librum Aeneidos v. 131, principalem seu primarium interpretatur. Ventos enim quatuor cardinales, id est principales, nominans ait. « Eurum ad se Zephyrumque vocat etc. Per hos omnes intelligendi » sunt (supple venti). Isti enim sunt cardinales» id est principales. Divus quoque Cyprianus libellum de cardinalibus Christi domini nostri operibus scripsit, scilicet principalibus, nativitate nimirum, circumcisione, stellae apparitione, ieiunio, caena, chrismatis unctione, passione, resurrectione, et Spiritu sancto, quae omnia ab eo cardinalia opera, id est praecipua et principalia nuncupantur. Idem quoque ex sanctionibus quibusdam in concilio Romae a sancto Silvestro papa ·CCXCIV· episcoporum celebrato registratis demonstrari potest (1). Ait enim cap. III. sancta synodus. « Presbyter autem Cardinalis nisi in ·XLIV· testibus non damna» bitur. Diacônus quoque Cardinalis, (aliâs Cardinarius) constitu» tus urbis Romae nisi in ·XXVI· non damnabitur. Item cap. VI. » S. Silvester ait. « Et ut diacones non essent plures per paroecia» rum examen, nisi duo, et Cardinales diacones urbis Romae VII. » Item cap. VII. sanctus Silvester voce clara dicebat ad coëpisco» pos, ut a subdiacono usque ad lectorem omnes subditi essent » diacono Cardinali urbis Romae, in ecclesia honorem repraesen» tantes eidem. Item cap. XI: et in subdiaconatu esset annis V. » Deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus, donec rogans » tibus ·XXX· presbyteris examen, ut esset diaconus Cardinalis, » quia a prima sede erat constitutum ut serviret annos VII. » Augustinus quoque de baptismo contra Donatistas lib. I. cap. VI. Cardinalium nominis meminit in hoc sensu, aitque. « Quapro-

(1) De hac supposita synodo legatur Constantius epist. rom. Pontif. in appendice p. 38. seqq. ubi et quaedam varietates occurrunt.

» pter inter nos, et ipsos quodammodo cardinales Donatistas, id
» est principales, quorum episcopus apud Carthaginem Primia-
» nus est, iam de hac re nulla est controversia. »

11. His igitur concilii romani, et divi Augustini sententiis, per presbyterum vel diaconum Cardinales, primarios et praestantiores intelligi debere, adeo clarum est, ut id maiore testimonio confirmandum non crediderim; nisi quaedam divi Gregorii sententiae me moverent, quae adeo clare hoc explicant, ut facere non potuerim, quin eas heic subiecerim. Et primo de presbytero Cardinale loquens libro primo epist. ·XV· Balbino episcopo Rosellano scripta, ait. « Pervenit ad nos quod Populanensis ecclesia ita sit sacerdo-
» tis officio destituta, ut nec paenitentia decedentibus ibidem,
» nec baptisma possit praestari infantibus. Huius igitur tam piae
» rei, tamque necessariae mole permoti, iubemus dilectioni tuae,
» ut huius praeceptionis auctoritate commonitus, memoratae eccle-
» siae visitator accedas, ut unum Cardinalem illic presbyterum,
» et duos debeas diacones ordinare. In parochiis vero suprascri-
» ptae ecclesiae tres similiter presbyteros, quos tamen dignos ad
» tale officium veneratione vitae et morum gravitate praevideris,
» et quibus in nullo obvient constituta canonicae disciplinae, ut
» sanctae cum digna cautela provideatur ecclesiae. » Hic sane per presbyterum Cardinalem, non annexum seu translatum intelligit, sed primarium, adeo ut et ceteri tres presbyteri, si omnes translati essent, etiam Cardinales dici debuissent. Quod si omnes indigenae erant, et ex clericis illic consistentibus electi, nullus debuisset Cardinalis nominari. Per Cardinalem igitur presbyterum nescio quid principalitatis ostendit in eo esse, quod in ceteris presbyteris deesse videtur. Hoc etiam clarius colligitur cum de Liberati diaconi superbia loquitur. Scribens enim, ut est in epistola ·LXXXIII· libri primi, Ianuario archiepiscopo Calaritano in in Sardinia ait. « Liberatus igitur, de quo nobis tua fraternitas
» indicavit, qui diaconii fungi perhibetur officio, si a decessore
» tuo non factus est Cardinalis, ordinatis a te diaconibus nulla
» debet ratione praeponi, ne eos quos consecrando probasse cog-
» nosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Praedi-
» ctum itaque Liberatum, quem reprimendus inflat spiritus,
» omni instantia ab intentus sui pravitate compesce, et ultimum
» inter diacones stare constitue, ne dum se illicite praeferri con-
» tendit, immeritus loco in quo nunc situs est iudicetur. Cu-
» ius tamen si obedientia fueris invitatus, et eum post Cardina-
» lem facere volueris, nisi pontificis sui concessionem sollemni

» more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione me-
» mineris, quoniam aequitati convenire non ambigis, ut aliis
» servare non differas, quod ipse quoque servare tibi deside-
» ras. » Nonne etiam hac auctoritate per diaconum Cardinalem hic primarium, seu qui ceteris praesit, intelligere debemus? Praesertim cum dicat: si a decessore tuo non factus est Cardinalis, ordinatis a te diaconibus nulla debet ratione praeferri. Ergo Cardinales diaconi ceteris praeponebantur. Igitur praestantiores vel primarii erant. Nec translatum hic intelligere possumus pro Cardinali seu inserto, cum eiusdem ecclesiae diaconus in eadem esset ordinatus. Si his igitur credere voluerimus auctoritatibus, presbyter vel diaconus Cardinalis idem erit, quod primarius, vel principalis, seu qui ceteris presbyteris praesit aut diaconis.

12. Atque in hoc significatu Cardinalis nomen olim acceptum fuisse, ex multis veterum scriptorum locis constat. Ego quoque cum sententiis suprascriptis probatissimorum gravissimorumque virorum, tum his quae paulo post enarrabo, permotus Cardinalis nomine principalitatem quamdam designari existimo, excellentiorisque epitheti appellationem, a cardinibus desumpta metaphora, perinde ac id usurpamus cum dicimus eurum, austrum, favonium, et aquilonem quatuor esse ventos cardinales, id est primarios; sicuti altissimae partes caeli vocitantur cardines, quia circa has mundus rotatur; et sicut a similitudine eorum, circa quos valvae volvuntur, appellantur cardinales; ita Cardinales, idest primarios, presbyteros vel diaconos appellamus, quod circa eos animarum praecipua cura versatur. Nam antiquitus, ut paulo post ostendam, nihil aliud fuit esse Cardinalem, quam supra alios habere curam animarum. Haec autem Cardinalis interpretatio posterior, superiori omnino repugnare videtur, multumque ab ea differre, cum aliud translatum esse seu annexum sit, aliud esse primarium. Sed nequaquam dubito quin hae repugnantes, ut videntur, inter se interpretationes conciliari possint, cum omnium eorum presbyterorum seu diaconorum, qui Cardinales appellabantur, munus explicavero. Ac primo de presbyteris loquamur, quibus prius hoc nomen inditum fuit, a quibus postea diaconi primo, mox etiam episcopi, idem sibi sumpserunt, et propter officii similitudinem, seu ob antiquam aliquam causam illud sibi vindicaverunt, ut latius paulo post explicabo.

13. Cum igitur superius, et etiam in tractatu quem de origine ordinum scripsimus, diximus in unaquaque dioecesi, et praesertim Romae, post episcopum ordinatos fuisse presbyteros,

ut ipsi cum eo, qui solus tot millium hominum rationem habere non poterat, animarum saluti consulerent docendo, praedicando, baptizando, et sacrosaucta mysteria atque divina sacramenta eis impertiendo; ostenderimusque, singulis presbyteris in unaquaque urbis parte suas paroecias datas vel titulos, in quibus commorantes ea omnia peragerent quae animarum saluti expedire cognoscerent; restat modo ut ostendamus, illos eosdem presbyteros fuisse qui postea Cardinales appellati sunt, nostraque aetate parochiani seu plebani, rectoresque seu archipresbyteri parochiales vocantur. Porro autem, ut diximus, quum religione christiana crescente, unus omnino presbyter uni titulo non satis esset seu paroeciae, plures in unaquaqua presbyteros esse voluit Hyginus pontifex romanus propter fidelium multitudinem: ex quibus schismatis tollendi vitandique causa, unus qui ceteris vel aetate, vel vitae sanctimonia, aut eruditione praestaret, ab eisdem cum populi suffragio electus, ceteris praeponebatur presbyteris in illa paroecia existentibus, qui illis omnibus praeerat in suo titulo, sicut episcopus in sua dioecesi; isque presbyter Cardinalis appellabatur, hoc est primarius seu principalis; ut nimirum a ceteris tam sui quam aliorum titulorum presbyteris non Cardinalibus, sed minoribus, differret. Huius idem munus erat, quod ante quam multi presbyteri in unaquaque paroecia seu titulo essent, illius unius presbyteri erat, ex iis quos ante Hyginum ab Evaristo ordinatos fuisse diximus; quodque nunc est eorum presbyterorum qui parochiani seu plebani vocantur, id est omnibus sui tituli presbyteris praeesse, baptizare, mortuos sepelire, ministrare extremam unctionem, audire exomologeses publicas vel privatas, poenitentiam lapsis imponere, eucharistiam, hoc est corpus Christi, omnibus fidelibus tam infirmis quam valentibus porrigere, et cetera omnia sacramenta quae presbyteris concessum fuisse diximus in ecclesia administrare: demum praecipue verbum Dei assidue praedicare, et omnino, ut nunc dicitur, curam animarum gerere. Haec enim omnia peragere illi uni tantum in sua paroecia fas erat, neque haec ceteris presbyteris sub eo existentibus, nisi eius iussu, peragere licebat.

14. Hoc autem perspicue liquet ex epistola divi Gregorii ad Balbinum episcopum Rosellanum scripta, quam superius recitavimus, ubi eidem mandat ut in ecclesia Populonensi sacerdotum officiis destituta presbyteros quatuor, ex hisque unum Cardinalem, et diaconos duos constitueret, administrandorum sacramentorum causa, et praecipue baptismatis, quod inter reliqua omnia sacramenta a presbyteris tantum Cardinalibus dari cousuetum erat, ut ex

eiusdem beati patris epistolis satis colligitur. Ex quibus etiam illud liquido constat, presbyterum Cardinalem nihil aliud quam, ut nunc dicimus, parochianum seu plebanum olim fuisse. Horum autem presbyterorum Cardinalium duo apud divum Gregorium et alios veteres, qui de eis aliquid scripserunt, genera reperiuntur. Nam quidam presbyteri Cardinales in singulis tam urbanis quam rusticis paroeciis consistentes, presbyteros quoque, quibus praeerant, sub se habebant; quidam plures, quidam vero iuxta tituli gradum pauciores. Ob eam causam quoque Cardinales dicebantur, idest principales, quia ceteri inferiores vel minores essent, quorum opera in rebus, quae ad salutem animarum necessariae erant, utebantur; puta missas celebrando, praedicando per vices suas, audiendo fidelium praesertim aegrotorum confessiones, laudes divinas in choro psallendo, et aliis huiusmodi. Illis tamen non erat concessum administrare omnia sacramenta, et praesertim baptisma, quod solis Cardinalibus presbyteris tunc erat reservatum. Quarum rerum etiam causa eos Cardinales appellatos fuisse constat: cum plures siquidem presbyteri in unoquoque titulo essent, unus tamen tantum Cardinalis id est primarius erat, et ut nunc dicitur parochianus vel plebanus. Huius autem Cardinalium generis meminit beatus Gregorius in duobus epistolis suis superius a nobis recitatis, quarum altera ad Balbinum episcopum Rosellanum altera vero ad Felicem antistitem Sipontinum scripta est, in quibus de ecclesiis Populonensi et Canusina sermo est.

15. Alterum deinde Cardinalium genus ab hoc, ut existimo, exortum, vel ad eius similitudinem dictum fuit, quando unus tantum presbyter in una paroecia manens, Cardinalis presbyter appellatur: omnes enim illi presbyteri quibus animarum cura commissa erat in aliqua paroecia, oratorio, aut ecclesia, vel monasterio monachorum, quibuslibet omnia sacramenta et praecipue baptismatis tribuere concessum erat, licet alios presbyteros sub sua cura constitutos, quibus praeessent, non haberent, solique in suo titulo essent, seu paroecia tam rustica quam urbana, oratorio, aut ecclesia, vel monasterio, cum suis tamen diaconis vel subdiaconis aut ministris, nihilominus Cardinales appellabantur, quod animarum curam habentes sacramenta cum presbyteris administrare poterant in sua paroecia. Iicque titulus, quo hi presbyteri donati fuerunt, non proprie principalitatis, sed potius discretionis erat, ut a ceteris presbyteris animarum curam non habentibus, distingui possent. Et ideo hos etiam Cardinales appellatos fuisse existimo ob officii similitudinem. Huius posterioris Cardi-

nalium generis presbyterorum divus Gregorins libro XII. epistola XI. ad Passivum episcopum Firmanum scripta mentionem facit cum ait. « Anio comes castri Aprutiensis firmensis territorii » petitoria nobis insinuatione suggessit, quae habetur in subditis, in suprascripto castro oratorium de sumptu proprio pro » sua devotione fundasse, quod in honorem beati Petri apostolorum principis desiderat consecrari. Et ideo, frater carissime, » si in tuae dioecesis, in qua visitationis impendis officium, memorata constructio iure consistit, et nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, praedictum oratorium sollemniter consecrabis. Presbyterum quoque » te illic constituere volumus Cardinalem, ut quoties praefatus » conditor fieri ibi missas fortasse voluerit, vel fidelium concursus exegerit, nihil sit quod ad missarum sacra exhibenda sollemnia valeat impedire. Sanctuaria vero suscepta cum sui reverentia collocabis. »

16. Idem libro II. epistola XII. de hoc eodem presbyterorum genere loquitur, Castorioque episcopo scribens ait. « Timothea » illustris femina petitoria nobis insinuatione suggessit, quae habetur in subditis, intra civitatem Ariminensem in loco iuris sui » oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem » sanctae Crucis desiderat consecrari. Et ideo, frater carissime, » si in tuae civitatis iure memorata constructio consistit, et nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione » legitima, praedictum oratorium absque missis publicis sollemniter consecrabis; ita ut in eorum loco nec futuris temporibus » baptisterium construatur, nec presbyterum constituas Cardinalem. Et si missas forte maluerit fieri ibi, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum, quatenus nihil aliud à quolibet » sacerdote alio nullatenus praesumatur. Sanctuaria vero suscepta cum sui reverentia collocabis. » Item lib. IX. epistola LXX. Passivo episcopo Firmano scripta de hoc loquens ait. « Valerianus » notarius ecclesiae fraternitatis tuae petitoria nobis insinuatione » suggessit, quae habetur in subditis, in fundo Visiano iuris sui » iuxta muros civitatis Firmanae oratorium se pro sua devotione » fundasse, quod in honorem beati martyris Sabini desiderat consecrari. Et ideo, frater carissime, si in tua paroecia memorata » constructio iure consistit, et nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, praedictum oratorium, absque missis publicis, sollemniter consecrabis; ita ut » in eodem nec temporibus futuris baptisterium construatur, nec

» presbyterum constituas Cardinalem Et si is missas ibi fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum, » quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote nullatenus praesumatur. Sanctuaria vero recepta cum sui reverentia collocabis. » Item libro X. epist. II. ad Fortunatum episcopum neapolitanum scripta loquens de hac re ait. « Fraternitati tuae esse non putamus » incognitum, quod Romanus clarissimae memoriae vir per ultimae » suae voluntatis arbitrium in domo iuris sui ecclesiam, quae in » civitate vestra est, aedificari deputavit. Et quia, Deo miserante, » defuncti noscitur voluntas impleta, sanctitas vestra illuc ingravanter accedat ;et si nullum ibidem constat corpus humatum, » locum ipsum in honorem sanctorum Hermetis, Sebastiani, atque Cyriaci, nec non et Pancratii, sollemniter studeat, absque » missis publicis, hoc est sine animarum cura, vel sine iure parochiali, cum veneratione debita consecrare; ita ut in eodem » loco baptisterium nunquam construatur, (praecipuum tituli » seu ecclesiae parochialis signum) nec presbyterum constituas » Cardinalem. Sed quoties missas ibi degentes monachi fieri voluerint, a dilectione vestra presbyterum noverint postulandum, » quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote praesumatur. » Ex his omnibus epistolis cognosci debet presbyterorum Cardinalium praecipue munus fuisse, quod nunc parochianorum quoque est, baptizandi; quum illis oratoriis seu monasteriis baptisterium semper neget beatus Pontifex, quibus Cardinalem presbyterum concedere non licet, cuius solius munus erat baptizandi.

17. Has igitur divi Gregorii posteriores de Cardinalibus sententias superioribus minime refragari, si quis diligenter considerabit, inveniet. Licet enim propria atque germana huius vocis cardinalis interpretatio sit ea quam Vitruvius usurpat, scilicet annexus vel adiunctus et insertus, a cardinibus deducta, seu cuspidinibus, vel linguiculis illis ferreis per quas valvae aedium ferreis quoque substentaculis insertae muris affiguntur, nihilominus secundario quodam significatu, atque ex hoc primo deducto, quo ecclesia usa est, Cardinalis vocabulo primarius quoque seu principalis significatur, metaphora a cardinibus sumpta, quod super cardines praecipue eis affixae fores volvuntur, et per cardines altissimae praecipue et nobilissimae caeli partes designantur, super quas mundus totus volvitur atque rotatur; unde venti cardinales, id est primarii, in graeca voce poli vocantur: ad quorum similitudinem hi qui nobiliores praecipue et eminentiores in ecclesia sunt annexi seu inserti, quod eorum consilio diligentia studio atque in-

dustria ecclesia omnis rotetur atque volvatur, Cardinales quoque appellati sunt. At non perinde ac alii clerici et sacerdotes, sed tamquam Cardinales, id est tamquam hi ad quorum nutum et voluntatem ecclesia Dei volvitur, id est regitur atque gubernatur, atque eorum cura substentatur. Etenim quodnam maius ecclesiae substentaculum, quam ea ratio qua animarum saluti consultum est? Cuius rei ministerio qui adsignati sunt, nonne Cardinales ecclesiae catholicae merito appellari possunt, idest ecclesiae substentacula?

18. Quoniam autem nullus Cardinalis appellari poterat, nisi curam animarum haberet, quae non omnibus tradebatur, presbyter qui illam habebat, eam ob causam primarius erat inter ceteros illam non habentes, et praepositus Cardinalisque appellabatur. Sed quoniam animarum curam quis habere non poterat, nisi ecclesiae quoque esset annexus, ideo hos presbyteros animarum curam habentes, modo insertos, modo primarios appellat divus Gregorius, idque unica voce tantum scilicet Cardinalis. Nam nullus Cardinalis erat, nisi esset et parochianus; nec parochianus esse poterat, nisi ecclesiae Christi coniunctus atque insitus. Idcirco recte utraque haec munera unica Cardinalis voce designata sunt. Quos enim divus Gregorius Cardinales appellat, id est annexos, ii animarum quoque curam habebant: nullus enim Cardinalis nomine ecclesiae adscribi poterat sive adiungi aut incardinari, qui non esset et parochianus. Hi quoque qui Cardinalis nomine primarii ab eo vocantur, annexi etiam et inserti erant ecclesiae, sive ex una ecclesia in aliam translati essent, sive in sua propria ordinati. Eos autem episcopos, quos Cardinales sacerdotes vel pontifices alicuius ecclesiae (aliâs vero eui praepositi essent) nominat beatus Gregorius, eos ita propter curae similitudinem quam cum presbyteris Cardinalibus habent vocat, id est animarum salutis. Illos praeterea sic nominat, ut demonstret, eos non illius ecclesiae consecratos esse pontifices seu episcopos, sed ad illam necessitatis causa ex alia translatos fuisse; idque factum fuisse, ut presbyterorum Cardinalium more in illa dioecesi animarum saluti consulerent, quemadmodum illi in suis paroeciis. Et ideo propter officii similitudinem pontifices seu sacerdotes Cardinales nuncupati, et quod illi ecclesiae annexi seu inserti omnia sacramenta ministrarent. Hi autem non tam illius translationis, quam officii causa, sacerdotes dicebantur, seu pontifices Cardinales: ita enim inserti seu coniuncti erant, ut animarum quoque saluti consulerent; quamobrem dicebantur Cardinales.

19. Hoc idem de presbyteris et diaconis Cardinalibus intelligatur. Presbyter enim de una ecclesia ad aliam translatus, non ideo illius ecclesiae appellatus est Cardinalis quod translatus esset, atque in ipsam insertus, sed quod hac translatione seu annexione, administrandorum quoque sacramentorum facultatem accepisset. Si enim aliquis ob similes casus, quos superius retulimus, ex una ecclesia ad aliam inserendus migraverit eique animarum curandarum officium non delegatum fuerit, is nullo modo nec episcopus nec pontifex sacerdos seu presbyter Cardinalis appellabitur: non enim tantum translatione illa sollemni opus erat, ut aliquis Cardinalis appellaretur, sed etiam quod cum ea migratione animarum quoque curam haberet, qua ratione Cardinalis sacerdos aut presbyter dici posset. Hoc autem nomen in presbyteris medium inter episcopos reliquosque presbyteros antiquitus locum obtinebat. Nam licet presbyteri Cardinales reliquis presbyteris in ecclesiis suis praestantiores, maiores, atque digniores essent, episcopis tamen in omnibus subiecti erant, in quarum dioecesibus eos esse contigisset. A presbyteris autem, propter muneris similitudinem, ad episcopos quoque et diaconos Cardinalis appellatio manavit. Primo autem post presbyteros diaconi, mox episcopi Cardinales appellari coepti sunt. His autem temporibus Cardinalium nomine utuntur presbyteri quidam, et diaconi romanae ecclesiae, adiectis quibusdam circa urbem vicinis episcopis, quod revera principatum sonat: sunt enim primi urbis et orbis presbyteri diaconi et episcopi. Quando autem primum hoc vocabulum in ecclesia excogitatum fuerit, incertum satis est. Constat tamen presbyteros primos hoc nomen usurpasse, mox diaconos. Ego eo tempore illud exortum fuisse crediderim, quo in singulis titulis, seu paroeciis plures presbyteri ordinati sunt, ut presbyterorum primus eo nomine a ceteris distingueretur. Id autem factum fuit sub Hygino papa circa annum Christi CXL. In quadam etiam papae Gelasii epistola ad Caelestinum episcopum scripta sacerdos Cardinalis nominatur. Ait enim: « et ideo, frater carissime, si de eius » vita vel moribus nihil est quod contra canonum veniat statuta, » suprascriptum presbyterum honore decorabis. Sciturus visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse pontificis. » Cardinalium sacerdotum, pontificum, presbyterorum, ac diaconorum meminit etiam Guido archidiaconus bononiensis et iurisconsultus celeberrimus in commentariis, quos in sextum iuris pontificii librum scripsit: « in unaquaque ecclesia principales sacerdotes seu episcopi dicebantur Cardinales. »

20. Nunc operae pretium est, qui fuerint diaconi Cardinales, exponere tam in urbe Roma, quam extra, et quando primum diacon id nomen usurpare coeperint. In urbe Roma ab Evaristo VII. diaconos ordinatos primum fuisse, superius demonstravimus, hierosolymitanae ecclesiae more, eosque a Fabiano primum regionibus praepositos, auctor est Damasus; unde diaconi regionarii appellati. Neque plures septem unquam fuisse, usque ad Silvestri tempora, constat. Bibliothecarius enim in vita Silvestri scribit Sixtum fuisse diaconum regionarium regionis VI. Nam ex epistola Cornelii papae (1), et ante ab ipso papa Silvestro septem tantum diaconos in urbe fuisse memoratos apparet; nec eos unquam ad maiorem numerum provectos ab ullo Pontificum constat, nisi a Silvestro. Quin ex antiquorum patrum praescripto in unaquaque etiam civitate septem tantum esse debebant, Idque romanae et hierosolymitanae ecclesiarum more, in quibus non nisi septem fuisse legimus (2). Ex iis autem primus, vel ab ipsis electus, ut sentire videtur beatus Hieronymus, vel qui antiquior in eo ordine esset, ut aliis placet, diaconus Cardinalis appellabatur, eumque existimo qui archidiaconus dicebatur, et erat. Hanc autem nominis appellationem diaconis circa Fabiani tempora inditam existimo, ad presbyterorum similitudinem: sicuti enim primarii presbyteri appellabantur Cardinales, ita et principes diaconi. Namque hi primum a Fabiano papa regiones divisim gubernandas receperunt, cum eas ille in exactiorem ordinem redegisset.

21. Porro autem cum a Silvestro pontifice ultra hos septem, duo etiam per singulas paroecias urbis Romae diaconi creati essent, qui presbyteris per singulos titulos sacra facientibus ministrarent, Cardinalis appellatione omnes ii septem uti coepere, seque diaconos omnes Cardinales idest primarios vocitare, ut legitur in eiusdem concilii canone VI. « Scitum est quoque ut dia- » cones non essent plures per parochias singulas, quam duo, et » Cardinales urbis Romae VII, ita tamen ut dalmaticis uteren- » tur, et pallia linostima laevam eorum tegerent. » Marcus autem, Iulius, et Liberius (postea pontifices romani), Fabianus, Archidamus, Priscus, et Theodorus, fuere primi, qui omnes simul diaconi Cardinales sacrae romanae ecclesiae essent atque appel-

(1) Legatur huius epistolae fragmentum apud Panvinium de ecclesiis christ. in hoc volumine p. 135. Editor.

(2) Legatur canon XV. neocaesariensis apud nos Spicil. T. VII. p. 98; quem celeroqui canonem postea fuisse antiquatum, ait item apud nos Iohannes ephesius spicil. T. VI. praef. p. XX. Editor.

larentur, (ut videlicet inter eos et diaconos parochiarum discrimen esset) a Silvestro pontifice romano instituti (1). Ad quorum exemplum omnes postea illi septem ecclesiarum diaconi Cardinales appellati sunt, ut a parochianis diaconis differrent, quos ex Silvestri praescripto in singulis urbibus episcopi crearent, cum iam persecutionibus gentilium cessantibus, quies undique adseclis data esset Christi.

22. At non longe post religione christiana mirum in modum crescente, et praesertim Romae, non tantum paroeciae seu tituli, ut superius dixi, ampliati fuere, sed etiam plures presbyteri et diaconi in singulis ordinati sunt, adeoque clericorum collegia multa in eisdem paroeciis existerunt. Quae ecclesiae diaconis Cardinalibus in singulis regionibus in custodiam traditae, longo tempore post diaconiae vocari coeptae sunt, a diaconis qui eisdem ecclesiis praesidebant. Porro cum saepe antiquitus novae ecclesiae a fidelibus fabricarentur, quaedam earum a summis Pontificibus titulorum, quaedam diaconiarum nomine consecrabantur. Cumque hoc etiam iam usuvenisset, ut diaconiae nonnisi a diaconis Cardinalibus, sicuti et tituli nonnisi a presbyteris Cardinalibus administrarentur, pluresque quam quatuordecim factae essent diaconiae, Cardinalium quoque diaconorum numerus ampliatus est. Unde diaconi ipsi Cardinales huius vel illius regionis appellari poterant, cum regiones essent XIIII tantum, unusque tantum Cardinalis diaconus in unaquaque regione iuxta priscum morem esse non posset, sed relicta antiqua nominandi se ratione, a diaconiis quibus praeerant se deinceps vocari voluere; et more prisco dicebant: ego Iohannes sanctae romanae ecclesiae Cardinalis S. Hadriani, quod illa ecclesia in diaconiae nomen vel translata vel fabricata esset. Quapropter diaconorum Cardinalium numerus non solum auctus, sed sicuti presbyterorum, ad incertum numerum est redactus. Tot enim erant diaconi Cardinales, quot diaconiae; hae autem erant quam plures. Atque haec est diaconorum Cardinalium origo et progressus. Quod nomen in diaconis ceterarum ecclesiarum post multum tempus paulatim abolitum, in diaconis tantum romanae ecclesiae permansit. Quod qua ratione factum sit, inferius demonstrabitur. Neminem tamen in inferiore quam diaconum gradu constitutum, Cardinalis episcopi nomen cepisse aut usurpasse memini me legisse. Antiquis temporibus episcopi nomen Cardinalis quoque usurpabant, ut vidimus in epistolis divi Gregorii, verum non in

(1) In praedicta synodo cap. X. Editor.

suis dioecesibus, ut nunc fit, sed cum ad aliam ecclesiam administrandam translati essent; neque tunc episcopi sed sacerdotes tantum vel pontifices Cardinales appellabantur, ut eos per hanc vocem translatos eodem ex alia ecclesia esse, omnes intelligerent. Nam episcopos Cardinales nunquam legi, nisi eo modo quo dictum est; longe videlicet alia ratione atque nunc. Recentioribus enim temporibus hoc nomen episcopis datum est, verum alio modo, atque alio significatu quam antiquitus. Nunc enim idem sonat haec vox Cardinalis in episcopis, quod in presbyteris et diaconis interpretatur, Id est primarii et principales, quod cur et quando factum sit, infra latius explicabitur.

23. Cardinalitii igitur nominis antiquitate explicata, superest ut modo reliqua prosequamur de hoc nomine, seu ut nunc est, dignitate, cognitu non indigna, quae passim apud veteres reperiuntur auctores. Hic autem titulus non tantum antiquitus, ut superius vidimus, sed etiam posterioribus nostrisque temporibus romanae ecclesiae presbyterum diaconorumque peculiaris non fuit, sed primo omnibus, mox multis ecclesiis, praesertim principalioribus, communis. De antiquis temporibus dubium non est, quin omnibus ecclesiis fuerit communis, atque ab omnibus passim usurpatus. De recentioribus autem nostrisque temporibus ostendam. Extat apud Ivonem episcopum carnotensem decretorum collectorem epistola quaedam Iohannis VIII. papae qui vixit anno Christi ·DCCC·LXXIII· ad clerum constantinopolitanum scripta, in qua haec leguntur. « Item et hoc confirmare nos volumus, ut post » mortem Photii fratris nostri, nullus ex mundana dignitate ad » pontificalem dignitatem ascendat, sed ex presbyteris Cardina» libus eiusdem ecclesiae, vel ex diaconis, aut aliis sacerdoti» bus qui sub ecclesia Constantinopolitana consistunt. » Extant quoque multae aliorum romanorum Pontificum epistolae praeser- Innocentii III. ad presbyteros Cardinales ecclesiae Ravennatensis. Item in Pisana ecclesia presbyteros Cardinales fuisse aliquando, memini me legisse. Nostra quoque aetate in Compostellana ecclesia sancti Iacobi a quibusdam presbyteris, quos numero septem didici, Cardinalis nomen usurpatur. Hi reliquis illius ecclesiae presbyteris ac canonicis dignitate opibusque praestant, et inter alia quibus prae ceteris potiuntur privilegia, eis tantum super sacrum divi Iacobi altare sacra missarum sollemnia celebrare fas est. Adeo ut dubium non sit hoc nomen procedente tempore propter ei quandam insitam excellentiam ab omnium minorum ecclesiarum presbyteris et diaconis ablatum, atque ad maiores ec-

clesias id est archipresbyterales esse translatum; qua appellatione illarum ecclesiarum presbyteri utentes, sicut opibus et dignitate ceteris aliarum ecclesiarum presbyteris praestarent, sic et nomine quoque insignirentur quodam speciali. Nostra autem tempestate licet, ut dictum est, in aliquibus ecclesiis a romana diversis adhuc remaneat, tamen presbyterorum et diaconorum Cardinalium romanae ecclesiae splendore maiestate atque auctoritate adeo offuscatur atque obtegitur, ut vix appareat, atque sublatum ex omnibus aliis ecclesiis omnino existimetur, unique soli huic ecclesiae romanae tamquam proprium et peculiare nomen traditum. Vix enim nunc scitur, in aliis ecclesiis hoc ullo modo usurpari; presbyteri vero et diaconi romanae ecclesiae illud sibi merito vindicasse videntur. Cum enim hi omnium urbis et orbis ecclesiarum primarii sint presbyteri et principales, ideo iure Cardinales appellantur.

24. Quo autem tempore sacrae romanae ecclesiae presbyteri omnes titulares diaconique regionarii Cardinales appellari coepti sint, licet certum non sit, nec apud veteres scriptores aperte explicatum, id tamen optimis coniecturis nancisci, vel nisi proprium praecisumque invenerimus, propius tamen accedere possumus. Presbyteros autem primos fuisse superius demonstravimus, qui hoc nomine insigniti fuerint, moxque diaconos id adeptos fuisse in ecclesia romana diximus, postquam plures in unoquoque titulo ordinati essent presbyteri, idest post Hygini pontificis romani tempora qui, vivebat anno Domini ·CXL· Is enim primus pluribus presbyteris in singulis paroeciis positis, primarios seu principales presbyteros instituit. Hi deinde haud multo post Cardinales appellati sunt, siquidem apud Martinum cisterciensem (1) historicum (qui Innocentii IIII. tempore vixit) nonagesimo anno post Hyginum sub Pontiano pontifice romano qui vivebat anno Christi ·CCXXX· ac decimus nonus post Petrum apostolum romanam ecclesiam rexit, sacerdotum Cardinalium in romana ecclesia mentio est. Idem Martinus ·LXXV· anno post, a Marcello pontifice romano, qui vixit anno Christi ·CCCV·, Cardinales presbyteros ·XV· (aliâs ·XXV·) creatos scribit, qui fideles baptizarent, mortuosque sepelirent. Haec autem quum iis, quae a Damaso pontifice romano in Marcelli vita dicuntur, valde consona sint (2) adduci non possum, ut credam id Martinum ipsum nonnisi ex antiquorum

(1) Est hic Martinus polonus quem nonnulli, quos inter Panvinius, non ex ordine Praedicatorum, sed cisterciensem improbabilius existimarunt. Editor.

(2) Consonat Bernardi Guidonis chronographia a nobis edita. Spicil. T. VI.

probatorumque auctorum libris excerpsisse, qui iam perierint, suoque chronico inseruisse Neque enim verisimile est id Martinum perdiligentem et vetustum historicum somniasse. Post Marcelli tempora, ut superius persaepe diximus, in concilio a Silvestro papa celebrato, presbyterorum et diaconorum romanae ecclesiae Cardinalium ita mentio est, ut eos longe prius fuisse appareat, et minime tunc institutos. « Adversus, inquit, presbyte» rum et diaconem Cardinales constitutos urbis Romae accusatio » non excipitur, nisi multorum hominum testimonio comprobata » etc. » Et paulo post. « Diacones Cardinales urbis Romae nonni» si septem sint. Item diacono Cardinali urbis Romae omnes gra» dus a subdiacono et infra subditi sint. » Hi omnes loci videntur illud praesupponere, longe ante illa tempora hunc Cardinalis gradum seu titulum vel appellationem in ecclesia romana fuisse: alioqui non sic absolute locuti essent, si tunc primum fuissent instituti. Quae omnia Martini historici adfirmationem roborare videntur.

25. Paulo post Silvestrum pontificem, sub Damaso papa qui tempore beati Hieronymi vixit, videlicet anno Christi ·CCCLXX·, diaconi cuiusdam Cardinalis urbis Romae nomen legitur. Invenitur enim in antiquissima manuscripta membrana apud ecclesiam cathedralem Arretinam extante donationis cuiusdam Zenobii senatoris romani memoria eidem ecclesiae eiusdem Pontificis tempore factae, in qua est huiusmodi subscriptio. « Et ego Iohannes » sanctae romanae ecclesiae diaconus Cardinalis ex parte Damasi » pontificis laudo et confirmo ». Nec dici potest hanc donationem fuisse factam sub Damaso II, tum quod brevissimus eius pontificatus refragatur; non enim vixit Damasus II. in pontificatu ultra dies ·XXIII·; tum quia litterarum forma, membranaeque antiquitas, et genus priscum dicendi, senioris Damasi temporibus eam donationem factam esse demonstrare videntur. Sacerdotum vero Cardinalium non romanae tantum, sed et aliarum ecclesiarum, post illa tempora, meminit magnus Leo PP. primus, qui vixit anno Christi ·CCCCXL· « Ministerium, inquit, archipresbyteri in eo » constituitur, ut diligenti cura provideat ministerio sacerdotum » Cardinalium, qui sollemne debent agere officium in communi» catione corporis Christi et sanguinis Domini nostri Iesu Christi » etc. » Post Leonem Iohannes papa tertius, qui vivebat anno Christi ·DLXVI·, Cardinalium, et tituli Cardinalis in quadam sua bulla, seu ut tum dicebatur privilegio, mentionem facit. Ea in ecclesiae sanctorum apostolorum urbis sacrario a patribus minoritis

custoditur. Extat autem in membraneo libello ms. satis antiquo inserta. Is vero libellus antiquia archetypa exemplaria diversorum privilegiorum Pontificum romanorum, quae ipsi basilica concessa fuerunt, continet: omniaque, ne eorum memoria deperiret (si aliquando, ut post accidit, antiqua exemplaria amitterentur) fideliter et ad verbum in eo descripta fuerunt per diversos publicos notarios seu romanae sedis scriniarios. Exemplum autem dictae bullae fideliter exscriptum ita se habet (1).

26. Hoc pulcherrimum antiquissimumque privilegium ante annos fere CMXC a Iohanne III. basilicae apostolorum a se conditae concessum, in eadem ecclesia ab illis patribus custodiri, retulit mihi reverendissimus et illustrissimus dominus Rodulphus Pius Cardinalis de Carpo illius ordinis protector, persuasitque ut illud suo nomine ab illis patribus peterem, qui libentissime eiusdem exscribendi facultatem concessere. In eo autem presbyterorum quoque romanae ecclesiae Cardinalium, titulorum ac paroeciarum mentio est valde cognitu digna; unde colligitur omnes urbis titulos seu paroecias, ad quarum similitudinem condita fuit illa basilica, titulus Cardinalis ibi institutus, suis limitibus antiquitus distinctas fuisse, Cardinalemque presbyterum idem tunc fuisse ac eum quem modo parochianum appellamus, atque hanc appellationem Cardinalium in ecclesia romana antiquissimam esse. Et ne quis figmentum aliquod hoc esse existimare velit, Anastasii romanae sedis bibliothecarii verba subiiciamus, qui in vita Pelagii I. sic ait. « Eodem tempore initiata est ab eo basilica apostolorum Philippi et Iacobi; quae dum initiaretur fabricari, mortuus est et sepultus in basilica beati Petri apostoli VI. non. martii ». Idem in Iohannis III. vita paulo post descripta « Hic, inquit, perfecit ecclesiam sanctorum Philippi et Iacobi, et dedicavit eam. » Quam ecclesiam ipse Bibliothecarius ideo Philippi et Iacobi vocat, quod eorumdem natali, idest kal. maii, in honorem omnium apostolorum, dedicata esset. Multa quoque ibi sunt loca ex iis quae in paroeciae finibus determinandis adhuc antiquum retinent nomen, ut Scala mortuorum, Canella, sancti Marcelli et sanctae Mariae in via lata ecclesiae, mons Caballus, via salaria, et pinciana, forma aquae virginis, et similia. Quamobrem dubitari nequit, privilegium illud vere germanum atque vetustissimum esse.

27. Post Iohannem III. PP. presbyterorum Cardinalium romanae ecclesiae mentionem alicubi fieri non inveni usque ad Ca-

(1) Omittimus hanc prolixiorem bullam, quia legitur in magno Cocquelini bullario T. I. p. 93, ex ms. vallicelliano sumpta. Editor.

roli magni Francorum regis, Stephanique papae IIII. tempora, annumque Christi ·DCCLXIX· Stephanus enim IIII. pontifex romanus concilio habito multa decrevit, inter quae hic quoque conditus est canon. «Oportebat, inquit, ut haec sacrosancta domi» na nostra romana ecclesia, iuxta quod a beato Petro et eius » successoribus ordinatum est, rite institueretur, et in apostola» tus culmine unus de Cardinalibus presbyteris aut diaconibus » consecraretur». Extat etiam alius canon eiusdem Stephani IIII. PP. his verbis. «Nullus unquam laicorum vel ex alio ordine prae» sumat, nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut pre» sbyter factus fuerit Cardinalis, ad sacrum pontificatus ordinem » promoveri». Item in alio canone idem Pontifex ait. «Si quis ex » episcopis vel presbyteris vel monachis aut ex laicis contra cano» num et sanctorum patrum instituta praerumpens, in gradum fi» liorum sanctae romanae ecclesiae, idest presbyterorum Cardina» lium et diaconorum, ire praesumpserit, et hanc apostolicam se» dem invadere quilibet ex suprascriptis tentaverit, et ad sum» mum pontificalem ordinem ascendere voluerit, ipsi et sibi fa» ventibus fiat perpetuum anathema» Hoc idem Leo IIII. papa confirmans ait. «Si quis ex sacerdutibus seu primatibus nobilibus » seu cuncto clero huius sanctae romanae ecclesiae electioni ro» mani Pontificis contradicere praesumpserit, sicut in concilio » beatissimi papae Bonifacii et Stephani legitur statutum, ana» thema sit.» Ceterum paulo post ipsius Stephani IIII. tempora sub eodem Carolo magno Francorum rege, et iam imperatore occidentis a Leone III. corouato atque creato, in quibusdam manuscriptis membranis donationis eiusdem Caroli magni coenobio sancti Anastasii de urbe factae huiusmodi subscriptio legitur. «Ego » Leo episcopus romanae ecclesiae subscribo. Ego Carolus impe» rator subscribo. Ego Guillelmus sanctae Sabinae presbyter Car» dinalis subscribo». Haec autem circa annum Christi ·DCCC· acta fuere sub Leone III.

28. Post Leonem vero III. PP. et Carolum imperatorem, sub Leone papa IIII, qui vixit auno Domini ·DCCCL·, apud Anastasium bibliothecarium, Anastasii sanctae romanae ecclesiae presbyteri Cardinalis tituli sancti Marcelli mentio est (1); isque a pontifice Leone IIII. in synodo romana LXVII. episcoporum, iuxta ma-

(1) In ecclesia rom. S. Clementis insculptum septo presbyteri legitur Iohannis VIII. monogramma; tum ibidem in episcopali throno marmoreo memoratur alter Anastasius Cardinalis sic: *Anastasius presbyter Cardinalis huius tituli hoc opus coepit et perfecit.* Editor.

orum decreta multis criminibus prius convictus damnatus, et ab ecclesia eiectus dicitur, quod inter cetera crimina paroeciam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruisset. Sub Iohanne item VIII. anno ·DCCC.LXXII· Cardinales presbyteri Constantinopolitanae ecclesiae memorantur apud Ivonem carnotensem episcopum. Nonagesimo autem anno post, circa annum Christi ·CMLX·, ut superius vidimus, sub Iohanne PP. XII. a quibusdam Cardinalibus presbyteris romanae ecclesiae, contra ipsum Iohannem XII, Othonem Saxoniae regem evocatum scribit Martinus polonus. Anno vero Christi ·CM·LXXXVIII· sub Bonifacio papa VII, Iohannem sanctae romanae ecclesiae diaconum Cardinalem ab eodem Pontifice oculis privatum fuisse, refert idem Martinus. Silvester etiam III. qui creatus fuit anno MXLIIII. appellabatur ante quam esset Pontifex, episcopus Cardinalis sabinus. Post quem sub eius successore Gregorio VI. presbyterorum et diaconorum Cardinalium multa mentio est apud Martinum. Is etiam refert Leonem IX, qui vivebat anno ·ML·, diaconum Cardinalem romanae ecclesiae creasse Hildebrandum soanensem etruscum monachum, qui postea Pontifex maximus creatus est sub nomine Gregorii VII. Deinde sub Nicolao II, qui electus fuit anno ·MLIX·, multis in locis apud omnes scriptores de Cardinalibus sermo fit, cum ipse Nicolaus II. primus fuerit qui sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus Pontificis electionem dare conatus sit, eosque multis privilegiis decoraverit.

29. Ab hoc enim tempore tanta apud omnes scriptores Cardinalium romanorum commemoratio est, ut quidam asserere non dubitaverint Cardinalium ordinem ab hoc Pontifice institutum primo fuisse. Quod quam falsum sit atque ridiculum, nemo est qui ambiget, si superius relata legerit. Hoc tamen verum est, ipsum Nicolaum II. inter omnes Pontifices romanos primum fuisse qui aliquid decoris aut maiestatis Cardinalibus romanis contulerit, atque in concilio statuerit, omnino absque eorum primario consensu Pontificem romanum eligi non posse; utque illi non tantum in eius creatione primas partes haberent cum reliquo clero et populo, verum etiam eius creationis auctores essent, ac fere tota electio ab eorum auctoritate penderet. A quo postea tempore paulatim in creando Pontifice romano reliqui cleri et populi auctoritas propter continuas seditiones mirum in modum imminuta fuit, et contra Cardinalium adeo crevit, ut non longe post, scilicet sub Innocentio II, lege lata atque confirmata, omnis eligendi potestas, quibusdam episcopis finitimis adiectis,

reliquo clero et populo exclusis, omnino ad solos Cardinales devenerit. In electione quoque Gregorii VII, qui creatus fuit PP. anno ·MLXXIV·, haec verba adnotata sunt. « Nos sanctae romanae ecclesiae catholicae et apostolicae Cardinales, cleri, acolythi, diaconi, presbyteri, praesentibus venerabilibus episcopis, abbatibus, multisque tum clericalis tum laici ordinis, eligimus hodie X. kal. maii in basilica sancti Petri ad vincula anno salutis ·MLXXIV· in verum Christi vicarium Hildebrandum archidiaconum, virum multae doctrinae, magnae pietatis, prudentiae, iustitiae, religionisque, modestum, sobrium, continentem, domum suam gubernantem, pauperibus hospitalem, in gremio sanctae matris ecclesiae libere a teneris usque annis ad hanc aetatem educatum, doctum: quem quidem cum ea potestate ecclesiae Dei praeesse volumus, qua Petrus Dei mandato quondam praefuit. »

30. Decreti autem supradicti Nicolai papae II. tenor est qui sequitur. « In nomine domini nostri Iesu Christi et salvatoris, ab incarnatione eius anno ·MLIX·, mense aprili, indictione XII. etc. Quapropter instructi praedecessorum nostrorum aliorumque sanctorum patrum auctoritate, decernimus atque statuimus, ut obeunte huius romanae ecclesiae universali Pontifice, in primis Cardinales episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox Christi clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedant; nimirum praecaventes ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. » Et paulo post. « Sed quia sedes apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur ecclesiis, atque ideo super se metropolitanum habere non potest, Cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice fungentur, qui videlicet electum Pontificem ad apostolici culminis apicem provehant consecrandum. » Et postea. « Quod si paucorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura sincera atque gratuita fieri in urbe non possit electio, Cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicisque laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligendi apostolicae sedis Pontificem ubi congruit. » In electione quoque Gregorii VII. etc. *ut supra usque* quondam praefuit. Post Gregorium vero VII. renunciatus est Pontifex romanus Victor III, de quo abbas Uspergensis haec scribit. « Mortuo Hildebrando papa, qui et Gregorius VII. apud Salernum, Desiderius Cardinalis romanus et abbas casinensis verus Christi famulus, licet multum corde simul ac corpore renitens substituitur. » Hicque primus est quem

in chronicis suis Cardinalem appellat praedictus abbas. Post quem cum omnes postea scriptores Cardinalium mentionem faciant, atque ab eo tempore usque ad nostram aetatem, Cardinalis nomen in ecclesia romana semper perdurasse satis constet, haud diutius demonstrare conabimur, in romana ecclesia post ista tempora, Cardinalis nomen extitisse.

31. Ex his itaque omnibus veterum scriptorum, instrumentorum, privilegiorum, et bullarum exemplaribus, Cardinalium nomen in ecclesia romana perpetuo ordine ad nos pervenisse constat per mille trecentos et viginti annos, ab anno scilicet Christi ·CCXXXI·, Pontiani pontificis tempore: vel si ab Hygino papa initium sumere voluerimus, qui creatus fuit anno ·CXL·, per mille quadringentos et tredecim annos. Quod quidem adeo clare demonstratum est superius tot auctoritatibus, ut id nullo pacto possit inficiari. Hinc pariter fit exploratum, divum Hieronymum sanctae romanae ecclesiae presbyterum Cardinalem fuisse appellatum, cum illa aetate hoc nomine in romana ecclesia primarios presbyteros usos ostenderimus, ex quibus presbyteris primariis erat unus divus Hieronymus, ut ex ea epistola quam ad Ageruchiam viduam de monogamià scripsit, colligitur. Mirum autem alicui esse potest, neque divum Hieronymum, neque quemquam illorum et posteriorum temporum presbyterum aut diaconum ecclesiae romanae, uno aut altero excepto, semet unquam Cardinales appellare, quos tamen Cardinales fuisse multis ex locis constat. Quin et in conciliis a beatis pontificibus Symmacho primum mox Gregorio magno Romae celebratis, cum ibi sint multae presbyterorum et diaconorum romanae ecclesiae subscriptiones, nunquam se Cardinales appellant, sed sic: ego Laurentins sanctae romanae ecclesiae presbyter tituli sancti Matthaei me subscripsi: ibique nunqnam, quod certe mirum videtur, Cardinalis est mentio; quum ea tempestate liquido constet Cardinales fuisse presbyteros et diaconos.

32. Nam cum sublime semper fuerit Cardinalis nomen (licet non ut nunc etiam illis temporibus, siquidem primarius interpretabatur) veteres illos diaconos et presbyteros humilitatis causa non semper usurpasse existimo, ne omnino nimis specioso nomine nti viderentur: praesertim cum per illud nomen in aliquo ordine non non reponerentur; nam in snbscriptionibus synodalibus non ut Cardinales illius ecclesiae vel tituli, sed tamquam presbyteri et diaconi romanae ecclesiae, se subscribebant. Quare cum omnes aequali auctoritate suffragia ferrent, Cardinalis nomen omittebant. Deinde hoc nomen illis temporibus erat quidam titulns addi-

tus officio presbyterorum parochianorum: et quemadmodum nunc diceretur reverendissimus et illustrissimus alicui Cardinali, sic tunc dicebatur Cardinalis parochianus. At nunc quis quaeso Cardinalium se reverendissimum et illustrissimum subscriberet? Nemo profecto, humilitatis videlicet causa. Sic ergo fiebat illis temporibus. Nam eo nomine, cum insigne esset, raro admodum in actionibus publicis utebantur. Verum si illorum temporum epistolas haberemus, ad ipsos Cardinales scriptas, eos Cardinales fuisse appellatos haud dubie legeremus, ut superius vidimus in epistola Iohannis papae. Demum is titulus, licet illis temporibus amplitudinis certe aut dignitatis alicuius esset, eo tamen modestiae causa non utebantur tamquam vocabulo minime necessario. Nam nulla unquam fuit ecclesia quae adeo humilitatis titulos amaret ut romana. Quis enim ecclesiarum praesul servum servorum Dei se unquam appellavit? Sed contra alii, vel universalis patriarchae, vel oecumenici, vel magni pontificis nomen sibi usurparunt.

33. Quum his igitur rationibus diligenter ut arbitror expositis, Cardinalis nomen in ecclesia romana perpetuo temporum ordine per mille et quadringentos annos continuata serie fuisse ostenderimus, reliquum modo est, ut quomodo ad tantam amplitudinem et maiestatem in qua nunc dignitas haec versatur pervenerit, ostendamus. Licet igitur superioribus beato Gregorio temporibus romanae ecclesiae Cardinales magno semper in pretio habiti sint, maximaeque auctoritatis, perinde ac primarii illius ecclesiae presbyteri, animarum curam gerentes, parochiarumque pastores, et Papae collegae ac comministri, non tamen tantae dignitatis erant, ut postea esse coeperunt. Post Gregorii vero tempora, eius quam nunc retinent maiestatis auctoritatisque principium sensim exoriens, in tantum paulatim crevit, atque in eam amplitudinem devenit, ut nunc totius christianae reipublicae supremus et sacrosanctus senatus habeantur. Cum enim Bonifacius papa III. qui paulo post Gregorium pontifex factus est, ab imperatore Phoca caesare augusto impetrasset uti romana ecclesia orthodoxa et verę catholica, quod eius integritate et constantia cunctae haereses, ubique gentium confutatae atque extinctae essent, ceterarum omnium caput existens, et sic a Domino Iesu instituta, ita ab omnibus diceretur et haberetur (eum enim sibi locum constantinopolitana ecclesia per vim et nefas usurpare tentaverat) iam tum romanus Pontifex multo quam antea, una cum toto suo urbano clero, cunctis sine controversia praestare auctoritate coepit (1), ac

(1) Immo vero magnus Iustinianus ante Phocam primatum romanae ec-

simul illi presbyteri et diaconi Cardinales, quibus seu quorum praecessoribus tituli a Marcello pontifice romano divisi fuerant, quibusque fidelium animas curandi munus demandatum fuerat, aliquo tempore post, Cardinalis hoc nomine, non tamquam synonymo parochiani sicut prius fuerat, sed velut supremae illius dignitatis proprio insigniri coeperunt. Atque ita quod principio oneri tantum fuit, summo tandem oneri simul et honori esse coepit. Nec immerito quando illi in administranda christiana republica summo Pontifici praesto semper erant.

34. Post Bonifacii autem III. tempora raro admodum extra romanam ecclesiam, ut ante mos extiterat, Cardinalium mentio reperitur. Nam presbyteri romani et diaconi hoc nomen sibimet tantummodo, cum ante multis aliis ecclesiis commune fuisset, vindicavere, idque Pontificis romani exemplo. Cum enim antiquitus omnes episcopi papae vocarentur, tam videlicet romanae quam ceterarum aliarum civitatum, ut non in uno loco est apud divos Hieronymum, Ambrosium, et Augustinum, Pontifex tamen romanus haud longe postea, tamquam maioris praerogativae nomen, suaeque auctoritatis ac dignitatis vim excellentius exprimens, illud sibi uni adscripsit: ut sicut speciali auctoritate ceteris episcopis orbis praeerat, sic etiam nomine digniore distingueretur, ut scilicet solus papa, hoc est magnus pater, diceretur. Nec deinde ceteris episcopis fas amplius fuit se papas appellare (1). Hac itaque ratione (ut dictum est) ecclesiae quoque romanae presbyteri et diaconi ceterarum omnium ecclesiarum primi existentes, nomen quod prius et aliarum ecclesiarum presbyteris ac diaconis promiscuum erat, sibi ipsis tantum paululum significatu immutato, consentiente orbe christiano, adscripserunt. Et quidem non solum ceteris romanae ecclesiae minime Cardinalibus sacerdotibus et diaconis sublimiores evaserunt, verum etiam omnium totius orbis ecclesiarum cunctis presbyteris ac diaconis. Hoc autem Cardinalis nomen, recentiori videlicet significatu acceptum, non solum presbyteris, sed etiam diaconis ecclesiae romanae more veteri concessum fuit: nam antiquitus diaconos etiam Cardinales legimus. Hisque duobus tantum ordinibus post episcopatum

clesiae magnificis verbis praedicaverat (praeter quam quod alia multa eius rei documenta habentur ante ipsum Iustinianum.) Recole quae nos adnotavimus in secundo Spicilegii volumine circa finem ad fragmenta historica tusculana p. 23-24; itemque T. VII. prael. p. 28. Editor.

(1) Reapse constantinopolitanus quoque patriarcha Nicolaus mysticus epist. XXVIII. (apud nos Spicil. T. IX. part. 2.) romanum pontificem ἐξόχως et antonomastice Papam appellat. Editor.

hoc insigne nomen adtributum constat. Neque enim vel antiquissimis, vel recentioribus temporibus, episcopo excepto, ullus cleri ordo post hos duos, Cardinalis unquam accepit nomen, quod scilicet ii duo tantum ordines sacrosancti sint atque a patribus primitivae ecclesiae ante alios omnes instituti. Quandonam autem Cardinalis nomen episcopis etiam concessum fuerit, ut scilicet episcopi Cardinales vocarentur, paulo post explicabimus. Quinam vero fuerint antiquitus, et postmodum recentioribus temporibus ii presbyteri et diaconi qui Cardinales appellati sint, breviter explicandum est. Ante Bonifacii III. tempora cum Cardinales adhuc, utpote rudioribus et simplicioribus tunc temporibus, non tantae essent auctoritatis, ut postea fuerunt, nec illa munera tunc obirent, quae postea illis demandata sunt, videlicet gravissima et excellentissima, sed tantum curandarum animarum negotium illis commissum esset, tot in urbe Roma erant Cardinales quot paroeciae sive tituli et diaconiae. In unaquaque enim paroecia seu titulo diaconiaque primarii ex presbyteris et diaconis, Cardinales illius ecclesiae appellabantur, cum nihil aliud esset tum Cardinalis nomen quam excellentioris epitheti honor, nec aliud tunc fuit esse parochianum Cardinalem, quam ante alios habere curam animarum. Quamobrem accidit, ut Cardinalium numerus olim maximus esset. Tot enim erant Cardinales, et numero quidem incerto ac indeterminato, sicuti etiam nunc esse videmus.

35. Verum post Bonifacii III. tempora cum Cardinalibus, ut dictum est, romanae ecclesiae ex romani Pontificis praestantia, decus, dignitas ac auctoritas maxima accedere coepisset, Cardinalisque iam sublime nomen paulatim cresceret, atque a parochiis animarumque cura ad maiora sensim tenderet, praesertim ad Pontificis maximi creationem, ad ecclesiarum ceterarum, et denique totius orbis christiani regimen, patrimoniumque beati Petri una cum Pontifice curandum ac regendum, ne permaximum illud eminensque Cardinalis nomen omnibus presbyteris parochianis, atque sacerdotum et diaconorum inconditae fortassis turbae promiscuum esset, ex qua etiam in creatione romani Pontificis multa schismata et seditiones oriri possent, cum ad eos praecipue talis electio pertineret cum populo, verum illi primas partes haberent, selectio quaedam ex omnibus titulis presbyterisque parochianis facta est, statutumque fuit, ut non omnes parochiani presbyteri titulorumque primarii et diaconiarum custodes, Cardinales essent dicerenturque, sed eorum quidam praescripto tanto numero, ne tot hominum multitudine haec dignitas, quae maxima esse coeperat

atque mirum in modum quotidie crescebat, pollui videretur atque vilesceret: igitur nonnulli tantum ex his videlicet presbyteris diaconisque, qui antiquissimis praestantissimisque titulis ditioribusque paroeciis et diaconiis praeerant electi, presbyterique et diaconi Cardinales appellati sunt. Facti autem fuerunt tituli ·XXVIII· et diaconiae ·XVIII· Ceteris vero, qui olim presbyteri et diaconi Cardinales appellabantur, alia nomina indita, ut suarum paroeciarum seu diaconiarum archipresbyteri, rectores, decani, abbates, praepositique dicerentur; singulisque post cardinales titulos paroeciis, a quibus cardinalis titulus sublatus fuerat, iuxta earum praestantiam quaedam ex supra recitatis nomina imposita, gradusque paroeciarum facti. Nam cum primum locum paroeciae seu tituli cardinales obtinerent; post eos erant paroeciae canonicorum, quibus archipresbyteri seu decani; deinde plurimorum alterius generis presbyterorum, et his rectores; postea monachorum, et his abbates; demum paucorum presbyterorum, et his praepositi seu plebani aut parochiani praeerant. Sicque inter omnes paroecias, iuxta earum praestantiam, seu antiquitatem seu opes aut reditus, gradus distincti. Semper autem presbyteri diaconique Cardinales in clero romano primas partes et auctoritatis et existimationinis obtinuere.

36. Haec omnia ex Honorii II. diplomate seu bulla colligi possunt, quam nos ex libello basilicae duodecim apostolorum descripsimus, in quo etiam bulla Iohannis III. superius memorata continetur. Honoriani autem diplomatis tenor est qui subsequitur (1). Ex hac igitur bulla seu privilegio Honorii II, qui creatus fuit pontifex anno ·MCXXIIII. cognoscitur, quae paroeciae cardinales, et quae non cardinales essent, et ex non cardinalibus titulis quibus archipresbyteri, quibus decani, quibus rectores aut alii huiusmodi praeessent. Namque has omnes fere basilicas, quibus Honorii II. tempore archipresbyteri, abbates, decani etc. praeesse dicuntur, eas Cardinales antiquitus tenuisse legitur in diversorum conciliorum subscriptionibus. Quibus postmodum illa, ut dixi, de Cardinalibus cooptatione seu selectione facta, minores presbyteri praefecti sunt, ne (ut retuli) tot Cardinalibus existentibus, nomen Cardinalis vilesceret, seditionesque in creatione romani Pontificis orirentur, cum penes eos illius negotii summa semper versata sit. Diaconi autem

(1) Promittit hoc se daturum diploma Panvinius, quod tamen in codice nostro, immo etiam in publico bullario, desideratur. Quaerendum est igitur in tabulario basilicae SS. apostolorum Philippi et Iacobi, si forte adhuc ibi superest. Editor.

quidam Cardinales creati sunt, iique martyriis, diaconiis, aliisque sine animarum cura basilicis praepositi sunt; quarum tamen nomina, ut superius diximus iu tractatu de origine ordinum, post aliquod temporis spatium confusa sunt; eademque ecclesia, cui cum Cardinalis praeesset, titulus appellabatur, paulo post Cardinali diacono tradita, titulus esse desiit: et contra, quae quum in diaconi Cardinalis cura esset, paroecia esse non poterat, paulo post presbytero tradita, titulus videtur esse Cardinalis. Huius confusionis haec causa fuit quod quum tam presbyteri quam diaconi Cardinales a negotio animarum ad alia diverteriut, eas sibi hac ratione tantum basilicas retinuere, ut memoriam antiqui sui status prae se ferrent, umbramque adhuc aviti honoris retinerent. Haec autem res cum ex solo nomine pendeat, in assignandis more antiquo cardinalibus titulis, inter eas basilicas quaenam tituli et paroeciae essent, et quae martyria, seu diaconiae, vel oratoria, haec confusio paulatim exorta est, ut contra priscum morem oratoriis presbyteri, et e converso paroeciis diaconi praeponerentur Cardiuales: hoc tantum ob prisci muneris memoriam observato, ut sacerdos presbyter talis tituli Cardinalis dicatur, diaconus vero omisso titulo se illius ecclesiae diaconum appellet Cardinalem. Ecclesia quippe commune nomen est tam paroeciis et titulis, quam oratoriis, et martyriis. Verum eadem ecclesia quae aliquando unius Cardinalis presbyteri titulus fuit, eadem paulo post (quo ad nomen tantum) Cardinali diacono tradita, iam amplius titulus nou appellabitur; idque non quod ita sit re ipsa, sed ratione nominis vel dignitatis diaconi Cardinalis, qui cum sacerdos non sit, titulis praeesse non potest, per quos animarum cura, quae solis episcopis, et presbyteris post episcopos, data est, designatur.

37. Licet autem praecipua et potiora in creando Pontifice romano his temporibus sanctae romanae ecclesiae Cardinalium suffragia semper fuerint, nihilominus reliqui quoque cleri, senatus, et populi auctoritas in eius electione, cum Cardinalium tameu suffragio, semper expectabatur. A divi enim Petri tempore usque ad annum Christi ·MCXL· romani Pontificis creandi auctoritas et potestas penes hos ordines fere semper fuit, videlicet Cardinales, archipresbyteros, ecclesiarum rectores, monasteriorum abbates, et alios religiosos homines in clericali constitutos gradu; deinde penes senatum omnem populumque romanum, quorum etiam auctoritas haud contemnenda erat. Circa tempora autem Innocentii II. ob rationabiles causas, omni populo et reliquo non cardi-

nali clero Pontificis romani electio omnino erepta est, solisque Cardinalibus romanae ecclesiae, quibusdam finitimarum civitatum episcopis adiectis, adtributa. Atque ut intelligamus quamobrem id factum sit, sciendum est quod cum inter populum clerumque romanum, atque inter utrumque ordinem, et imperatores Germanos recentioribus temporibus in eligendis romanis Pontificibus, scissis hominum studiis, frequentes et perniciosae orirentur seditiones, dissidia, et funesta scandala; inter has cleri, populi, ac imperatoris saepius ortas disceptationes de Pontifice romano deligendo, eam praerogativam, ac ius ad se sensim devenire Cardinales conspicientes, quo id sibi quantocius firmiusque pararent, decreto statuendum curarunt, ut creationi quoque romani Pontificis nonnulli finitimarum civitatum episcopi interessent: hique Cardinales episcopi, ad presbyterorum diaconorumque Cardinalium romanae ecclesiae instar appellati sunt, idest primarii et principales. His cum reliquis romanae ecclesiae Cardinalibus, clero, senatu, populoque romano, auctoritas primaria creandi romanum Pontificem data est. His etiam primus locus post Pontificem maximum in ecclesia latina datus est, atque ut ob tantum munus et excellentiam merito Cardinales episcopi vocari possint et debeant. Sicut enim presbyteri et diaconi romanae ecclesiae Cardinales, ceteris totius orbis presbyteris et diaconis praesunt, et in creatione Pontificis primas partes habent; ita etiam pari ratione et ii episcopi quum illa eadem munera tractent, quae ceteri Cardinales, Cardinales quoque nuncupati fuerunt. Horum autem munerus cum antea magnus esset, ad septenarium postea, ut superius demonstravimus, redactus est: statutumque, ut ii septem essent, ostiensis, portuensis, sanctae Rufinae, praenestinus, tusculanus, sabinensis, et albanensis. At non longe post ab Eugenio III. episcopatui sanctae Rufinae portuensi adiecto, sex tantum remanserunt usque ad nostra tempora episcopi Cardinales (1).

38. Ante Nicolaum II. PP. cuius decretum synodale supra (p. 496.) retulimus nullam episcoporum Cardinalium mentionem fieri inveni, cum post patriarchas, metropolitanos, primates, atque archiepiscopos, in quibus ii non connumerantur, episcopatus omnes paris essent atque aequalis auctoritatis. Celebratum autem fuit illud Nicolai concilium Laterani anno Christi ·MLIX· At dubium non est, quin haec episcoporum Cardinalium appel-

(1) Confer priscam Cardinalium notitiam a nobis expositam in hoc Spicilegio T. VI. p. 271. Editor.

latio, antiquior fuerit ipso Nicolao II. Hanc ego Leonis VIII. (1) tempore ortam crediderim circa annum Christi ·CMLX· Verum non longe post ad septem primo, mox ad sex, Cardinales episcopi, qui antea plures fuerant, redacti sunt. Nunc certe sex sunt episcopi Cardinales. Atque inter Cardinales is tantum ordo numero determinato arctatus est; presbyterorum enim et diaconorum numerus est indefinitus, ad Pontificum beneplacitum. Inter hos autem, is qui est episcopus ostiensis, decanus Collegii appellatur.

39. Primus, quod sciam, post Stephanum III, Nicolaus II. Cardinalibus aliquid decoris, maiestatis, auctoritatisque adiunxit. Is enim post grave schisma in romana ecclesia Pontifex maximus anno Christi ·MLIX·, consilio et auctoritate Hildebrandi sanctae romanae ecclesiae archidiaconi, pulso sedis apostolicae invasore Benedicto X, renunciatus, concilio eodem anno apud Lateranum ·CXVIII· episcoporum habito, primus potestatem eligendi romanum Pontificem ad Cardinales tantum romanae ecclesiae, reliquo clero populoque exclusis, reducere tentavit, gravissimarum scilicet et diutinarum seditionum, schismatum, et scandalorum in omni nova Pontificum romanorum creatione orientium pertaesus, simulque ut imperatorum potentiam qua in creatione romani Pontificis, quandoque abutebantur, omnino aut tolleret aut imminueret. Verum cum res nova ab optimo Pontifice tempore fortassis incongruo tentata, parum illi prospere successisset, hoc tamen effecit, ut sanctae romanae ecclesiae Cardinalium potentia et auctoritas plenior ac maior quam antea fuerat, evaserit; ut iam parum ceterorum cleri ordinum populique suffragia valida essent, vel nihil firmitatis haberent, nisi Cardinalium auctoritas, primario quodam iure plenioreque quam antea fuerat, intercessisset, ita ut revera illi tantummodo eius rei auctores haberentur, licet cleri reliqui populique suffragia ad eorum potius satisfactionem, quam ad necessitatem expectarentur. Reapse non longe post, multis quoque intercedentibus causis, eo iure quod olim Nicolaus II. tentaverat, nec satis obtineri potuerat, plene potiti sunt Cardinales, scilicet sub Innocentio II, anno post Nicolaum ·LXXX·, Christi autem ·MCXXXIX·

40. Cum enim Innocentius II. omnium Cardinalium ceterorumque tam sacrorum quam laicorum ordinum populi romani consensu et suffragiis creatus fuisset, non longe post, seditionis praecipuo auctore Petro Leone, potentissimo atque ambitiosissimo ci-

(1) Leo octavus non fuit legitimus pontifex, ut iam adnotavimus in hoc Spicil. T. VI. p. 242. Editor.

ve, eiectus fuit. Qui cum in Galliam fugisset, Petri Leonis filius, nomine Petrus, patre auctore, Pontifex maximus factus est, multorum tam ex Cardinalibus, quam ex ceteris clericis laicisque romanis consensu, qui omnes Petri Leonis potentiam verebantur, atque Anacletus II. appellatus est. Is ecclesiae romanae regimen in schismate pseudo pontifex tenuit septem annis, quum interim in Galliis viveret verus pontifex Innocentius II. Sed quomodo ipse Petrus eiectus fuerit, atque Innocentius restitutus, legemque hic post restitutionem tulerit, qua romani Pontificis eligendi auctoritatem solis Cardinalibus concesserit, excluso omnino cetero clero, et universo populo, paulo post explicabitur. Interim quum huius Anacleti mentionem fecerimus, haud alienum ab hoc proposito mihi visum fuit eius quamdam bullam hic subiicere, ut cognosci possit, qui et quot Cardinales fuerint eius factionis, et quod etiam omnibus temporibus continuata sit series ordoque in ecsia romana Cardinalium. Huius bullae exemplum ex eo libello cuius retro (p. 493.) meminimus, basilicae duodecim apostolorum excerpsi quod est huiusmodi (1).

41. « Anacletus episcopus servus servorum Dei, carissimo in » Christo filio Gregorio tituli sanctorum apostolorum Philippi et » Iacobi presbytero Cardinali, tuisque successoribus in perpetuum. Universos quidem ecclesiae catholicae filios paterna nos » decet affectione fovere, praecipue vero illos qui huic sacrosanctae » romanae ecclesiae, cui Deo auctore praesidere dinoscimur, una » nobiscum iugiter famulantur. Quocirca tuis, fili carissime in » Domino Gregori presbyter Cardinalis, et fratrum nostrorum » Cardinalium petitionibus clementius annuentes, beati abba Cy- » ri ecclesiam positam intra parochiam tuam, in loco qui dici- » tur Biberatica (2), tam in clericorum ordinatione, quam et in » aliis libere ordinandam, et solitum qui ex ea nostro lateranen- » si palatio singulis annis solvebatur byzantium apostolicae se- » dis auctoritate tibi ex parte tuae ecclesiae condonamus, et prae- » sentis privilegii pagina confirmamus; statuentes ut nulla dein- » ceps ecclesiastica saecularisque persona, te tuamque ecclesiam » exin inquietare praesumat. Quod si quis praesumpserit, donec » digna se super hoc satisfactione correxerit, anathematis eum » vinculo volumus innodare. Qui vero conservator extiterit, Dei

(1) Hanc constitutionem, in bullario romano utpote Antipapae praetermissam, heic subtexere non recusamus. Editor.

(2) Addatur haec notitia his quae leguntur superius p. 353. de ecclesiis romanis sancti abba Cyri. Editor.

» omnipotentis gratia et apostolorum Petri et Pauli benedictione » fruatur. » Amen.

Ego Anacletus ecclesiae catholicae episcopus.

Ego Petrus portuensis episcopus.

Ego Desiderius presbyter Cardinalis tituli sanctae Praxedis.

Ego Petrus Cardinalis tit. sanctae Susannae.

Ego Crescentius presbyter Cardinalis tit. S. Mariae in Domnica.

Ego Sigitto presbyter Cardinalis tit. sancti Sixti.

Ego Comes presbyter Cardinalis tit. sanctae Sabinae.

Ego Silvius diaconus Cardinalis tit. sanctae Luciae in Septemsoliis.

Ego Gregorius presbyter Cardinalis tit. sanctae Balbinae.

Ego Litifredus presbyter Cardinalis tit. sancti Vitalis.

Ego Hermannus diaconus Cardinalis tit. sancti Angeli.

Ego Henricus presbyter Cardinalis tit. sanctae Priscae.

Ego Gregorius diaconus tit. sanctae Mariae in Aquiro.

Ego Ionathas presbyter Cardinalis tit. sancti Callisti.

Ego Iohannes presbyter Cardinalis tit. sanctae Pudentianae.

Ego Stephanus presbyter Cardinalis tit. sancti Laurentii in Damaso.

Ego Petrus presbyter Cardinalis tit. sancti Eusebii.

Datum Romae apud sanctum Petrum per manum Saxonis sanctae romanae ecclesiae presbyteri Cardinalis et cancellarii, VIII. kal. maii, indictione VIII, anno dominicae incarnationis ·MCXXX· (1)

42. Ab huius igitur Anacleti II. antipapae patre Petro Leone ceterisque romanis eius fautoribus pulsus Innocentius II. verus Christi vicarius in Galliam ad Ludovicum regem confugit, ubi concilio multorum episcoporum coacto ipsum Antipapam et eius patrem anathemate notavit, una cum eorum fautoribus. Et non longe post a Lothario imperatore, qui per id tempus Henrico V. mortuo suffectus fuerat, pulso Antipapa, Innocentius in suam sedem restitututus est. Quamobrem ipse imperator ab eodem Pontifice imperii confirmationem et insignia recepit. Is autem Pontifex in sua sede repositus, Anacleto qui per septennium papatum occupaverat mortuo, anno Christi ·MCXXXIX· coacta synodo mille fere episcoporum universam Petri Leonis partem eiusque ordinationes et decreta damnavit. Consideransque schismatis illius maximi causam fuisse praecipuam, multitudinis cleri civiumque romanorum suffragia, rem a Nicolao II. parum feliciter tentatam,

(1) Additur in codice sigillum Anacleti, cum inscriptione, in medio quidem: *sanctus Petrus*, *sanctus Paulus*, *Anacletus PP. II.* Circa autem: *Dominus fortitudo plebis suae.* Editor.

prospere egit(1), atque absolvit, decrevitque ut deinceps seditionum schismatumque tollendorum causa, a romani Pontificis comitiis non solum omnes cuiusvis ordinis et conditionis laici arcerentur, verum etiam omnes clerici urbis, exceptis episcopis, presbyteris et diaconis Cardinalibus. Primus itaque is fuit Pontifex, qui hanc auctoritatem solis Cardinalibus romanae ecclesiae dedit. Reapse ex eo tempore romanorum Pontificum creatio penes Cardinales tantum mansit. Addidit insuper ipse Innocentius, ut turbatum ea sanctione clerum et populum molliret deliniretque, tamquam eis in os iniecta offula, ut a Cardinalibus Pontifex romanus creandus, ex omni initiatorum genere assumi posset, et in summum pontificatus apicem extolli, licet ex Cardinalium collegio non esset. Hinc est quod procedente tempore multi Pontifices romani, qui antea Cardinales non fuerant, creati sunt; ut Urbanus III, antea archiepiscopus mediolanensis; Caelestinus V, antea simplex eremita; Clemens VI, antea archiepiscopus burdigalensis; Urbanus VI. archiepiscopus barensis. Verum is mos nostra aetate est paene antiquatus: nunc enim Cardinales Cardinalem tantummodo Pontificem faciunt: licet etiam hodie nulla lege vetitum sit, quominus quilibet ex ecclesiastico coetu, iuxta Innocentii II. decretum, creari Pontifex queat. Alexander vero III. concilio habito decrevit, si forte inter Cardinales in electione romani Pontificis orta fuerit discordia, ut is verus Pontifex romanus Christique vicarius habeatur, qui a duabus partibus Cardinalium concordantibus, contra tertiam, electus fuerit, nulla obstante exceptione. Electus autem a minore numero, gerens se pro Papa, ut una cum sibi adhaerentibus in gravissimas poenas incideret, uti legitur in decretalibus libro primo tit. VI. de electione Papae.

43. Hac ratione post illa tempora amplior in dies maiestas decus et dignitas Cardinalibus romanae ecclesiae crevit, paulatimque inter omnes christianae reipublicae clericos principem locum obtinuere. Ut vero a ceteris clericis, sicut nomine et auctoritate, ita et habitu differrent, maiorque adhuc huic ordini accresceret maiestas, Innocentius IIII. circa annum Christi ·MCCXLIV· publico decreto sanxit, ut Cardinales equo deinceps insidentes, rubro galero, vestibusque latis et oblongis violaceis uterentur, argumento scilicet manifesto oportere eius ordinis antistites semper esse paratos ad sanguinem pro fidei defensione effundendum. Atque ita Cardinalis nomine quum quamplurimos praestantissimos viros eius ordinis creasset, celeberrimum reddidit ordinem supre-

(1) Hinc patet quo anno scripserit hoc opusculum Panvinius. Editor.

mumque effecit. Paulus deinde II. patrum nostrorum memoria tegumentum capitis rosaceum vel rubeum adtribuit, mulas quoque phaleratas et clavam argenteam concessit: in quo statu habituque huc usque, id est anno Domini ·MDLV· (1) sub pontifice Paulo IV. manentes, supremum, post Pontificem maximum, imperatorem, ac reges, in christiana republica inter reliquos omnes tam sacros quam profanos ordines gradum obtinent Cardinales.

44. Porro autem licet sanctae romanae ecclesiae presbyteri et diaconi Cardinales super totius orbis presbyteros diaconosque olim principem locum obtinuissent, omnibus tamen episcopis posteriores semper fuere: medius enim, ut superius dixi, inter episcopos reliquosque presbyteros et diaconos erat ordo Cardinalium, idque usque ad Innocentii IIII. tempora, in quibus quum publico Pontificis maximi decreto, episcopatuum et abbatiarum administratio Cardinalibus romanae ecclesiae concessa esset, episcopatûs simul et muneris cardinalitii iure, episcopis praeire, et super illos locum obtinere coeperunt. Consuetudine autem hac paulatim introducta, alia mox aeque sensim accessit, ut non tantum ii qui sanctae romanae ecclesiae Cardinales iam creati fuissent, episcopatuum et abbatiarum administrationem obtiuere possent, verum etiam ut extra Cardinalium coetum episcopi ordinati, in hunc amplissimum ordinem a Pontifice maximo cooptari possent. In quem tamen relati, episcopatus seu episcopi nomine omisso, sanctae romanae ecclesiae Cardinales, et episcopatus illius, cui prius praeerant, administratores appellantur, potestatem nihilominus episcopalem retinentes: quam quia, quoties opus est, tam episcoporum consecratione, atque aliorum clericorum ordinatione, quam aliarum rerum ad episcopos pertinentium iurisdictione, exercent, hinc fit ut huius quoque rei ratione aliquod tam in presbyteris, quam in diaconis Cardinalibus sit discrimen: quidam enim episcopatuum administrationem cum magistratu ipso retinent: quidam vero, presbyteri Cardinalis seu diaconi honore contenti, nullam episcopatuum curam suscipiunt, sumptus pro suis expensis aliunde habentes, quia quum episcopalem consecrationem non susceperint, sed tantum presbyteri sint Cardinales, munera episcopalia ut alii exercere nequeunt. Episcopis tamen omnibus praeeunt, propter receptam consuetudinem et privilegium, ut Cardinales sint episcopis superiores, tamquam proximi Papae administri, et in universali ecclesiae regimine occupati. Ergo Cardinales

(1) Nostra ac patrum aetate princeps purpurati senatus est episcopus ostiensis Cardinalis, qui haud alius est, quam ipse Collegii decanus. Editor.

episcopi a presbyteris Cardinalibus ita differunt quod attinet ad ordinationem, ut diaconi Cardinales a presbyteris Cardinalibus: auctoritate tamen seu administratione rerum publicarum, seu etiam honoris et praeminentiae, omnes pares et aequales sunt. Cunctis autem sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus a sede apostolica pro expensis sumptibus ac victu quotidiano certa pecuniae summa singulis mensibus, iis videlicet qui ex propriis redditibus sibi necessaria exhibere nequeunt, suppeditari solet.

45. Is igitur qui nunc maximus et supremus omnium habetur ordo, ex triplici ut diximus initiatorum classe constat. Prima enim sex episcopis Cardinalibus constituta est, ostiensi videlicet, portuensi, praenestino, tusculano, sabinensi, et albanensi. Horum episcopatuum ordo quoad praecedendi graduum, indistinctus est atque indeterminatus. Is enim inter omes qui primo episcopus creatus est, licet esset albanensis, principem locum obtinet (1). Quotiescumque autem aliquis ex Cardinalibus episcopis moritur, unus ex presbyteris in urbe commorantibus Cardinalibus ei subrogatur. Absentes enim pro mortuis habentur; licet antiquitus episcoporum Cardinalium subrogandorum absolutum ius penes Pontificem maximum esset. Mortuo enim, puta, episcopo ostiensi, a Pontifice aliquando subrogabatnr presbyter Cardinalis, aliquando alius episcopus Cardinalis, aliquando etiam non Cardinalis. Porro autem qui episcopus est ostiensis, decanus collegii Cardinalium, ut plurimum est. Nam potest etiam alius Cardinalis episcopus decanus esse collegii, quia is vere decanus, est, qui antiquior episcopus Cardinalis effectus est. Alterius vero Cardinalium classis munus est Pontifici dum sacra publice celebrantur, adsistere, eidemque Pontifici thurificanti thus adolendum porrigere, pacemque ei dare, et ab eo acceptam aliis impertiri. Tertia Cardinalium classis est diaconorum, ex quibus duo seniores, id est antiquius promoti, adsistentes Pontifici nominantur. Nam ii duo Pontifici ipsi maximo, dum sacris publicis interest, alter a dextris, alter a sinistris necessaria ei ministrantes adstant. Presbyterorum autem diaconorumque Cardinalium numerus indefinitus est. Ex ipsorum Cardinalium ordine assumuntur tres, qui in romana ecclesia praecipuos magistratus gerant, scilicet vicecancellarius, camerarius, et maior poenitentiarius. Horum porro munera amplissima alibi commodius explicanda sunt (1).

46. Atque hoc initium fuit et progressus ordinis, qui nunc su-

(1) Scilicet in alio tractatu de origine ordinum, ubi etiam de patriarchis, primatibus etc. Editor.

premus habetur Cardinalium, a sanctissimo pioque orti ministerio, animarum scilicet cura: qui tanto paulatim incremento auctus est, ut solus nunc sit totius christianae reipublicae maximusque senatus. Quo factum est, ut urbs etiam Roma, lux orbis terrarum, atque arx omnium gentium, suam recepisse curiam, qua louge lateque dominabatur, merito sibi videri possit: simulque gaudere, quod hi senatores non censu, sicuti priscl illi romani, sed vitae sanctimonia, doctrina, moribus inculpatis ornati, in eum ordinem cooptantur. Iam si quaeratur ad quosnam electio Cardinalium romanae ecclesiae spectaret, animadvertendum est, antiquitus eo more Cardinales fieri consuevisse, quo ceterarum ecclesiarum presbyteri ac diaconi fiebant. Eorum enim designatio ad multitudinem pertinebat, cum episcopi tamen et reliquorum presbyterorum consensu et approbatione. Nam qui designabantur a populo, ab episcopo confirmandi atque consecrandi erant. Hoc autem perspicue demonstravimus in superiore tractatu de origine ordinum. Cardinale itaque aliquo presbytero mortuo, statim auctoritate Pontificis romani omnis populus, tam illius paroeciae quam reliquarum urbis, in basilica beatae Mariae maioris congregabatur cum clero, ubi vita presbyterorum seu diaconorum illius tituli cuius fuerat Cardinalis defunctus, atque mores examinabantur; et si eorum aliquis eo magistratu dignus iudicaretur, statim cleri populique iudicio suffragiisque, Cardinalis presbyter illius ecclesiae eligebatur. Quod si antea presbyter fuisset, a Pontifice maximo tantum confirmabatur. Si autem diaconus, sacerdos prius ab eo consecrabatur, et deinde in presbyterorum Cardinalium numerum recipiebatur. Aliquando etiam usuveniebat, ut presbytero Cardinali mortuo, statim auctoritate Pontificis romani diaconus Cardinalis subrogaretur alicuius martyrii vel regionis. Hoc autem eveniebat quando paroecia cardinalis propter tenuitatem inopiamque plebis, non habebat presbyteros nomine cardinalitio; vel si etiam aliqui eiusmodi fuissent, nemo munere dignus censeretur, ideoque necesse erat, ut alia ex paroecia presbyter assumeretur, qui Cardinalis in eo titulo fieret.

47. Diaconorum quoque Cardinalium creatio more presbyterorum fiebat. Nam qui a populo cleroque Pontifici oblatus fuisset, is diaconus Cardinalis creabatur. Sed enim Cardinalium creandorum ius totum ad Pontificem maximum postea devenit, clero populoque omnino exclusis; qui Pontifex ex quolibet vel romani cleri vel aliunde ordine eos, qui sibi tanto fastigio ac dignitati idonei videntur, pro suo arbitrio Cardinales facit. Solent tamen

Pontifices maximi in creatione ipsorum Cardinalium sacri collegii fratrum suorum Cardinalium iudicium et assensum exquirere; quo tamen iudicio et assensu denegato, soli Pontifices ius creandi Cardinales habent. Et cum antiquitus tam presbyterorum quam diaconorum Cardinalium definitus quidam numerus non esset, cardinalium quoque titulorum seu paroeciarum indeterminatus numerus erat. Postea vero inter paroecias delectu illo, de quo superins diximus, habito ad determinatum numerum redacti sunt Cardinales. Rursus ad extremum indeterminatus Cardinalium numerus evasit, cum pro Pontificis libito, et ecclesiae ac collegii necessitate, Cardinales creari coeperunt; manente adhuc prisca illa titulorum appellatione, ut antiquae consuetudinis saltem umbra servetur.

48. Cnm autem creantur Cardinales, vel ubi primum renunciati sunt, mox eis titulus vel diaconia adsignatur, ad qnem vel quam, ut mos antiquus observetur, proficisci solent, atque in suam tutelam ac potestatem ecclesiam illam, aras deinde, et cappellas illius tituli, cum clero, si quis est eius ministerio addictus, atque etiam populo, suscipiunt. Adeo ut dubium non sit, Cardinales presbyteros illos fuisse, qui in singulis paroeciis seu titulis urbis commorantes, ut nunc plebani seu parochiani faciunt, sacramenta administrabant, et praecipue baptisma: quique alios plurimos minores presbyteros et diaconos habentes sub se, eam ob rem Cardinales presbyteri illius tituli seu paroeciae appellabantur, id est primarii et principales: cuius quoque rei non modicam, ut diximus, fidem faciunt tituli quos etiamnum Cardinales retinent: qui tituli eos in locum illorum perpetua serie successisse presbyterorum denotant, quibus, prout declaratum est, Evaristus titulos, et deinde Marcellus veluti dioeceses seu paroecias distribuerant. Diaconis autem Cardinalibus suarum, perinde ac sine titulo essent, ecclesiarum cura committitur, ut sollicite et impigre in illa ea omnia faciant, quae commissi sibi templi, diaconiae vel martyrii nomine, ratio exegerit. Atque hactenus de Cardinalium origine.

EX TRACTATU

ONUPHRII PANVINII AUGUSTINIANI

DE SACRORUM CLERI ORDINUM ORIGINE

AD REV. CARD. S. CRUCIS MARCELLUM CERVINUM BREVE EXCERPTUM.



In christiana re publica duo potissimum hominum genera versantur, alterum laicorum nomine appellatum, qui res profanas curant; alterum clericorum vocabulo nuncupatum, qui sacris faciundis, precibus, et religioni rite procurandae vacant. Idque Hebraeorum veterum exemplo factum crediderim (ut est auctor divus Hieronymus in epistola ad Evagrium, qui traditiones apostolicas ex veteri testamento sumptas refert) apud quos haec duo hominum genera a Deo instituta fuerunt. Siquidem principio duces cum populi senioribus, deinde reges, quorum primi Moses et Saul fuere, rei publicae curam gerebant. Sacerdotes autem ex Levi tribu assumpti, atque a ceteris Israhelitis iubente Domino per Mosen segregati, sacra curabant; penes quos, Mose ipso teste, sacerdotium ab levita Aaron incepit, qui primus unctus atque consecratus fuit per Mosen fratrem, dicente Domino ad illum: « tolle Aaron et » filios eius, et stolas et oleum unctionis, et vitulum qui est pro » peccato, et consecrabis eum mihi in sacerdotem » etc. ut est in exodo.

De sacris igitur nostrae religionis hominibus, laicorum ordinibus omissis, pertractaturi, illud in primis non ignorandum, sacrorum hominum in christiana re publica ordinem ex maxima sibi credentium multitudine primum delegisse Iesum Christum, qui summus rex et maximus pontifex noster fuit. Is enim dogmata legis, quam non venerat solvere, sequutus, ut postquam in caelum ascendisset, iis qui religionem eius sequuturi erant, non deessent qui in terris sacerdotium verum gererent, duodecim primo creavit pontifices, riteque consecravit, quos graeca voce novoque vocabulo apostolos nominavit, hoc est missos; ab se enim in diversas provincias mittendi erant, qui novum dogma, hoc est evangelium, cuius etiam vocabulum innovavit, mortalibus per totum orbem terrarum longe lateque praedicarent. Post hos septuaginta duos alios

discipulos, quos etiam ad praedicandi munus delegerat, sacerdotes quoque fecit, qui instar filiorum Aaron apud nos minores habentur sacerdotes, qui nunc graece presbyteri vocautur, hoc est latine seniores, quia canities quae homini prudentiam afferre solet, honore et munere digna sit. Ab his igitur presbyterorum, sicut ab apostolis episcoporum, in primitiva ecclesia ordo coepit, quippe qui in eorum locum successere. Cyprianus enim hoc referens ait: meminisse autem diaconi debent, quoniam apostolos, id est episcopos et praepositos, elegit Dominus. Hieronymus quoque ad Marcellam adversus Montanum hoc idem confirmat cum inquit: apud nos apostolorum locum episcopi tenent. Item ad Evagrium ait: ceterum omnes episcopi apostolorum successores sunt. Idem Origenis, Chrysostomi, et Augustini testimoniis comprobari posset, nisi ista sufficere existimarem. Qua ratione fit, ut si apostolorum successores sint episcopi, discipulorum quoque reliquorum, qui proximus post apostolos ordo fuit, successores sint presbyteri, quorum ordo primus post episcopos est. (Conf. Gratian. distinct. XXI.)

Porro autem inter apostolos ceterosque fideles Petrus post Christum sacerdotii in universum auctor habetur (1), cui ipse Dominus regnum ecclesiae suae disposuit, sicut antea disposuerat illi pater suus caelestis. Hic primus post Christum christianae ecclesiae praeesse coepit, et sacrosancti apostolorum collegii caput, ac primum ecclesiae membrum extitit a Domino institutum. Quod cur et qua ratione factum sit, abunde superius demonstratum est (2). Sicut igitur Petrus apostolorum et omnium fidelium princeps fuit Christique vicarius, ita et romani Pontifices iam inde ab initio exorientis ecclesiae, ex gentium ac Iudaeorum fide atque multitudine confectae, et coalitae, magnae semper habiti sunt et supremae ut docuimus auctoritatis, tamquam Petri successores Christique vicarii. Et quamvis apud Hierosolymam prima cathedra in Christi ecclesia Iacobi fuerit, primitusque locata, non tamen suprema censenda est, sicut ne Iacobus quidem supremus apostolorum fuit. Qua ratione autem hic primatus in Dei ecclesia institutus, Petro primum, deinde successoribus eius romanis Pon-

(1) Fontem sacerdotii appellat Romam, id est Petri sedem, etiam Iustinianus imp. Auth. coll. II. tit. 2. nov. 4. E.

(2) In libris tribus de primatu Petri, et apostolicae sedis potestate contra Centuriatores magdeburgenses, non semel editis. Dicit autem *superius*, quia Panvinius, ut profanas rom. antiquitates uno corpore comprehendere destinaverat (Spicil. T. VIII. p. 653.) ita sacras pariter rom. antiquitates alio simili librorum corpore complecti cogitavit, quod alibi demonstravimus. E.

tificibus contraditus fuerit, et cur, superius satis explicatum est. Hinc igitur Pontificis maximi, seu ut nunc dicimus Papae romani, episcoporum, et presbyterorum originem manare seu assumptam esse, veteres scriptores tradunt.

Nunc diaconorum originem, quod et hic quoque sacer ordo sit, explicabo. Post Domini Iesu Christi ascensionem, sanctique Spiritus missionem, cum apostoli discipulique omnes, Petro omnibus Christianis, Iacobo vero in Hierusalem episcopantibus, in Iudaea ac Samaria adhuc permanerent fundantes ecclesiam, diaconorum, hoc est ministrorum, ordo ad antiquae legis instar, in ecclesia Christi ab apostolis est excogitatus (1), septemque tunc primum diaconi ordinati, ut in apostolorum actis cap. VI. perspicue narratum est: *crescente numero discipulorum* etc. Atque haec prima fuit diaconorum in ecclesia institutio. Porro autem non longe post, cum ad Christi fidem Paulus conversus esset, Petroque revelatum fuisset, gentibus quoque gratiam Christi impertiendam esse, evangeliumque praedicandum, coeptae sunt ubique ab apostolis, in singulis Iudaeae, Palaestinae, Syriae, atque minoris Asiae civitatibus ecclesiae Christi in gentibus quoque fundari, tuncque religio christiana magnopere crevit. Quare apostoli, cum messis quidem esset multa, operarii autem pauci, domini Salvatoris exemplo permoti coeperunt seniores probatioresque, et vitae integritate morumque elegantia spectatiores viros in singulis ecclesiis seligere, seu a populis eorum suasu electos, per manuum impositionem consecrare, atque episcopos presbyterosque constituere, et diaconos etiam ordinare; ut episcopis presbyterisque praedicationi evangelii insistentibus, diaconi pauperum, viduarum, pupillorumque et aliorum christianorum indigentium ministerio in ecclesiis vacarent (2).

Nunc de minoribus ordinibus dicendum est, quos ego omnes gradus iam inde ab Hygino pontifice romano coeptos fuisse usurpari, atque etiam ubique creari solitos iudico (3); de quo pontifice

(1) Divino ceteroquin instinctu; etenim tridentina synodus sess. XXIII. de reform. can. 5. definit: *si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit.*

(2) Dicta hactenus a Panvinio, paucissimis verbis comprehendit Optatus milevitanus lib. I. cap. XIII: *diaconi in tertio, presbyteri in secundo sacerdotio constituti, apices et principes omnium episcopi.* E.

(3) Tournely T. XI. artic. V. de minoribus ordinibus sic: *sunt hi ecclesiasticae institutionis, nec semper iidem et eodem numero habiti sunt.* Minor est in ecclesia graeca numerus; maior apud orientales. Et quidem de ordinum

Damasus ait: « hic clerum composuit, et distribuit gradus. Isidorus autem Etym. lib. VIII. tum maiorum tum etiam minorum ordinum nomina et ministeria diligenter scribit etc.

Postea Panvinius paulo confusius, utpote in opere nondum exquisite perfecto, de ordinum origine, numero, dispositione etc. disserit, quae tractatores alii post Panvinium, veluti Pighius, Morinus, Hallerius, Andreutius, Bacchinus, et ceteri de hierarchia ecclesiastica auctores, multo distinctius et uberius enuclearunt. Idem aio, de sacris electionibus, de origine ac distributione patriarchatuum, de canonicis aliisque dignitatibus, de abbatibus, de monachis, de eremitis; quae omnia Panvinius attingit docte quidem, sed nec satis fortasse nec limate. Quare hunc tractatum praetermittere satius duxi.

NOTITIA OPERIS PANVINIANI

DE VARIA ROMANI PONTIFICIS CREATIONE.

Panvinii opus de varia romani Pontificis creatione *adeo fama inter doctos celebratum fuit, ut nonnulli typis editum existimarint; quod tamen secus est; etenim ne in manuscriptis quidem codicibus integrum extare videtur. Cum enim in decem haud modicae molis libros distributum ab auctore fuisset, quartus quidem, quintus, sextus, et septimus, a me in mss. quaternionibus post Panvinii obitum repertis observati fuerunt; reliqui tamen num alicubi, an potius nuspiam serventur, haud satis scio. Nam sicubi hi forte custodiri dicuntur, cavendum est, ne pro opere integro, compendium habeatur, quod revera ab ipso Panvinio, servato librorum ordine et numero, scite confectum atque absolutum, multo saepius deinde exscriptum fuit, et bibliothecarum forulis traditum. Maius quidem illud opus Marcello Cervino Cardinali Panvinius inscribere destinaverat, cum aliis multis historiae ecclesiasticae monumentis, quae generali primum chronicorum appellatione comprehenderat, deinde propriis singula titulis distinguenda curaverat, ut in eius ms. praefatione lego ad praedictum sanctissimum Cardinalem et deinde Pontificem,*

multitudine ac varietate apud diversas orientis ecclesias docte loquitur Iosephus Sim. Assemanus in coptica dissertatione (part. II. cap. 2.) a nobis edita Script. vet. T. V, ad quam studiosos lectores ablegamus. Quin etiam apud Latinos minorum ordinum numerum et nomina aliquando variasse exploratum est. E

anno ·MDLIII· missa. Sed enim post Marcelli obitum, sub Pio IIII. interruptum opus Panvinius instauravit, vel potius in compendium redegit, eique Pontifici anno ·MDLXII·, quo is constitutionem de reformatione conclavis, edidit, opportune manuscriptum obtulit. En eius praefationem.

PIO PAPAE IIII.

Inter multas romano Pontifice vere dignas curas, quas libenter ac studiose pro universa re publica christiana Sanctitas vestra quotidie suscipit, ea vel praecipua est quod pontificalium comitiorum rationem vel temporum iniuria vel hominum licentia iamdiu labefactatam, ad pristinam integritatem ac maiestatem totis viribus revocare contendit: quippe quae probe cognoscit, totam rerum ecclesiasticarum summam in ea versari. Qua in cogitatione dum Sanctitas vestra fixam esse intellexissem, quae ego decennio ante, iussu beatissimae memoriae Marcelli papae II. tunc Cardinalis, ad idem argumentum spectantia in unum congesseram, postea vero ad alia traductus intermiseram, denuo repetenda accuratiusque mihi retractanda esse decrevi, atque post multos labores, totum opus in hanc postremo formam redegi, ut variam romani Pontificis creationem decem libris exponerem, quibus quicquid hoc in genere scitu memoratuque dignum, a Christi tempore et pontificatus institutione, usque ad ea comitia, quibus vestra Sanctitas approbante Deo, ad pontificatum evecta est (1), memorabile accidit; varios item comitiorum modos, et cuncta a romanis pontificibus de Papae electione decreta, eorumque omnes causas diligenter aperui. Totum vero opus, quia ob rerum copiam admodum grande ideoque lectu operosum veritus sum ne molestiam afferret, in capita quaedam rerum conieci, quaecumque excellere videbantur, eamque epitomem tibi nuncupavi etc.

Deinde in epistola ad lectorem sic eandem epitomem commendat Panvinius.

Tot maximarum rerum varii eventus, tot mirabiles casus, tot mutationes mihi sunt referendae, ut nullam prae hac esse existimem historiae sacrae partem, ex qua homines tum ad virtutes capessendas, tum ad bene iusteque vivendum praecepta aptiora et exempla petere possint etc. ita ut plus hinc prudentiae et doctrinae ac eruditionis haurire valeant, quam quantum longissima hominis aetas afferre vix queat etc. Ut amicis quibusdam gravissimis viris,

(1) Revera desinit Panvinii epitome in electione Pii IIII. eiusque constitutione quae ibi recitatur de conclavis reformatione. E.

a quibus saepe rogatus sum, hac in re morem gererem (quibus etiam auctoribus a rebus profanis ad sacras historias tractandas me converti) nobilissimam hanc historiae partem, quae de varia romani Pontificis creatione inscripta est, nunc tandem absolvi, et in antiquitatis ecclesiasticae studiosorum gratiam publicare constitui. Continet autem hoc opus libros decem, quibus ecclesiae sanctae eiusque vicarii a Christo institutio primum, deinde omnia quae circa successorum eius rom. Pontificum electiones umquam facta sunt, commemorantur: res sane gravissimae, obscurae, et hactenus a nemine pro tanti argumenti dignitate tractatae producuntur; quibus exponendis maior ecclesiasticae historiae singulorumque temporum pars explicatur, multa etiam cognitu digna, quae iam exoleverant, in lucem revocantur, et sub uno aspectu ad communem utilitatem exponuntur.

Sane Panvinius tum in integris libris tum in epitome infinitam eruditionem ostentat, ut vix intelligi queat, qui fieri potuerit ut unus monachus, paene adhuc adolescens, tot etiam profanae litteraturae studiis occupatus, quorum uberrimi fructus partim extant, partim haud minore numero adhuc latent, huic quoque tanto tamque amplo labori suffecerit. Hac tamen iusta ei laude attributa, non eo inficias, Panvinii hoc opus diligenti admodum recognitione, et monumentorum omnium examine, opinionum etiam crisi, propter gravissimum argumenti sui pondus, indigere: quaedam enim, in opere certe maiore, ad liquidioris veritatis regulam reformanda videntur; complura audacius fortasse et inconsideratius dicta compescenda sunt; quem ego laborem non suscipiam, qui eius scripti vulgandi curam nunc certe mihi non vindico.

Ergo omisso Panvinii opere, ne omnem tamen notitiam argumenti huius, id est de varia electione rom. Pontificis, lectoribus meis denegem, placet mihi quoddam praedictae rei breviarium, in codice vaticano repertum, heic subiicere, auctore clari nominis viro Angelo Massarello, episcopo telesino, qui diu fuit sacrosancto tridentino concilio a secretis, eiusque acta et decreta, ex ore patrum excepta, in volumen redacta scripsit, teste in concilii historia Card. Pallavicino, qui saepe eius meminit, nec non Ferdinando Ughellio in episcopis telesinis. Atque heic obiter moneo, diarium quoque illud praedicti concilii, quo passim Pallavicinus utitur, auctorem habere eundem Massarellum, ut ex codice vat. diarii eiusdem cognoscitur.

Nunc ut ad breviarium deveniam (quod ab imperitissimo li-

brario corruptum, saepe emendandum mihi fuit) equidem putassem id Massarellum ex Panvinio sumpsisse, verum postea instituta collatione, diversum cognovi, et in gratiam fortasse ipsius Panvinii scriptum; etenim Massarellum inter Panvinii amicos fuisse, apparet ex epistola panviniana quam postea recitabimus. Porro Massarellus, ut in calce apparet, sub Iulio III. scripsit; at Panvinius compendium suum sub Pio IIII. post decennium confecit.

ANGELI MASSARELLI

DE MODIS SEU FORMIS PER DIVERSA TEMPORA OBSERVATIS IN ELECTIONE PONTIFICUM MAXIMORUM A DIVO PETRO USQUE AD IULIUM III.



1. MODUS PER INSTITUTIONEM.

Dominus noster Iesus Christus primum ecclesiae suae pastorem, et caput instituit Petrum, Matth. XVI. *tibi dabo claves regni caelorum* etc. et Ioh. ultimo *pasce oves meas*. Quod etiam habetur apud Gratianum dist. XXI. *in novo*, et *quamvis*. Item. dist. XXII. *sacrosancta*. Et caus. XXIIII. q. 1. *cum beatissimus*. Atque ita tradunt Chrysostomus, Theophylactus, et alii super verba Ioh. XXI.

2. MODUS PER DESIGNATIONEM SUCCESSORIS.

Petrus autem sub tempus suae passionis Clementem sibi successorem substituit, ut ipsemet Clemens testatur in epistola prima ad Iacobum fratrem Domini. Sed Clemens post Petri martyrium divino numine, ut creditur, inspiratus renunciavit papatui in manibus romani cleri, ne hic modus successu temporis corroboraretur, ut quisque romanus Pontifex sibi successorem eligeret, ut Damasus (1), Martinus polonus, chronographus cusentinus, et alii scribunt in summorum Pontificum vitis.

3. CLERUS ROMANUS SOLUS ELIGIT.

Cum Clemens renunciasset, clerus solus Pontificem eligere coe-

(1) Damasus diserte hoc non dicit, sed tantummodo Linum et Cletum ante Clementem solitos scribi. Attamen cum Bonizone Bernardus Guidonis a nobis editus Massarelli sententiam perspicue confirmat. Porro Bernardum a Massarello in codicibus fuisse lectum, mox apparebit. E.

pit, et ita electi sunt primus Linus, secundus Cletus, tertius idem ipse Clemens, qui pontificatum recepit, et hac ratione dicitur quartus a Petro; licet aliqui Linum et Cletum a pontificatu excludant, et tantummodo episcopos eos faciant. De hoc videnda est historia ecclesiastica, et quae Rufinus scribit in praefatione recognitionum Clementis, et Gratianus caus. VIII. q. 1. *si Petrus*, et gloss. in cap. *non autem* dist. VII. q. 1. Qui modus eligendi Pontificem cleri tantummodo romani suffragiis observatus fuit per ·CCXXXV· annos sine ulla intermissione usque ad tempora Antheri papae

4. CLERUS ELIGIT ET POPULUS CONSENTIT

Aucto deinde numero christianorum in Urbe, atque ideo Pontificum existimatione in dies magis roborata, etsi solus clerus eos ipsos Pontifices eligeret, coepit tamen accedere ac requiri, ad maius eligendorum testimonium, aliorum quoque christianorum etiam laicorum Romae residentium consensus. Christiani enim quum eo tempore templa adhuc non haberent, nunc hic nunc illic in privatorum domibus conveniebant. Qua sic congregata ecclesia, cum de creatione Pontificis agebatur, clerus eligebat, et populus, qui pariter praesens erat, consentiebat. Id quod postea etiam constitutionibus summorum Pontificum de omnibus episcopis sancitum est: ne videlicet episcopi absque populi consensu a clero eligi deberent, ut patet in decretis Gelasii, Stephani, Gregorii, Nicolai, et aliorum, quae referuntur a Gratiano dist. LXIII. Id autem specialiter de romano Pontifice habetur ex decreto Bonifacii III. in cap. *nullus Pontifice romano* dist. LXXIX. Et sic primum cedente Cyriaco papatui(1) Antherum creatum fuisse legitur anno Domini ·CCXXXV· ut videre est in chronicis Bernardi Guidonis parte prima (2) in catalogo Pontificum: et ita scribunt Martinus ac Ptolemaeus in vitis Pontificum. Hic autem modus observatus est multis annis.

5. PER SPIRITUS SANCTI REVELATIONEM.

Neque hoc in loco alium modum creandi Pontificem silentio praetereundum censeo, videlicet per Spiritus sancti revelationem et ostensionem. Sic enim anno ·CCXXXVI· creatus est Fabianus papa. Etenim Anthero mortuo, quum clerus et populus convenis-

(1) De Cyriaco ficto Papa legesis quae nos diximus in Spicil. T. VI. praef. p. IX. X. et p. 29. in adn. E

(2) Sic ait Massarelius, quia reapse Bernardus duas chronici partes scripsit, primam de Pontificibus, alteram de Imperatoribus, quam nos omisimus. E.

set ob faciendam futuri Pontificis electionem, columba super caput eius descendit, et audita est vox dicens: tu Romae episcopus ordinaberis qui divinitus electus es, ut refert Eusebius in eccl. hist. (1), et Ptolemaeus atque alii in vitis Pontificum.

6. PER SUBROGATIONEM SEU SUBSTITUTIONEM.

Temporibus autem quibus ecclesia maxime opprimebatur et vexabatur ab imperatoribus adhuc fide Christi non initiatis, alius modus eligendi Pontificem introductus est, scilicet per subrogationem, seu substitutionem. Sic Lucius primus tendens ad exilium iussu Volusiani imperatoris, dedit potestatem summi apostolatus Stephano diacono qui eidem in papatu successit, ut scribit Damasus anno Domini ·CCLIII· Sic postea Liberius (qui etiam a clero et populo electus fuerat) dum iubente Constantio imperatore exul esset, Felicem II. substituit. Qui Felix a clero similiter et a populo in synodo Romae congregata receptus est anno Dom. CCCLV· De quo videnda est ecclesiastica historia Rufini et quae Damasus scribit.

7. CLERUS DENUO ELIGIT CUM CONSENSU POPULI.

At successu temporis modus iste eligendi Pontificem per subrogationem minime aptus ac decens visus est. Quare nonnulli Pontifices id diserte suis decretis non solum in Pontifice romano, sed in aliis etiam episcopis vetuerunt, inter quos fuerunt Hilarus primus anno ·CCCCLXI·, et Bonifacius II. anno ·DXXX·, Et habetur caus. VIII quaest. 1. cap. *plerique*. Ita Martinus I. an. ·DCXLIX· caus. VIII. quaest. 1. cap. *episcopo*. Quin adeo Bonifacius II. statuit etiam ne ad electionem procederetur nisi triduo post obitum demortui Pontificis, quod refertur dist. LXXIX. cap. *nullus*. Et licet ante hos Symmachus contrarium determinasse videatur, scilicet Pontificem ante suum obitum debere de suo successore decernere c. *transitus* dist. LXXIX, id tamen non de successore eligendo, sed de quadam cum fratribus collocutione seu deliberatione de futuro successore intelligi debet: prout glossatores in dicto capite exponunt, atque intelligunt. Et ita electio apud ipsos clerum et populum perseverabat.

8. ELECTIO FIT IUSSU IMPERATORUM.

Primi itaque illi Pontifices libere a clero et populo, absque ulla imperatoris vel iussione vel auctoritate creabantur. Nam usque ad Melchiadem inclusive, qui papa fuit anno ·CCCXII·, Pon-

(1) Lib. VI. cap. 29. Item Bernardus noster p. 30. E.

tifices omnes martyrio coronati fuere. Namque et primi christianorum imperatores, de electione romani Pontificis non laborasse videntur; id tantum curasse, ne illegitimo modo electiones fierent, circa quas etiam leges aliquando tulisse legimus. Honorius enim, ut alios omittam, Theodosii filius, statuit, si contingeret duos eligi in summos Pontifices, neminem eorum esse recipiendum. Etsi nonnulli adserant eam legem fuisse latam ad petitionem Bonifacii primi (qui vivebat anno Domini ·CCCCXX·) Utcumque res se habeat, imperator ipse de electione Pontificis legem scripsit. Verum eo tempore ius eligendi adhuc liberum penes clerum romanum residebat. Quod etiam ecclesiae romanae ditione aucta, nonnisi post longum tempus turbatum fuit. Symmachus enim qui XX. a Silvestro fuit, per solam atque liberam cleri et populi electionem creatus est. Quod eo diligentius notandum est cum eo tempore schisma fuerit, neque Theodoricus rex illud, nisi per concilium ob id indictum definiri, voluerit. Immo idem Symmachus statuit, eum solum esse romanum Pontificem creandum et consecrandum, quem clerus elegisset. At postea Pontificum auctoritate et iurisdictione saeculari crescentibus, imperatores eorumdem Pontificum electiones vel ad suum nutum fieri, vel eas absque sua auctoritate firmas haberi noluerunt. Tunc primum legitur ipsorum imperatorum iussu Pontifices creatos esse: uti factum est in Silverio anno ·DXXXVII· qui Theodato Gothorum rege iubente Pontifex declaratus est. Etenim rex necem minatus est iis qui electioni Silverii non subscriberent; qui etiam postea iubente Antonina Belisarii uxore, a qua in insulam Pontiam deportatus fuit, pontificatu se abdicavit, ut Aimoinus in gestis Francorum scribit. Idem etiam accidit Vigilio anno ·DXL· qui iussu Belisarii Pontifex est factus, ut Ptolemaeus et Platina tradunt: atque ita ab eo tempore is modus invaluit, ut quos vel imperator vel principes qui in Urbe dominabantur iuberent ac vellent, Pontifices crearentur: nec propterea ius eos eligendi immutabatur, sed penes clerum et populum, uti prius, perseverabat, ut in dictis Silverii et Vigilii electionibus videre est.

9. ELECTIO FIT A CLERO, ET A POPULO RECIPITUR, ABSQUE IUSSU IMPERATORIS.

Is modus eligendi Pontificem iussu principum perduravit usque ad Pelagium II. qui anno ·DLXXVIII· Pontifex a clerò creatur, et a populo recipitur, absque imperatoris iussione. Eius autem rei causa fuit, quia eo tempore Urbs a Longobardis obsidebatur, et tanta aquarum alluvio facta est, ut neque Longobardi Urbem

ingredi, neque extra eam quisquam exire potuerit. Sed postea idem Pelagius Constantinopolim ad Tiberium II. imperatorem, ut electionem suam ratam haberet, Gregorium qui postea ei in pontificatu successit transmisit, ut Platina et Ptolemaeus scribunt.

10. ELECTIO CONFIRMATUR AB IMPERATORIBUS, SOLUTA CERTA PECUNIA.

Ab eo autem tempore, scilicet a Pelagio II, imperatores coeperunt electiones Pontificum confirmare, ita ut nullus haberetur Pontifex, cuius electio ab imperatore confirmata non fuisset: in qua confirmatione certa etiam pecunia imperatori ab electo persolvebatur. Eius vero rei testimonium habetur in Gregorio I, qui a clero, consentiente populo, Pontifex anno ·DXC· electus, id aegre ferens, nuntium ad Mauricium imperatorem misit rogans, ut eius electionem non confirmaret, sed interceptis litteris a praefecto urbis, is contra rium ad imperatorem scribit. Atque ita Mauricius (ut in gestis beati Gregorii adnotatur) primum coepit electiones Pontificum confirmare. Post Gregorium idem fecerunt alii, veluti Severinus qui anno ·DCXL· Constantinopolim ad Heraclium Constantinum imperatorem pro confirmatione misit: quam ei imperator annuit remissis pontificiis nuntiis ad Urbem cum multis muneribus. Atque huiusmodi consuetudo observata est usque ad Agathonem.

11. ELECTIONUM DECRETA IMPERATORIBUS PRAESENTANTUR, SED PECUNIA SOLVI SOLITA REMITTITUR.

Agatho enim, qui Pontifex anno ·DCLXXIX· creatus est, cum et ipse Constantinopolim ad Constantinum III. imperatorem pro confirmatione Iohannem episcopum portuensem destinasset, non solum eam obtinuit, sed impetravit etiam remissionem illius pecuniae, quam per electos summos Pontifices imperatoribus solvi solitam in confirmatione electionum, declaravimus: ea tamen lege remissio ipsa facta est, ut deinceps nemo in Pontificem electus ordinaretur, nisi prius decretum suae electionis in regiam urbem secundum antiquam (ut ipsius imperatoris verba referam) consuetudinem introduceretur, ut cum imperatoris iussione et conscientia deberet electio prosperari; sicuti habetur apud Gratianum dist. LXIII. cap. *Agatho*, et Ptolemaeus scribit.

12. IMPERATORES MORI CONFIRMANDI RENUNCIANT, ET ELECTIO REMITTITUR CLERO, POPULO, ET EXERCITUI ROMANO.

Cum autem per multos annos ille mos petendi confirmatio-

nem ab imperatoribus constantinopolitanis observatus fuisset, tandem Constantinus III. cum confirmasset Benedictum II. (qui Pontifex anno ·DCLXXXIII· creatus est) decretum ad ipsum Benedictum misit quo statuebat, ut exinde quem clerus, populus, et exercitus romanus elegissent, eundem statim, uti verum Christi vicarium omnes reciperent, nulla amplius aut constantinopolitani imperatoris, aut Italiae exarchae expectata auctoritate. Hic vero nequaquam omittendam arbitror causam, quae dist. LXIII. cap. *vota civium* redditur eius introductae consuetudinis, ut imperatores sua auctoritate Pontificum electiones roborarent: ait enim Gratianus « principibus vero atque imperatoribus electiones ro-
» manorum Pontificum atque aliorum episcoporum referendas,
» usus et constitutio tradidit, pro schismaticorum ac haeretico-
» rum dissensionibus, quibus nonnunquam ecclesia Dei concus-
» sa periclitabatur. Contra quos legibus fidelissimorum impera-
» torum frequenter ecclesia munita legitur. Repraesentabatur er-
» go electio principibus, ut eorum auctoritate roborata, nullus
» haereticorum aut schismaticorum auderet contraire: et ut ipsi
» principes tamquam devotissimi filii in eum consentirent, quem
» sibi in patrem eligi viderent, ut ei in omnibus suffragatores exi-
» sterent. »

13. ELECTIONES NON FIUNT ABSQUE PRAESENTIA LEGATORUM IMPERATORIS.

Iste igitur modus eligendi Pontificem per clerum populum et exercitum romanum multo tempore fuit observatus: atque ita inter ceteros fuerunt electi Iohannes V, et Conon, in cuius electione exercitus primo discordabat a clero, ut Platina et Ptolemaeus scribunt, sed deinde concordes omnes in unum consenserunt. Item Sergius I. de cuius electione legitur, quod quum Theodorus et Paschalis cum eo concurrerent ad papatum, tandem principes civitatis, cleri, militiaeque romanae Sergium elegerunt. Verumtamen cum fere semper in electionibus diversi tumultus orirentur, ut demonstratum est, Stephanus II. anno Dom. ·DCCLII· statuit ut electio et consecratio summi Pontificis non deberet fieri absque praesentia legatorum imperialium ac populi et senatus romani, ut habetur dist. LXIII. cap. *quia*. Et sic alius modus introductus est, qui etiam per multos annos perduravit.

14. PONTIFEX NON ELIGITUR NISI EX PRESBYTERIS VEL DIACONIS CARDINALIBUS.

Non multo autem post (nempe Paulo I. intermedio qui Stephano II. successit) Stephanus III. qui anno ·DCCLXIX· ex pre-

sbytero Cardinale tituli sanctae Caeciliae Pontifex factus est, statuit neminem in Pontificem maximum eligi debere, qui non esset presbyter vel diaconus Cardinalis; neminemque ex laico, sed tantum per gradus, videlicet vel diaconum vel presbyterum Cardinalem factum, ad summum apostolatus apicem promovendum esse, ut refert Ptolemaeus de vitis Pontificum, et habetur dist. LXXIX. cap. *oportebat* et cap. *nullus.*

15. IMPERATORES ELIGUNT PONTIFICES.

Imperatoribus vero multis constantinopolitanis a fide catholica et ecclesia romana deficientibus, et in haeresim prolabentibus, et adversus Pontifices maximos hostiliter se gerentibus, primus Gregorius III. Leonem imperatorem anathematizat, et obsidentibus Longobardis Urbem sub Luitpraudo rege, auxilium a Carolo Martello Francorum rege petit et impetrat. Ac deinde mortuo Gregorio Stephanus II, (vel potius III.) qui ei post Zachariam successit, cum etiam eo tempore Urbs ab Aistulfo Longobardorum rege obsideretur, Constantinopolim ad Constantinum ·IIII· imperatorem auxilii petendi causa mittit; quod cum impetrare non potuisset, ad Pipinum Francorum regem confugit, qui ei omnem favorem honoremque impendit. Perseverantibus autem Longobardis in infestatione Urbis, papa Hadrianus I. statim post adeptum pontificatum anno ·DCCLXXI· Petrum Cardinalem legatum in Galliam ad Carolum magnum ob implorandas suppetias contra Desiderium Longobardorum regem misit: qui Carolus in Italiam veniens Longobardos superavit, Desiderium pepulit, iura et ditionem romanam restituit, quaedam de novo ecclesiae donavit, et pontificiam auctoritatem confirmavit. Ob quae merita Hadrianus ipse, concilio CLIII. episcoporum Romae celebrato potestatem eligendi romanum Pontificem ipsi Carolo magno inter cetera privilegia concessit (1). Quem Carolum postea Leo III, qui Hadriano successit, imperatorem coronavit; ut Ptolemaeus, Platina et alii scribunt, et habetur in cap. *Hadrianus* dist. LXIII. apud Gratianum.

16. IMPERATORES POTESTATI ELIGENDI RENUNCIANT, ET EAM ROMANIS RESTITUUNT.

Potestas (praetensa scilicet) eligendi Pontificem penes imperatorem extitit (2) usque ad tempora Paschalis I. anno ·DCCCXVII·

(1) Falsam hanc multorum narrationem (quae Massarellum quoque decepit) de Hadriani synodo et concessione, satis refutatam diximus in hoc Spicil. p. 169. in adn. E.

(2) Videlicet iuxta falsam huius rei historiam.

Nam Ludovicus imperator Caroli filius, vir pietate clarus, potestatem hanc Paschali ipsi I. restituit, libertatemque eligendi pontificem Romanis concessit; ita tamen, ut electo Pontifice a clero et populo, ad reges Francorum legati mitterentur, ut inter eos pax et benevolentia conservaretur. Sic historici illorum temporum scribunt, et habetur dist. LXIII. cap. *ego Ludovicus*. Sic ergo Pontifices a clero et populo universo denuo eligi coeperunt.

17. IMPERATORES ITERUM ELECTIONES CONFIRMANT.

Licet Ludovicus ipse imperator potestati eligendi Pontificem renunciasset, eaque ad Romanos translata fuisset, Paschale I. beati Petri cathedram tenente, ut superius dictum est, tamen post Paschalem legitur adhuc electiones Pontificum, ut ante Constantinum IV. fiebat, ab imperatoribus fuisse confirmatas. Nam ut refert Vincentius bellovacensis, Lotharius Imperator ipsius Ludovici filius misit ad Urbem Ludovicum filium suum ad confirmandam electionem Sergii II. anno ·DCCCXLIII·, qui dictum Ludovicum II. imperatorem coronavit. Ac deinde, ut Platina scribit, Ludovicus II. praedictus ad electionem Benedicti III. anno ·DCCCLVI· confirmandam legatos destinavit. Nec multo post, ut testatur Martinus, Ludovicus ipse II. Romam proficiscens Nicolai primi, qui creatus est anno ·DCCCLVIII·, electionem sua praesentia roboravit.

18. ABSQUE PRAESENTIA VEL AUCTORITATE IMPERATORIS AUT EIUS ORATORUM CLERUS CUM POPULO ELIGIT.

Etsi autem huiusmodi confirmationes proprie dici non possunt, sed potius adhaesiones vel receptiones, ipsis videlicet electionibus maiorem auctoritatem et favorem praestantes; id tamen quicquid imperatoriae auctoritatis fuerit, abolitum fuit sub Hadriano II. anno ·DCCCLXVII·, qui absque praesentia, vel assensu, vel confirmatione Caesaris aut eius oratorum electus fuit: quod quidem eo maius momentum et auctoritatem habuit, quia eo tempore quo Hadrianus creatus est pontifex, oratores Ludovici II. imperatoris in Urbe aderant, qui nihilominus ipsum Hadrianum uti pontificem receperunt ac venerati sunt. Et sic iterum per multos annos electio Pontificis a clero et populo romano facta est, videlicet usque ad tempora Leonis VIII. anno Domini ·CMLXII·

19. IMPERATORES ITERUM PONTIFICES ELIGUNT.

Cum vero in electionibus, quae a clero et populo fiebant, per-

saepe schisma, persaepius tumultus, dissensiones, et scandala orirentur, id maxime evenit dum eligeretur Iohannes XIII. Mortuo enim Agathone II, Iohannes ipse XIII. qui romanus erat, suorum factione adiutus pontificatum occupat. Sed non longe post ab Othone I. Teutonum rege pulsus est, et Leo VIII. in eius locum subrogatus. Recedente vero ex urbe Othone, Leo ipse VIII. a cognatis et fautoribus Iohannis sede pellitur, et Iohannes XIII. revocatur. Ipso vero Iohanne mortuo, Benedictus V. pontifex creatur: quod aegre ferens Otho, Romanos Benedictum expellere et Leonem praedictum suscipere iubet; ac deinde Benedictum secum in Germaniam ducit, qui postea Augustae moritur, ut Ptolemaeus, Platina, et alii scribunt. Leo igitur tot Othonis erga se meritis permotus, et ut dissensiones et schismata huiusmodi auferret, Othonem praedictum imperatorem coronat, eique convocata in urbe synodo, potestatem eligendi Pontificem, uti Hadrianus Carolo magno dederat, concessit; quod etiam habetur dist. LXIII. cap. *in synodo* apud Gratianum (1).

20 IMPERATOR POTESTATI ELIGENDI PONTIFICEM ITERUM RENUNCIAT, ET CLERUS DENUO CUM POPULI CONSENSU ELIGIT.

Verum cum is modus contra libertatem ecclesiasticam indecens atque incongruus videretur, praesertim cum, ut plurimum evenire necesse erat, diu sedem vacare contingeret, tum denique ob religionem, quae ea, quae Dei sunt Deo, quae autem Caesaris Caesari reddenda suadet, Otho idem huic potestati Pontifices romanos eligendi in manibus Iohannis XIII, qui Leoni praedicto successit, renunciavit, eamque clero restituit, ut patet ex cap. *tibi* dist. LXIII. Qui Otho et Henricus I. imperatores suis constitutionibus etiam oratores caesareos electionibus romanorum Pontificum interesse vetuerunt, ut habetur cap. *constitutio* in eadem dist. LXIII. « Ac insuper quia imperatores quandoque modum suum ignorantes (ut verba Gratiani cap. *quia* eadem dist. referam) non in numero consentientium, sed primi distribuentium, imo exterminantium, esse voluerunt, frequenter etiam in haereticorum perfidiam prolapsi, catholicae matris ecclesiae impugnare unitatem conati sunt; ideo sanctorum patrum statuta adversus eos providerunt, ut se electioni non insererent; et quisquis suffragio eorum ecclesiam obtineret, anathematis

(1) Diximus in Spicil. T. VI. p. 242, ducibus Baronio et Sandinio, Gratiani credulitatem in his esse deceptam; praeter quam quod ne legitimus quidem pontifex fuit Leo VIII. E.

» vinculo innodaretur » ut in ipsis summorum Pontificum constitutionibus videre est. Quare Pontifex a clero et populo libere iterum eligi coepit.

21. CARDINALES ELIGUNT ACCEDENTE CLERI ET POPULI CONSENSU.

Hic autem sic restitutus modus per clerum et populum deligendi Pontificem observatus est usque ad tempora Nicolai II. anno ·MLIX· Quo tempore dictus Nicolaus extra Urbem in civitate Senensi a solis Cardinalibus electus est absque clero et populo romano, sed postea Romam veniens a clero ipso populoque romano recipitur, ut scriptores omnes referunt; Romaeque apud Lateranum convocato concilio statuit, deinceps electionem summi Pontificis ad solos Cardinales pertinere, accedente nihilominus cleri et populi consensu, et salvo honore et reverentia (ut eius verba referam) imperatoris. Quae constitutio refertur in cap. *in nomine Domini* dist. XXIII. Ab eo igitur tempore Cardinales soli coeperunt eligere summum Pontificem, quod quidem, ut alios omittam, apparet in Gregorio VII, qui secundus fuit ab ipso Nicolao, de cuius electione ita in volumine epistolarum eius legitur. « Nos sanctae romanae ecclesiae Cardinales, clerici, acolythi, diaconi, presbyteri, praesentibus episcopis, abbatibus, » multisque tum ecclesiastici tum laici ordinis, eligimus hodie » X. kal. maii in basilica sancti Petri ad vincula anno salutis » ·MLXXIV· in verum Christi vicarium Hildebrandum virum » multae doctrinae, magnae pietatis, prudentiae, iustitiae, reli» gionis, modestum, sobrium, continentem etc. » Item in Gelasio II. anno ·MCXIX·, quem a Cardinalibus in monasterio ad Palladium concordi consensu creatum fuisse, apud Ptolemaeum et alios legitur. Item in Callisto II. Gelasii successore, qui ab iis Cardinalibus qui in Gallia erant creatus Pontifex, ab aliis etiam Cardinalibus qui in Italia remanserant receptus fuit. Tum denique in Honorio II, Innocentio II, Caelestino II, Lucio II, Eugenio III, et aliis usque ad Alexandrum III; qui fere omnes erant Cardinales.

22. CARDINALES SOLI ABSQUE CLERI ET POPULI CONSENSU ELIGUNT

Observatus est itaque iste ab Innocentio II. (1) praescriptus modus per multos annos usque ad Alexandrum III. anno ·MCLIX· ut superius demonstratum est. Qui Alexander cum animadverteret nonnunquam in eligendo Pontifice discordes fuisse inter se

(1) Confer Panvinium de origine Cardinalium n. 42. p. 506. seq. E.

Cardinales, ita ut omnes, sicuti iuxta Innocentii II. constitutione decebat, in eundem non concordarent, nec appareret quis vel quando Pontifex canonice electus haberi deberet, praesertim cum necesse esset, ut ipsi electioni etiam cleri et populi accederet consensus, qui ut plurimum inter se haud conveniebant; statuit in concilio generali Romae habito, ut electus a duabus Cardinalium partibus concordantibus contra tertiam haberetur Pontifex, nullo amplius cleri, aut populi expetito consensu: qui modus clero quoque et populo romano, uti salubris ac laudabilis receptus est atque comprobatus, ut refertur in cap. *licet de vitanda* de elect., et ibi late per Innocentium et Ostiensem. Et sic deinceps neque clerus neque populus in electiones summorum Pontificum se ingesserunt. Hoc vero loco et illud adiiciendum censeo, quod Stephanus PP. ait, nimirum, quod licet populus electionibus interesset, atque consentiret, clerus tamen non populus eligebat; atque ideo electio populo nullo modo, sed ipsi clero adscribebatur. Eius vero Pontificis verba sunt haec: sacerdotum quippe est electio, et fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus non sequendus, cap. *nosse* dist. LXIII. Modus igitur ab Alexandro III. constitutus observatus est per centum et amplius annos usque ad Gregorium X. an. ·MCCLXXI·

24. STATUITUR A GREGORIO X. FORMA SERVANDA A CARDINALIBUS IN ELECTIONE PONTIFICIS.

Gregorius autem X. etsi constitutionem Alexandri III. supradictam sanctissimam iudicaret, in ea tamen nonnulla maiore declaratione et explicatione indigere cognovit. Quare convocato Lugduni concilio, in eo dictam sanctionem in primis confirmavit, multaque deinde addidit et declaravit. Inter cetera vero providit electioni faciendae extra Urbem, si extra eam Pontificem decedere contingeret.: ut in loco ubi curia fuerit, vel longe ab ea absentes Cardinales expectentur per decem dies ab obitu Pontificis. Fiat unum conclave in palatio in quo Pontifex obiit. Cardinales singuli singulos habeant in eo servientes, omnes habitent in communi. Ad conclave non pateat aditus. Cardinales sede vacante nihil de redditibus sedis apostolicae percipiant, neque negotio alio quam electionis, nisi necessitas urgeret, occupentur. Quis cibus, et quod ferculum sit ipsis Cardinalibus in conclavi adhibendum. Ob Cardinalium, qui ex conclavi exierint, absentiam ab electione non cessandum. Si egressi convaluerint, denuo intromittantur. Ordinantur executores huius constitutionis. Rogantur enixe Cardina-

les, ut ad electionem, omni seposito humano affectu, pactionibus, et obligationibus, procedant. Monentur postremo omnes fideles ut Pontificis demortui exequias celebrent, et pro felici et concordi electione successoris, preces in Deum effundant, ut habetur in cap. *ubi periculum* de electione in sexto.

24. REVOCATUR FORMA A GREGORIO X. CONSTITUTA, ET IUXTA ALEXANDRI III. CONSTITUTIONEM ITERUM PONTIFICES ELIGUNTUR.

Brevi admodum tempore haec Gregorii X. constitutio viguit, nempe in electione tantum Innocentii V, qui mensibus sex cum biduo exactis in pontificatu obiit, nec non Hadriani V. qui vix pontifex declaratus (obiit autem XL. die antequam coronaretur) dictam Gregorii constitutionem abrogavit; vel ut aliqui volunt, inter quos est Ioh. Andr. suspendit: quam etiam Iohannes XXI. (qui ipsi Hadriano successit) abolevit atque retractavit, teste Iohanne Mon., unde olim inter gregorianas constitutiones non habebatur; atque ideo Guillelmus eam glossare noluit. Et sic modus ille ab Alexandro III. constitutus in usum rediit, qui etiam observatus est usque ad Caelestinum V; qui tamen contra dictam Gregorii constitutionem Perusii (licet in urbe Nicolaus IV. eius praedecessor obiisset, et ibidem iuxta ipsam constitutionem pontifex creari debuisset) pontifex factus est anno ·MCCXCIV· Aestate enim praecedente septem Cardinales in Urbe obierant, ut historici tradunt.

25. RENOVATUR FORMA A GREGORIO X. PRAESCRIPTA.

Creatus Caelestinus V. vir summae sanctitatis et religionis renovavit constitutionem Gregorii X, ut refert Ioh. Andr. dicto cap. *ubi periculum* de elect. in sexto. Quam deinde etiam Bonifacius VIII. comprobavit, et eam in decretalium libro, titulo *de electione* collocavit, ex quo doctores eam potius Caelestini et Bonifacii quam Gregorii appellari debere contendunt. Qui modus eligendi Pontificem iuxta Gregorii ordinationem renovatus postea est in electione Benedicti XI. et Clementis V, qui ambo Bonifacium VIII. subsecuti sunt.

26. STATUITUR NOVA FORMA A CLEMENTE V. QUAE ETIAM NOSTRO TEMPORE OBSERVATUR.

Clemens vero V. praedictam Gregorii X. constitutionem ampliavit, declaravit, et moderatus est, nonnullaque nova addidit: Decernens in primis Cardinales, sede vacante, papalem potesta-

tem exercere non posse, nec etiam legem a Gregorio latam immutare: Camerarii summique Poenitentiarii officia etiam mortuo Pontifice durare; et si eos sede vacante obire contingat, Cardinales subrogandi alios potestatem habere: territorium, quod a Gregorio appellatur, de tota dioecesi esse intelligendum: Cardinales omnes si e conclavi exire contigerit, illuc regredi, et electionem iam coeptam prosequi debere: Cardinales nullius excommunicationis praetextu ab electione esse excludendos: eos qui superstite Pontifice ex quacumque causa ad sedem apostolicam accedere vel mittere sunt astricti, ad ipsam etiam cum vacat, ac si non vacaret, accedere vel mittere teneri. Qui modus observatus est per ·CCL· annos (Iulio quoque II. simoniacas electiones severissime prohibente) usque ad Iulium III. pont. max. qui hoc tempore beati Petri cathedram tenet.

CONSPECTUS OPERIS PANVINIANI DE ARGUMENTO EODEM.

Post Massarelli lucubrationem, expectabunt credo lectores ut panviniani quoque operis imaginem saltem adumbremus. Ergo in decem epitomes, de qua superius diximus, libris, duodeviginti electionis pontificalis formae exponuntur. I. Prima fuit illa forma, qua Christus dominus Petrum ecclesiae suae pastorem designavit, eaque appellatur institutio. II. Dicitur substitutio, qua Petrus Clementem sibi successorem designavit. III. Electio per cleri populique christiani suffragia, nempe ab imperio Domitiani usque ad Constantini liberorum dominationem. IV. A Liberio ad Silverium, quo tempore imperatores vel reges, clerus, senatus, populusque romanus electioni pontificali suffragabantur. V. Electus a clero populoque Pontifex imperatoris constantinopolitani consensu comprobabatur. VI. Forma similis fere tertiae, qua nullus imperatoris consensus expectabatur. VII. forma fuit cum Hadrianus I. potestatem nominandi Pontificem Carolo magno ob suam pietatem et merita visus est permisisse. (Ceteroqui nos hanc eligendi rationem vel confictam vel perperam intellectam, alibi demonstravimus.) VIII. forma fuit, cum Hadrianus III, praetenso quovis decreto abrogato, constituit ne imperator eligendo Pontifici se immisceret (Confer Spicil. T. VI. p. 211.) IX. Cum Leo VIII. (quem nos iam diximus fuisse antipapam) imperatori denuo permisit Pontificis designationem. X. Forma fuit, qua consentientibus clero, senatu, populoque romano, solis Cardinalibus electionis potestas adtributa est, a Iohanne XVIII. ad Gregorium VI, sive ab

Henrico II, usque ad Henricum tertium. XI. forma est, qua sub Clemente II. antipapa denuo ab imperatore designatio Pontificis usurpata fuit. (Confer Spicil. tom. VI. p. 262.) XII. forma, quae sub Stephano X. rursus viguit, ut prorsus absque imperatore Pontifex deligeretur. (Conf. Spicil. tom. cit. p. 288.) XIII. Forma fuisse dicitur a Nicolai II. tempore, ut videlicet a Cardinalibus, clero, populoque rom. electio fieret cum imperatoris consensu. XIV. Forma fuit, qua Alexander II. et Gregorius VII, absque ulla imperatoris auctoritate, creati fuere pontifices, a Cardinalibus, clero, et populo: qui tamen ante consecrationem confirmari se ab imperatore sponte voluerunt, nequa dubitatio et controversia, pro temporum illorum miseria, oriretur. XV. Forma est, qua nulla imperatoris auctoritate requisita, immo et praeter eius si opus foret sententiam ac voluntatem, decretum fuit in concilio lateranensi anno 1080. sub Gregorio VII. ut pontifex crearetur et consecraretur. Cuius decreti exemplum extat in eiusdem Gregorii registro. XVI. Forma fuit liberorum omnino comitiorum, post initam pacem inter Henricum V. imp. et Callistum II. papam XVII. forma extitit, cum ab Honorio II. usque ad Alexandrum III, sine imperatore, proceribus, populove romano, Pontifex a Cardinalibus tantum cum delectis aliquot cleri rom. primoribus electus fuit. XVIII. Denique electionis modus habetur, quo solis Cardinalium suffragiis, per scrutinii formam, ut diximus, Pontifices eligi constat, quae consuetudo ad nostram usque devenit aetatem, a Lucio videlicet III, qui Alexandro III. successit; quem praeterea electionis modum ille secutus est, qui per compromissionem appellatur, nec non ille qui per adorationem fit.

CONCLUSIO.

Ex hactenus a Massarello Panvinioque dictis, multoque magis ex universa Ecclesiae historia constat, post Petrum a Christo domino universalem pontificem institutum, Clementem a vivente adhuc Petro successorem sibi fuisse designatum. Deinceps vero, exiguo adhuc Christianorum numero, electos fuisse Pontifices concordibus cleri populique fidelis suffragiis, ita tamen ut cleri auctoritas, utpote in re sua, praevaleret. Deinde prudente ac iusto canonum iussu, populum suffragiis sacris fuisse exclusum, ne tumultus et cetera comitiorum popularium vitia rem sanctissimam perturbarent. Postea constat, ex ipso clero

factum delectum, ita ut nonnulli tantum insigniores ob animarum creditam curam clerici, qui iam tum Cardinales dicebantur, cum suburbanis episcopis comitia pontificalia celebrarent. (In aliquot certe orientis provinciis hic modus adhuc viget, ut eligendus episcopus a cleri populique comitiis patriarchae praesentetur. Item in occidente capitula quaedam canonicorum, ex Nicolai V. concessione, episcopum etiamnum eligunt Pontifici maximo praesentandum. Immo et populus adhuc alicubi ad paroecias designat illorum nomina, quos episcopus si dignos compererit probaturus est: quae sunt videlicet antiqui moris vestigia seu reliquiae.) Christiani vero principes primo quidem nihil ad se pertinere de pontificalibus comitiis existimarunt: postea tamen modo ut protectores, modo ut domini, rem sibi minime congruam saepe vindicarunt; unde innumerae contentiones, mala, ac miseriae plurimae subortae sunt. Postremo principes voluntatem designandi Pontificem maximum, pro sua iustitia ac pietate, ut par erat, seposuerunt: eaque comitia delecto ecclesiae romanae clero seu senatui, id est Cardinalium collegio, gravissimis perpetuisque constitutionibus reservata fuerunt.

DE QUATUOR VOLUMINIBUS
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
AB ONUPHRIO PANVINIO SCRIPTIS.

Historiam quoque ecclesiasticam a se scriptam fuisse adfirmat Panvinius in epistola ad Card. Farnesium maecenatem suum, praeposita chronico edito Pontificum rom. et Cardinalium. Reapse quatuor mihi se obtulerunt inter codices vat. scripta volumina in fol., quae Panvinii ecclesiasticam historiam continent a domino Christo Iesu usque ad Pium V. pont. max. Is Domini nativitatem ponit in anno mundi ·VMCCCIX·; qua in re sibi quidem constat Panvinius, qui in suo edito chronico Pontificum, Imperatorum, et consulum, idem prorsus adfirmat. Vetamen prisci auctores a Baronio in apparatu n. ·CXIX· enumerati, quamquam non admodum inter se concordes, ad eam tamen annorum summam prorsus non adsurgunt. Tomus I. foliorum 575. complectitur Pontifices a divo Petro usque ad Zosimum I. desinitque in anno Christi ·CDXIX· Tomus II. foliorum 320. a Bonifacio primo usque ad Pelagium secundum, desinit

in anno ·DXC· Tomus III. foliorum 288. a S. Gregorio I. (cuius gesta copiose scribuntur) usque ad Leonem tertium, desinit in anno ·DCCCXIIII·, qui fuit Caroli magni postremus. Inter tertii voluminis finem quartique initium ingens iacet lacuna. Etenim quartus non a Stephano V, ut debuit, sed a Benedicto IX, anno videlicet ·MXXXII· exorditur, amissis omnibus qui interponendi fuerant quaternionibus, quibus quinquaginta Pontificum gesta, et ecclesiastici sub iisdem fasti, continebantur. Ergo tomus quartus, ut nunc se habet, foliorum 288. a Benedicto IX. (quem auctor octavum appellat) pertingit usque ad beati Pii V. pontificatum, desinitque in anno ·MDLXVI· quo is pontifex processit. Nimirum et ipse Panvinius paulo post vitam iuvenili propemodum aetate clausit mense martio anni·MDLXVIII·

Digeritur haec historia more annalium, adscriptis in margine Christi annis. Recensentur Pontifices rom. et pseudo-pontifices, consules, et Imperatores. Pontificum et Imperatorum inseruntur etiam imagines, quotquot ab auctore inveniri potuerunt. Scribuntur diligenter martyria, incrementa ecclesiae, episcoporum gesta etc., et monumenta plurima contexuntur, veluti epistolae, canones synodales, leges imperiales, disputationes, librorum ecclesiasticorum tituli etc. Priores tomi tres manu quidem librarii exarati sunt, sed ab ipso auctore deinde interpolati et passim emendati. Quartus magnam partem est autographus, nec nisi fere Pontificum rom. res continet, quia nimirum postrema haec operis pars diuturniores auctoris curas expectabat. Certe et beati Gregorii septimi res gestae sex paginis heic concluduntur, quas quinque libris se enarravisse dicit ipse Panvinius in additamentis ad Platinam; qui utinam libri uspiam superessent! Certe ii nupero Gregorii historico Voicgtio uberrimam suppeditassent materiam.

Institutum fuisse de hoc aliisque aliquot Panvinii iam mortui operibus iudicium constat, Petro Ciacconio, Silvio Antoniano, Roberto Bellarmino, Francisco Penia, Federico Metio, aliisque nonnullis, apud Cardinales modo Sanctorium modo Sabellum, suffragia ferentibus: et certe historiam utpote rude adhuc opus nec satis consideratum, visam esse multis in locis correctionis indigentem non miror. Ceteroqui non inepte adfirmarunt scriptores aliquot, Panvinium Baronio ipsi celeberrimorum annalium auctori facem praetulisse: immo et ipsi Bellarmino de scriptoribus ecclesiasticis librum adornanti, panviniani operis lectio haud inutilis fuisse videtur, ubi tot scriptores laudan-

tur: quamquam ambos, Baronium scilicet ac Bellarminum, laude historica ac theologica, rectaque in ecclesiasticis rebus crisi, Panvinio anteferre necesse est.

ALIAE PANVINII LUCUBRATIONES MSS.

Denique ut observatorum a me ecclesiasticorum Panvinii scriptorum notitiam absolvam, aio me in bibliotheca vat. vidisse Ritualium quoque sacrorum ab eo factam collectionem, cuius parisiaco apographo naviter usus est Mabillonius in museo italico. Aio insuper me in eadem bibliotheca vidisse mss. valde eruditos tractatus Panvinii inchoatos de baptismo, de confirmatione, et de sacrificio missae.

PANVINII ANTIQUITATES ROMANAE MSS.

Ante omnia occurrit magnus ille romanarum antiquitatum scribendarum conatus centum libris comprehensarum, cuius ego praefationem in Spicilegii octavo volumine collocavi, ubi et (p. 663.) quinque voluminum, quibus opus absolvebatur, argumenta traduntur. Primi voluminis, quod fuit de antiqua Urbis imagine, in octodecim libros dilatati, solari desiderium utcumque possumus, libro Panvinii ipsius qui extat de civitate romana, itemque alio eiusdem cui titulus descriptio urbis Romae, qui sunt in Gronovii thesauro T. I. et III. Sane in codice vat. singulorum librorum octodecim argumenta extant, quae nunc divulgare mei consilii non est. Secundi voluminis quadraginta libri de civitatis romanae institutis privatis, publicis, profanis, et sacris, innumeram eruditionem ostentaturi erant, ut ex eorum summariis, quae partim vidi, cognoscitur. Illa certe, quae de ludis scripserat, in tribus libris impressa legimus: reliqua desideramus. Ceteroqui Goltzius dum suum thesaurum rei antiquariae adornaret, Panvinii fortasse schedis, aut certe cognitis sibi magni viri cogitationibus, adiutus fuit. Tertii voluminis librorum viginti de romano extra urbem imperio, epitomen habemus in libro Panvinii edito de imperio romano. Quartum operis volumen praecipue amissum dolemus, quod ter circiter mille inscriptiones libris XII. (nempe a ·LXXIX· ad ·XC·) comprehensas habebat. Harum distributionem quum in dicto vat. codice invenerim, communicandam cum meis lectoribus iudico, quae est huiusmodi.

Quarto volumine, libris XII, veteres inscriptiones clauduntur.

Liber LXXIX. continet inscriptiones Deorum Dearumque, quae sunt in aris et statuarum basibus.

Liber LXXX. continet inscriptiones sacerdotum atque ministrorum et officiorum sacrorum.

Liber LXXXI. continet statuas, bases, tabulas, cippos, urnas, arasque sepulchrales clarorum virorum reip. tempore, consulatuum, imperatorum, Caesarumque, illustrium virorum, magistratuumque populi romani urbanorum et provincialium, augustarum, et illustrium feminarum.

Liber LXXX. continet easdem inscriptiones magistratuum municipalium, militum legionariorum, cohortium praetorianarum, urbanorum vigilum, et diversorum aliorum, classiariorum classium ravennatis et misenatis, equitum singularium ex alis et turmis, item omnium militiae graduum, honorum et munerum, item nominum legionum, cohortium, alarum.

Liber XXCIII. continet easdem inscriptiones officiorum civitatis publicorum, mercatorum, negotiatorum, artificum, et opificum, officiorum domus augustae et Caesaris, publicorum et privatorum tam in Urbe quam per provincias.

Liber XXCIIII. continet fastos calendares, consulares, et triumphales.

Liber XXCV. continet leges, decreta, privilegia, et instrumenta publica.

Liber XXCVI. continet donationes, legationes, emptiones, pretia, conditiones adiectas, similiaque.

Libri XXCVII. et XXCVIII. continent cippos, tabulas, urnas, arasque sepulchrorum, reliquorum privatorum, marium primum, deinde alio libro feminarum.

Liber XXCIX. continet inscriptiones omnes operum publicorum urbis Romae, ut viarum, pontium, templorum, portuum, portarum, et murorum, pomerii, et riparum Tiberis, aquaeductuum et thermarum, arcuum triumphalium, et diversorum.

Liber XC. continet inscriptiones operum publicorum eorumdem extra Urbem per Italiam et provincias.

Hem qualem quantumque thesaurum amisimus! quamquam non omnem; permultae enim inscriptiones servatae sunt in operibus illis Panvinii quae typis sunt excusa. Porro de fatis hu-

ius epigraphicae collectionis legendae sunt coniecturae Scipionis Maphaeii Veron. illustr. lib. IV. in calce capituli de Panvinii scriptis.

Quinti demum antiquitatum romanarum voluminis decem libri fuerunt a nonagesimo scilicet ad centesimum, quibus historia romana continebatur ab Urbe condita usque ad B. Pium V. pontificem maximum. Librorum horum summaria a Panvinio scripta heic subtexere non recuso.

Librorum decem historiarum populi romani
ab urbe condita usque ad nostram aetatem
epitome ad S. P. Q. R.

LIB. XCI.

Urbis origo, et primordia referuntur. Quis eius status sub septem regibus per ·CCXLIIII· annos, et sub consulibus per ·D· fuerit explicatur Quo ortu, et quibus incrementis, quo tempore, quibus ducibus, et bellis, quibusque bellorum causis, orbem terrarum veteres Romani occuparint. Item quo ordine, qua ratione, quibus consiliis, et eventibus singula praeclara gesserint, ac tantum imperium, et rem publicam constituerint, et eam postremo civilibus et intestinis discordiis labefactaverint. Ad haec qui magistratus, quae leges, iura, sacra, et sacerdotia, quot comitiorum genera, tribus, centuriae, curiae, civium ordines, iudiciorum ratio, et praecipua civitatis et imperii instituta, quot demum municipia, coloniae praefecturae, provinciae, varia civitatum in iis iura et legiones fuerint, demonstrantur. Continet hic liber res gestas annorum plus minus ·DCCL· a Romulo rege primo usque ad Caesarem augustum.

LIB. XCII.

Populi romani res gestas continet, postquam ad unius arbitrium sub nomine principis res publica devoluta est et constituta, ab Augusto Caesare usque ad id bellum, quo Gothis Italiae imperio a Belissario et Narse eiectis, Urbs in imperatoris Iustiniani potestatem devenit. Quibus explicandis variae imperii ab Augusto, Hadriano, Constantino, Valentiniano III. imperatoribus, Odoacre herulo, et Theoderico Amalo, Gothorum in Italia regibus, constitutiones editae referuntur. Item imperii occidentalis excidium, Ostrogothorum in Italia, Francorum et Burgundio-

num in Galliis, Visegothorum, et Alanorum in Hispania, Vandalorum in Africa, Hunnorum in Germania, Pannonia, et Illyrico regna, singularum provinciarum amissio, quo tempore, quibus bellis, et a quibus barbarorum regibus et ducibus occupatae fuerint edocetur, a Christi natali usque ad annum ·DL·

LIB. XCIII.

Quae civitatis conditio fuerit Ostrogothis imperio deturbatis Italiae, eâque ab imperatore Iustiniano augusto, Narse belli duce, orientali imperio cum Urbe attributâ; qui magistratus Romae instituti, quae vivendi ratio, quae iura, et populi romani potestas tunc fuerit, describitur: Longobardorum in Italiam adventus, et bella quae per ·CC· annos cum Romanis gesserunt: exarchorum Italiae imperium, et res gestae, seditionesque aliquot civiles referuntur, a Iustiniano augusto usque ad tempora Caroli magni, quo saeculorum intervallo Urbs graeco imperatori parebat per annos ·CCL· ab anno Christi ·DL· usque ad annum ·DCCC·

LIB. XCIIII.

Carolo magno Francorum et Longobardorum rege primo post Augustum, et longissimum annorum ·CCCXXV· imperii interregnum, occidentis imperatore creato, avitoque imperandi more Urbi, et Italiae a clero S. P. Q. R. restituto, quum Urbs e graeci imperatoris potestate se, victis Longobardis, in libertatem auspiciis eiusdem Caroli magni vindicasset, qui tum eius status, quae vivendi ratio, qui novi magistratus creati, et qua ratione res publica constituta fuerit, aperitur. Res praeterea egregiae bello cum finitimis populis, Tuscis item, et Sarracenis, quorum vires Italis aliquandiu formidabiles fuerunt, a Romanis gestae referuntur. Iofredi Campaniae comitis, Cincii, Franconis, Alberici, et Crescentii a Caballo marmoreo, qui, et Nomentanus dictus est, et aliorum Romanorum tyrannides. Othonis primi imperium, et quomodo ab occidentalibus Francis ad orientales, idest a Gallis ad Germanos translatum sit, explicatur. Haec omnia a Caroli magni imperio usque ad Gregorii papae VII. pontificatum gesta sunt, per annos ·CCXXC· ab anno Christi ·DCCC· usque ad ·MXXC· Quo tempore Romani, Gregorio papa VII. praecipuo auctore, quum ab imperatore Henrico IIII. defecissent, tum primum se in antiquam libertatem, e qua sub imperatoribus superioribus deciderant, vindicare coeperunt.

LIB. XCV.

Novam civitatis magistratuum, legum, et iurium constitutionem, auspiciis romani pontificis Gregorii VII. factam continet, quibus usque ad Innocentii papae II. tempora, et annum Christi ·MCXL· Urbs vixit, praefecto, iudicibus, advocatis, scriniariis, et praefectis navalibus, ex auctoritate romani Pontificis creatis, Urbi praesidentibus, quorum etiam per annos LX. acta, et iura quam plurima describuntur, comprehendit: item seditiones aliquot civiles, bella externa ingentia, in romana ecclesia schismata, populi diversa studia et factiones, plurimarum item familiarum originem, vel ad Urbem adventum, inter quas hae praecipuae, Fregepanes, a Caballo marmoreo, Nuzini, Superistae, Maximi, Petrileones, Nortmandi, Corsi, Latrones, Comites Tusculani, Hannibaldenses, Comites de Galeria, Octavii, Praefecti, de Columna, Ursini, Comites de Signia, Sabellii, Cincii, Astalli, Buccamatii, Quatrali, Thebaldi, Caietani, Meliosi, de Canaparia, Camirzuli, de Primicerio, Ruzincii etc.

LIB. XCVI.

Populi romani bella, cum finitimis, Tiburtinis, Tusculanis, Albanis, Praenestinis, Anagninis, Coranis, et reliquis Latii populis, et ipsorum bellorum causae continentur, quae Tusculi tandem excidiofinita sunt quinquagesimo postquam suscepta fuerant anno: quorum occasione, romano Pontifice a civitatis administratione submoto, novum rei publicae corpus praeter eiusdem voluntatem constitutum est, senatoribus centum, equestri ordine, Patricio qui omnibus praeesset, iudicibusque quibusdam veterum Romanorum exemplo institutis: in quibus controversiis populus romanus Pontifici rebellis tunc primum a pontificiis comitiis exclusus est, et ad solos Cardinales Pontificis electio paulatim redacta; quod quem admodum factum fuerit, aperitur. Seditiones praeterea plurimae inter populum romanum, et pontifices Innocentium II, Caelestinum II, Lucium II, Eugenium III, Hadrianum IIII, Alexandrum III, et Lucium III; bella quoque civilia et externa ob huiusmodi res excitata enarrantur, usque ad pacem cum maximo pontifice Clemente III. a populo romano aequis conditionibus factam. Continet hic liber annorum L. intervallum ab anno Christi ·MCXL· usque ad annum ·MCXC·.

LIB. XCVII.

Quiritium tam intra quam extra Urbem post pacem cum Papa factam, sub praefecti et senatorum regimine, a Caelestini III. pontificatu usque ad Clementem V. sub quo romana sedes in Gallias migravit per annos ·CXIIII· ab anno ·MCXC· usque ad annum ·MCCCIIII· res gestas continentur: quo temporis intervallo res cognitu dignae quam plurimae acciderunt, senatorum usque ad tres vel duos diminutio, seditiones civiles inter Pontifices maximos et populum romanum, itemque inter Pontifices ipsos et imperatores Philippum, Othonem IIII, et Fridericum II, quae cum ipsius Friderici stirpis excidio finitae sunt. Caroli andegavensis, Provinciae comitis et Siciliae regis, se atoria bella, et victoriae contra Manfredum et Chunradinum: discordiarum civilium inter Ursinos et Columnenses, idest Guelphos et Ghibellinos origo: iobilei institutio, et alia complura et egregia.

LIB. XCVIII.

Populi romani, et senatorum, itemque Nicolai Rentii tribuni, et Francisci Baroncelli Urbis domini gesta et exitus continentur, quo tempore sedes romana in Galliis erat per annos ·LXX· ab anno Christi ·MCCCV· usque ad annum ·MCCCLXXVI· quo temporis intervallo res memoratu dignae acciderunt. Aliquot romanae sedis legatorum in Italiam adventus, Henrici VII, Ludovici Bavari, et Caroli IIII. imperatorum coronationes, et acta inter ipsos et populum romanum. Roberti Siciliae regis bella pro romana ecclesia contra Bavarum eiusdem ecclesiae hostem perniciosissimum, varia procerum romanorum in ea controversia studia, antipapae Petri de Corbarin, Nicolai V. appellati, creatio et exitus. Seditiones inter populum, et senatores proceresque romanos, bella civilia inter Ursinos et Columnenses, frequentes civitatis mutationes, aliquot magistratuum institutiones, novae leges, et iura condita, iobileus secundus anni ·MCCCL.

LIB. XCVIIII.

Populi olim terrarum principis gesta referuntur postquam sedes romana ex Galliis ad Urbem a Gregorio papa XI. reducta est, usque ad praesens tempus annorum ·CXC· intervallo, quo tempore res praecipue memorabiles acciderunt, schismatis longissimi origo et exitus, libertatis amissio sub Bonifacio IX. primum, deinde sub Eugenio IIII. Aliquot civium romanorum indignae

caedes, Innocentii VII. papae expulsio, concilia generalia, pisanum, constantiense, basileense, et florentinum, molis Hadriani munitio, nova civitatis administrandae ratio sub Bonifacio IX. instituta, et sub Eugenio IIII. ac Nicolao V. stabilita, Martini V. adventus et acta, Eugenii IIII. fuga, et reditus, conservatorum et capitum regionum institutio, civitatis novissima per populum romanum reformatio, Porcarii coniuratio et interitus, Xisti IIII. in urbe ornanda gesta egregia, Alexandri VI. saevitia, Iulii II. bella, felix Leonis X. pontificatus, Clementis VII. infortunia, Urbis direptio, pestis, et Tiberis inundatio, ceterorum Pontificum, et praesertim Pauli IIII, circa urbanas res acta, virorum praeterea aliquot romanorum illustrium, qui hoc saeculorum spatio vixere enumeratio et elogia, inter quos praecipui fuere Paulus Ursinus, Iacobus comes Fabricius, Prosper et Marcus Antonius Columnae, Nicolaus Ursinus comes Pitiliani, Bartholomaeus Livianus, Simon romanus, Laurentius Mancinus, et alii huiusmodi.

LIB. C. ET ULTIMUS.

Quae nunc civitatis iura, leges, statuta, privilegia, status, magistratus, et conditio sint, et quo iure populus romanus cum romano Pontifice hoc tempore feliciter agat.

PANVINII LIBELLUS DE PRISCIS ROM. RERUM SCRIPTORIBUS.

Quia vero in tanto opere instruendo multorum auctorum testimoniis passim Panvinius usurus erat, idcirco praecipuorum quinquaginta graecorum ac latinorum catalogum, biographiam atque notitiam, eo fere modo quo postea Ioh. Fabricius, scripsit Panvinius, quorum primus est Polybius, postremi Zonaras et Nicetas choniata: qui libellus sane bonus accuratusque est; nunc tamen paene frustra ederetur, post tot bibliographorum quae in manibus sunt volumina.

PANVINII EXPOSTULATIO.

Denique ad romanas Panvinii antiquitates quod attinet, praeclaram placet recitare eiusdem epistolam postremo vitae anno scriptam, et a me autographam in vaticano codice lectam, quam historiae litterariae valde utilem eruditi iudicabunt.

Onuphrius Panvinius ·M· Laurino (1) et Huberto Goltzio praestantissimis antiquitatis romanae cultoribus.

Scriptis ad vos iam litteris, quibus in adiuvandis lucubrationibus vestris operam meam libenter offerebam, vestramque vicissim in meis laboribus sublevandis exposcebam, illustrissimus vir Cardinalis Granvellanus fastorum vestrorum librum novissime adiunctis antiquis nomismatibus publicatum mihi dedit, rogans ut sibi quid de illo sentirem, eo perlustrato, referrem. Librum, ut mea est consuetudo, totum accuratissime evolvi, assidue contemplatus sum. Retuli eidem clarissimo viro quod vobis quoque scribere operae pretium duxi. Nisi enim essem quietioris naturae, a iurgiis contentiosisque disputationibus alienissimae, quae nunc vobis clam scribo, iam aperte edidissem. Nec desunt qui me ad id adhortentur. At quoniam vos ingenuos homines et humanitatis studiosos esse mihi persuadeo, privatim potius quam publice, et amanter magis quam irato animo, vobiscum per epistolam agam.

Laborem vestrum oppido accuratum laudo, diligentiam probo, desiderium vestrum in re litteraria et romana antiquitate illustranda summis laudibus effero. Vos viros eruditos, antiquitatis romanae studiosissimos, bene peritos et de ea meritos esse consentio. Verum quod me nonnihil torqueat, aliquid subest. Memini, domine Goltzi, quum abs te aliquando per litteras quaesiissem, ut permitteres Nicolao Florentio, viro probo et docto, ut quae tu ei tradideras, aliquot veterum nomismatum exempla mihi accommodaret, respondisse, id libentissime te permittere, ea tamen lege ut in meis lucubrationibus ea tibi accepta referrem, ne tu videreris aliquando illa a me subripuisse. Id aequum esse censui, et cumulatissime praestiti. At vero vos vices mihi non reddidisse, multum doleo. Est vero et aliud praeterea quod magis me angit. Nam, ut infra aperiam, a vobis parum prudenter et accurate, et fortassis imperite, mea existimatio laeditur, qui in rebus claris et certissimis, vobis vero parum compertis, me perperam et incuriosius scripsisse affirmetis; quod an ita fuerit, mox videbimus.

Primum in universum dico, me non posse non vehementer conqueri et dolere de omnibus illis, qui fucorum more alienos

(1) Quis fuerit ·M· Laurinus (nam Goltzii nomen satis est celebre) cognoscitur ex historia collectionum epigraphicarum, quae praeponitur operi gruteriano.

labores sine fronte raptos, nulla germani auctoris facta mentione, suos fecerunt (quales multos in transalpinis regionibus esse scio) me in hac re non imitati, qui nominatim cunctos, a quibus vel tantillum adiutatus sim, cum summis laudibus et egregia laborum suorum testificatione, quatenus id fieri licuit, ubique in meis commentariis celebravi. Hi vero sunt Iohannes Cuspinianus, Antonius Augustinus, Octavius Pantagathus, Bernardinus Aegius, Gabriel Faërnus, Gentilis Delphinius, Carolus Sigonius, Nicolaus Gruchius, Pyrrhus Ligorius, Paulus Manutius, Achilles Maphaeus, Hannibal Carus, Angelus Massarellus (1), Iohannes Grimanus patriarcha, Stephanus Magnus, Andreas Lauredanus, Hieronymus Turrianus, Aeneas Vicus. et alii. Georgium Fabricium (2) tacui, quod universa eius scripta damnata, in librorum christianis interdictorum album a patribus tridentini concilii iussu delectis, relata essent: eius alioqui nomen tamquam viri docti non omisimus: propterea quod omnes id genus homines humanissime in praefatione quadam (3) rogare constitui, ne quae aliena sunt, nulla accepti beneficii commemoratione habita, sine pudore rapiant, quia Dei praeceptum est, non furtum facias. Haec in universum; nunc privatim.

Magistratuum romanorum fastos a Sigonio, Marliano, meque, incredibili multorum annorum studio et labore usque ad Ti. Caesarem editos, a me vero uno usque ad Carolum magnum imperatorem perductos, vix lineolis quinquaginta interpositis, aut quibusdam pauculis immutatis, quam perite alibi ostendam, vos vestros fecistis. Nec quod nostra acceperitis queror, sed quod a quibus eos labores acceperitis, vestro nomine apposito taceatis; quam ingenue, aliorum sit iudicium. Silentii enim instar esse

(1) Huius supra edidimus capitula summaria de varia electione rom. Pontificis, quae quia in codice panviniano eiusdem argumenti invenimus, et quia nunc Massarellum a Panvinio laudatum videmus, haud immerito suspicati sumus in Panvinii gratiam, seu ipso rogante, fuisse scripta.

(2) Est hic ergo ille anonymus Hermundurus, de quo Panvinius in praefatione a nobis edita Spicil. T. VIII. pp. 657. 661. 662. Ideo autem dictus est a Panvinio Hermundurus hic Georgius Fabricius, quia eius patria fuit Chemnicium, civitas Hermundurorum. Urbis romanae descriptionem egregiam ab eo comprehensam capitibus XXIII (non XX ut loc. cit.) prae manibus habeo, anno MDL typis impressam, duodeviginti ante Panvinii obitum annis, qui non solum ex illius opere, verum etiam ex praefatione profecit, ut cuique conferenti constabit. In eadem praefatione querela Fabricii de Panvinio legitur. Huius porro Fabricii vita et catalogus operum plurimorum extat apud Niceronum T. XXXII. p. 31. seqq.

(3) Nimirum in illa, quam nos T. VIII vulgavimus

duco ita scribere: « uti inter ceteros, quondam Politianus, Bu-» daeus, Bembus, nuper Volfangus Lazius, nunc vero Antonius » Augustinus, Carolus Sigonius, Paulus Manutius, Onuphrius » Panvinius, Iohannes Sambucus, etc. » et me unum, a quo integram posteriorem fastorum partem accepistis, in qua decem integros annos laboravi, uno hoc agmine tamquam incognitum transmittere. Et tu saue, parens Goltzi, antiquis nomismatibus absolute quidem et imperatorum imaginibus additis bis fastos nostros excussisti; Stephanus autem Pighius eodem morbo laborans, eosdem in praegrandi tabula sub aspectum posuit: de germanis auctoribus ne verbum quidem. Atque hac ratione omnibus licitum erit, alienos foetus decem versibus interpositis vel immutatis, suos impune facere, et sine legitimi auctoris praescriptione publicare. Id si alii patientur, ego tacitum non feram. Certe laborem vestrum, ut supra dixi, laudo; at legitimos operum auctores ita silentio praeterire, et in alienam messem sine respectu inrepere, non candidi, non ingenui, non liberalis animi esse existimo. Infra paucos menses omnium magistratuum quos iam publicavi fastos, denuo vestris emendatiores typis tradam, iisque adiiciam praetores, tribunos plebis, aediles, quaestores, et provinciarum praefectos, proconsules, et propraetores, quorum memoria extat, totamque eam tractationem explicabo. Nisi vero alienis laboribus homines abstinuerint, aut auctoris nomen non celebraverint, non sine illorum dedecore publice scripto conquerar, ut ea aperiam quae sileri magis oportuisset. Haec de prima quaerela. Iam de altera.

Ut aliquid vos profecisse demonstraretis, breve fastis vestris commentariolum addidistis, quo multa in nostris commentariis animadversione digna adnotastis; quam recte, excutiamus. Primum Sigonium et me aliquando pro Q. Ogulnio Gallo consule, Quinctium Gulonem, uti est in vulgatis Cassiodori et Eutropii codicibus posuisse. Egregie, quid autem? Quid necesse fuit isthaec commemorare? quasi ipsi hoc inveneritis, et non potius ex nostris hauseritis commentariis, a me octavum ante annum vetusti codicis Eutropii, maiusculis litteris scripti, ope inventum, et pro Gulone Ogulnius restitutum. Varietas in praenomine Sulpicii Paterculi non arguit diversum esse auctorem tabularum consularium et triumphalium, quum idem fuerit ·M· Verrius Flaccus, ut probavi; tabulae etiam eodem tempore factae, iisdem characteribus et marmoribus scriptae. Nam tam praenomen Paterculi, quam illud Augusti DIVI F. C. F. quis non videt errorem

IMP. Item CAESAR DIVI. F. III. VIR. R. P. C. IMP. Ad tabulas vero capitolinas dici posset, earundem auctores rationem temporis in quo eas constituerint habuisse, non eius quo C. Caesar Octavianus tunc aut consul aut III. VIR R. P. C. fuit. Haec quadrare vero poterunt, cunctis praesertim de eo praenomine ante quintum Augusti consulatum silentibus auctoribus. Sed haec ex ingenio potius dicta velim, quam quod ita revera sentiam.

Postea reprehenditis quod Augustum patrem patriae appellatum scripserim, anno urbis ·DCCLVIII· (1) decennio ante eius obitum a L. Valerio Messalla consule, affirmantes vos antiquos nummos habere, quibus secus invenitur; et propterea eum patrem patriae vocatum scribitis, quinto suo consulatu, anno post victoriam actiacam ·XXXV· Quicquid afferant quae citatis nomismata, nihil moror, quum vel supposititia esse possint, et ab imperitis antiquariis conficta, qualia multa aurea, argentea, aerea vidi, vel posterioribus temporibus, ac si prioribus, percussa. Id pro mea sententia argumentum facit, quod circiter decem antiqua epigrammata Augusti, immensis marmoreis tabulis, litteris cubitalibus Romae et per Italiam incisa habeo, ante L. Messallae consulatum confecta, quae etiam publicabo (eorum partem vos in smètiano et maclochiano codicibus aspicite) in quibus nusquam Augustus pater patriae appellatur, titulo alioqui non omittendo, neque post eum consulatum in iis quae supersunt Augusti inscriptionibus omisso. Haec conficta esse non possunt, et iis quibus adnotata sunt annis facta sunt, quod de nummis dici non ita tuto potest. Addo quod Aelius Spartianus in Hadriani vita dicit: Hadrianum patris patriae nomen delatum sibi, statim et iterum postea distulisse, quod hoc nomen Augustus sero meruisset: quod non sero, sed citissime esset, si quinto consulatu eo nomine ornatus fuisset. Enimvero verosimile non est tantum cognomen senatum populumque romanum Augusto absenti, nisi per summum magistratum, consulem scilicet, obtulisse.

De antiqua vero inscriptione, qua consules memorantur Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Bradua, in qua vos restituistis Metellus et Tribonianus, ne duo nomina gentilicia uni personae tribuantur, et ob eius rei inscitiam foede in fastis ipsis aliquando lapsi estis, quae recte posita a me fuerant depravastis, pauca dicamus. Primum affirmamus, consuevisse post Vespasiani tempora, quibus prisci mores et instituta depravata erant, a singulis personis duo et aliquando tria nomina gentilicia usur-

(1) Videsis Panvinii fastos ad hunc annum.

egerim, contemplamini. Sexcentos apertos errores eorum qui ante me scripserunt adnotavi, et tamquam aliud agens refutavi, neminem umquam singillatim compellavi, nisi semel tantum levissime et in re clarissima a quo provocatus fueram Marlianum, quem tamen antiquitatis romanae haud multum peritum, quia in ea laboraverat adserenda vindicandaque, saepe laudibus effero.

Haec clam inter nos dicta sint summa cum caritate et amore; non conviciandi caussa, sed ut modestiae gratitudinisque, ac ut cautius in posterum scribere discatis quae vulgaturi estis, admonerem: publice nomina vestra perpetuo (nisi caussam secus faciendi dederitis) celebraturus; et quibuscumque in rebus potero labores vestros, si a vobis requisitus fuero, uti pollicitus sum, totis viribus promoturus. Valete, et haec potius parvi erroris in principio tollendi caussa, quam contentionis aut maledicendi studio, a quo natura mea abhorret, currenti calamo scripta existimate. Romae idibus ianuarii anno ·M·D·LXVII·

DE VIRORUM ILLUSTRIUM VITIS
AC FAMILIARUM ROMANARUM HISTORIIS
A PANVINIO SCRIPTIS.

Scribendis quoque virorum illustrium vitis industriam suam ac studium Panvinius impendit. Atque ut ineditas tantum commemorem, I. Vitae quidem B. Gregorii septimi PP. libros quinque a se scriptos adfirmat ipse Panvinius in additamentis ad Platinam, ut nos iam observavimus p. 533. II. Iulii item tertii PP. compositam a Panvinio vitam tradit cum Assemano Maffeius Veron. illustr. lib. IV. ubi de Panv. III. Vitae patriarcharum sedium quatuor praecipuarum, itemque archiepiscoporum vel primatum ecclesiarum occidentis, nempe Aquileiae et Gradi, Ravennae, Mediolani, Moguntiae, Coloniae Toleti, Cantabrigiae, Senonum, Lugduni, et aliarum huiusmodi, memorantur in notitia de Panvinii vita et scriptis praeposita eius operi de primatu apud Roccabertum B. P. T. XVII; quas tamen suspicor inchoatas potius ab auctore, vel partim mente conceptas, quam perfectas; quia tam operosae scriptioni, unius hominis et quidem occupatissimi, vix aut ne vix quidem suffecisse vires videntur. IV. Denique ad scribendas quoque familiarum romanarum historias curam suam Panvinius transtulit, ut in eadem notitia alibique legitur. Scripsit igitur de familia Sabellorum libros quatuor; de familia Cenciorum libros duos; de

familia Matthaeiorum librum unum vel plures; de familia Frangipaniorum, sive ut auctor paulo infra scribit Fregepaniorum, libros quatuor, quos certe mss. superesse Romae arbitror, quia id de Frangipanii opus laudatur a Fr. Cancellario de secret. vat. T. II. p. 1075. *Postremo de familia Fabiorum libros duos, quorum posterior de Maximis agit, qui ex eadem familia originem duxerunt. Hos duos nos invenimus libros in codice vaticano, quos quia egregios et utiles iudicamus, luce publica haud aegre impertimur; ita tamen ut praefationem longiusculam de generali inter homines gloriae cupiditate, et de historiae utilitate disserentem amputaverimus, retenta tantum extrema parte, ubi argumentum suum attingit Panvinius; unde etiam cognoscimus, loqui ipsum cum vivente nescio quo de Maximorum familia, cuius in gratiam hunc se laborem suscepisse dicit. Sic ergo Panvinius.* Accidit ut aliquando tecum de familia Fregepania, quam mihi illustrandam susceperam, verba facerem: quumque a me suscepti laboris rationem cognovisses, nonnulla mihi signa ostendisti ut de familia quoque vestra (quam nobilissimam esse iam mihi persuasum erat, aliquotque eius memorias collegeram) nonnihil dissererem. Quumque ego his, quibus nullis eram obstrictus beneficiis, me ea praestitisse cognovissem, tuae qui iam de me bene meritus eras voluntati, quae praecepti mihi loco fuit, protinus satisfaciendum esse existimavi, omniaque antiqua domus vestrae monumenta, quanta a me fieri potuit diligentia, collegi, quae hic subiecta, et in unum quasi corpus composita, nunc ad te mitto, duobus libris distincta; ex quorum priore antiqua, posteriore vero recentiora, eorum quae memorantur digna in gente vestra fuisse unquam invenerim, continentur. Accipe igitur hoc munusculum: etsi quale sit nesciam; illud tamen tamquam meae erga te benevolentiae, gratique et beneficiorum memoris animi signum mitto. In quo si quid eorum, quae mihi proposueram consequutus fuero, mihi gratissimum erit; sin autem, meae imbecillitatis rationem habebis, quae quum quod potuit praestiterit, si in aliquo defecit, maxima excusatione digna est. Vale. Ex Urbe kalendis maii, anno salutis ·MDLVIII·

DE FABIORUM FAMILIA

LIBER I.



CAP. I.

De origine et nomine gentis Fabiae.

FABIORUM familia (a qua ea, quae nunc Maximorum dicitur, originem habuisse constat) Aboriginum ante urbem conditam, Romae vero per multa saecula et praesertim reipublicae tempore omnium nobilissima et potentissima fuit: in qua quingentorum annorum intervallo, quibus respublica stetit, supra quadraginta principes viri et primarii cives fuerunt belli pacisque artibus tam domi quam foris clarissimi, atque omnibus populi romani magistratibus, ut mox singillatim ostendam, quod maximae nobilitatis signum fuit, summa cum laude functi sunt. Cuius gentis tanta quoque Romae potentia fuit, ut bellum adversus Veientes, opulentos tunc Etruriae populos, soli cum suis clientibus et servis in se receperint: quumque ex levibus aliquot proeliis saepius victoriam reportassent, tandem ad Cremeram fluvium insidiis circumventi ad unum omnes fere caesi sunt; unde Ovidius libro secundo fastorum ait:

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos abstulit una dies.

Ex tantaque Fabiorum clade unus tantum, ut Livius et alii auctores latini scribunt, superfuit qui nondum armis per aetatem idoneus in urbe relictus erat: vel etsi plures remanserint, ut senes, et alii pueri, quod etiam veriore ratione scribit Dionysius, ex eo uno tamen gens Fabia renovata est, a quo omnes deinceps Fabii originem traxisse dicuntur. Nobilissimam igitur et potentissimam hanc gentem fuisse constat. Auctor autem eius nominis fuit Fovius vir optimus et locuples, quem apud fluvium Tiberim ex una nympharum eius loci accola Herculem, quando extincto Geryone Hispaniarum rege in Italiam reversus est, genuisse ferunt; cuius rei meminit Plutarchus in vita Fabii Maximi, et Iuvenalis quum ait:

Natus in herculeo Fabius lare etc.

Fovius autem ideo primo dictus, quod in fovea a matre genitus sit; deinde vero mutatis litteris, Fovii nomen in Fabium consuetudo

convertit. Ab hoc postea Fabiorum gens Romae initium habuit. Alii autem veteres, huius generis viros quod primum venandi per fossas morem induxerunt, a fodiendo Fodios olim appellatos memoriae prodiderunt; deinde, mutatis litteris, lapsus loquendi mos Fabiis nomen dedit. Quidam quoque gentem Fabiam hoc nomen sortitam fuisse ab eo tempore scribunt, quo Romani paene omnes nobilissimi agriculturam exercebant, quod primus, qui hoc nomen adeptus est in faba serenda excelleret, sicut etiam Cicerones, Pisones, et Lentuli dicti sunt a cicere, lente, et pisis bene serendis. Quavis autem ratione id nomen adepti sint, nihil refert: hoc tantum satis constat, id ante urbem conditam ortum, hancque familiam ex Aboriginibus fuisse.

CAP. II.

De praenominibus gentis Fabiae.

Genti Fabiae septem fuerunt peculiaria praenomina, sive, ut nunc dicimus, nomina propria, videlicet K. Q. M. N. C. CN. et L; hoc est Caeso, Quintus, Marcus, Numerius, Caius, Cnaeus, et Lucius, quorum omnium significationes, ne quid desit quod ad huius rei perfectam cognitionem faciat, subiicere placet. Caeso praenomen fuit primo illius qui ex utero matris mortuae esset exsectus, ut Valerius Maximus libro X. et Sextus Pompeius auctores sunt. Plinius quoque libro VII. naturalis historiae capite IX: « primus Caesar, inquit, a Caeso matris utero dictus, qua de causa et Caesones appellati. » Caesonis autem praenomen hac nota K. scribi debere, fasti capitolini et vetusti codices docent. Nam quum in fastis capitolinis K. F. K. N. eos describi vidissem, quos in Fabiorum familia, Caesonis filios aut nepotes fuisse, Livius et Dionysius scribunt, pro K. Caesonem debere intelligi existimavi. Simulque quod etiam de ea nota Terentianus Scaurus grammaticus nonnihil scripsit. Ea autem potissimum littera ipsos usos esse existimandum est, ut a praenomine Caio, quod C. littera notatur, distingui ac internosci possent, in quam litteram K. in multis codicibus et praesertim latinis se transtulerat; qui error, lapidum capitolinorum et vetustorum librorum auxilio deprehensus, germana praenominis nota restituta, pulsus est. De Quinto, Sexto, et Decimo, quae omnia praenomina fuisse certum est, Varro libro II. analogiae mentionem facit, auctorque libri rhetoricae ad Herennium, cum de memoria agit: « ut quinto loco, inquit, Quintus; decimo, Decimus aliquis in memoriam

reducatur. » Varro autem praenomina haec ab ordine nascendi orta fuisse refert, ita ut qui quinto, sexto, vel decimo loco natus esset, is demum Quintus, Sextus et Decimus diceretur. Ne autem quis circa hanc praenominum imponendorum rationem forte errandi materiam sumant, est animadvertendum, non omnes Quintos, Sextos, Decimos vel Caesones eos dictos esse, qui quinto, sexto, aut decimo loco, vel caeso matris utero, nati sunt: nam non solum hi qui ita nati sunt, sed alii plerique ita appellati sunt: multosque praeterea ita ortos fuisse existimandum est, neque tamen sic vocatos. Dicendum ergo est, eum, qui primus hoc praenomine appellatus est, ea fortasse ratione dictum; ceteros, quod ab eo aut alio eiusdem praenominis originem ducerent, aut amicitiae, aut differentiae causa, aut eadem nonnumquam causa, qua ille primus, postea sic nominatos.

Marcus praenomen est, quo ille primus appellatus est, (ut tradit Valerius) qui mense martio natus est, de quo praenomine M. Varro libro secundo analogiae, et Plutarchus in problematibus, mentionem faciunt. De Numerio praenomine, quum Sex. Pompeius et Marcus Valerius eodem fere modo scripserint, ut quid optimi auctores senserint, intelligi possit, utriusque verba subiiciam. Sex. Pompeius quidem libro XII: « Numerius praenomen » nunquam antea fuisse in patricia familia dicitur, quam is Fa- » bius, qui unus post sex et trecentos ad Cremeram fluvium » ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine divitia- » rum uxorem duxit, Numerii Octacilii Maleventani (ut tunc » dicebatur) filiam, ea conditione ut qui prior natus esset, prae- » nomine avi materni Numerius appellaretur » Valerius autem libro decimo: « Numerii, inquit, praenomine sola familia patri- » cia usa est Fabia, idcirco quod CCCVI. apud Cremeram flu- » men a Veientibus caesis, qui unus ex ea stirpe extiterat, du- » cta in matrimonium uxore filia Numerii Octacilii Maleventani, » sub eo pacto ut quem filium substulisset, ei Numerii praenomen » imponeret, obtemperaverit. » De Numerii praenomine M. Varro libro secundo analogiae: « Metellus Metella, Ennius Ennia, sed » Marcus et Numerius, non Marca et Numeria. » Hoc autem praenomen N. littera notatur, ut ex re ipsa et fastis constat capitolinis, quorum auxilio, quum in M. et C. praenomina, librariorum errore se convertisset, restitutum est. Eius quoque germana nota N. non omittitur a Diomede, et Prisciano, atque Consentio optimis grammaticis, qui N. littera Numerium significari scribunt. Numerium autem a numero derivari existimo.

Caii praenomen a gandio parentum sumptum esse tradit libro decimo Valerius, et est dictio disyllaba, nisi per diaeresim ex I. consonante facias vocalem, ut est apud Martialem « pervigil in pluma Caius ecce iacet ». Profertur per G. et scribitur per C. quae hoc pacto inversa Ɔ. mulierem Caiam significat, ut auctor est lib. primo cap. XIII. Quintillanus. Cnaeus ab aliqua insigni re quasi γενναῖος, vel a γίγνεσθαι. hoc est a generatione futura, appellatus est, ut auctor est Festus. Valerius a naevo tractum putat, quod eo praenomine praecipue nominarentur qui naevum aliquem habuissent: « naevum antiqui praeposito C. cnaevum dicebant. » Scribitur per C. et profertur per G. Lucii praenominis duplicem tradit Valerius originem; aut enim a Lucumonibus etruscis dictum est, perinde ac pleraque alia, ut Luceres equites, et tribus Lucerum, ut L. Tarquinius Priscus fuit, qui quum primo Lucumo praenomine etrusco uteretur, Romam veniens in Lucium vertit, ut anctores sunt Livius libro primo, et Dionysius libro tertio; aut a luce, quod idcirco illi qui primo hoc praenomine fuit appellatus impositum creditur, quod prima lùcé oriente natus esset. Hoc idem M. Varro, Sextus Pompeins, et Plutarchus confirmarunt. Paulus, quod cognomen Aemiliorum antiquitus erat, temporibus Augusti Caesaris, quando religiosus ille nominum ordo confundi coeptus est, in praenomen transiit cuiusdam Aemiliae gentis, et familiae Fabiae. Paulus autem lingua latina modicus intepretatur, graeca vero quietus, quod graeci παῦλα quietem dicant.

Atque haec sunt praenomina, quae gentis Fabiae propria fuisse, apnd veteres scriptores inveni.

C A P. III.

De cognominibus gentis Fabiae.

Multae quoque gentis Fabiae cognomina more veterum fuere, inter quae haec praecipue usurpata in ea familia fuisse inveni: Vibulanus, Ambustus, Maximus, Rullus a quo Rullianus, Gurges, Buteo, Pictor, Licinius, Dorso, Verrucosus, Ovicula, Cunctator, Labeo, Aemilianus, Servilianus, Allobrogicus, Eburnus, Africanus, Persicus, Iustus, et Cilo. Cognomina autem, quorum frequentissimus usus apud Romanos fuit, a variis eventibus sumebantur. A sapientia enim aut a stultitia, ut Sophus, Cato, Sapiens, Brutus, et Bellutus. A virtute et moribus, ut Frugi, Iu-

stus, Ovicula, Gurges, et Asper. Ab oratione et aliquo dicto, ut Lepidus, Atticus, Eutrapelus, et Scrofa. Ab arte et studio aliquo, ut Pictor, Fullo, Serranus, et Stolo. Ab urbe vel regione devicta, ut Coriolanus, Fidenas, Africanus, et Allobrogicus. A loco ubi bene maleve pugnatum est, ut Regillensis, et Caudinus. Ab aliis eventibus, ut Corvinus, Torquatus, Cunctator, Ambustus, Eburnus, Rullus, Maximus, Buteo, Caesar, Praetextatus, Poplicola, Licinus, Vibulanus, et Magnus. A corporis partibus, ut Cincinnatus, Calvus, Crispus, Capito, Cilo, Tuditanus, Verrucosus, Labeo, et Dorso. A corporis habitu, ut Crassus, Macer, Longus. A sacerdotiis, ut Augur, Curio, Sacerdos, Augustus. Ab ortu, ut Agrippa, Proculus, Geminus, Vopiscus. A loco unde quis migraverit aut alibi natus sit vel habitaverit, ut Tarquinius, Sabinus, Regillensis, Caminas, et Caelimontanus. A principe generis, ut Lamia, Volusus, Iulus, et Fusus. A similitudine alterius, ut Menogenes, Serapion, et Spinther. A fortuna, ut Felix, Faustus, Dives. A nominibus, ut Fulvianus, Aemilianus.

His autem explicatis, nunc superest ut cognomina ipsa gentis Fabiae singillatim declaremus.

Vibulanus a vibula devenit, hoc est fibula, nam quod nos per V. in principio proferimus, veteres per F. scribebant. Vitulanus ergo quasi Fibulanus, quod fortasse multis fibulis ornatus fuisset quae apud antiquos plurimum in usu erant.

Ambustus, ab am, quod significat circum, et ustus quasi circum ustus; fortasse quod primus Fabiorum, qui hoc cognomen tulit, a fulmine ambustus fuerit; quod videtur innuere Festus.

Maximus a re gesta dictus est Q. Fabius Rullianus, quod libertinos in quatuor tribus segregaverit. Livius libro IX: « perpetuum deinceps Fabiorum fuit, a quo ea gens Maximorum dicta. »

Rullus, a quo deinde Rullianus, a rulla quod est instrumentum ferreum stimulo rusticorum additum ad vomerum detergendum, ut Plinius libro XIIX. 19: « tergit vomerum subinde stimulus cuspidatus rulla. » Est autem diminutivum a runa, quod est teli genus, ut inquit Festus. Ennius: « runata recedit » idest runis proeliata.

Gurges vocatus est Q. Fabius, Quinti Maximi filius, a devorato patrimonio, ut ait Macrobius. Plutarchus a Λαίμαργος nominat.

Buteo alius Fabius est dictus, quia dum insideret in navi, buteo avis bono auspicio ei duci fuit. Plinius lib. X. 8.

Pictor dictus est Quintus Fabius, quod primus Romae ae-

dem Salutis pinxit, Plinius libro XXXV. 48, et Cicero in tusculanis.

Licinius forte a liciis, quae sunt fila quibus in telis textrices implicant stamina, Plinius libro VIII. 48.

Dorso a parte corporis posteriore, quae dorsum vel dorsus dicitur, quod ea pars corporis devexa sit deorsum.

Verrucosus, a verruca quae in labiis Fabii Maximi fuit, Plutarchus.

Ovicula appellatus est idem Quintus Fabius Maximus, quia moribus fuit humilibus, Plutarchus in Fabio, et Auctor libri de viris illustribus.

Cunctator eiusdem cognomen fuit, quod cunctando Hannibalem fregit, Plutarchus. Unde Ennius: unus homo nobis cunctando restituit rem.

Labeo cognomen a corporis partibus sumptum, ut Chilo, videlicet a labiorum magnitudine dictum: quicumque enim magna labia habent, Labeones et Labrones cognominantur. Aemilianus et Servilianus cognomina sunt ab Aemilio et Servilio nominibus orta, quod hi duo ex his familiis nati, in gente Fabia adoptati sunt.

Eburnus, Festus inquit, pullus Iovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat. Antiqui puerum, quem quis amabat pullum eius dicebant. Hinc etiam quidam Rullum Fabii Maximi cognomen profectum aestimant.

Allobrogicus, a quo Allobrogicinus dictus est Q. Fabius, qui Allobrogibus et Arvernis victis, id sibi cognomen adquisivit.

Africanus, ab Africa cognomen.

Persicus a Perside cognomen tractum.

Iustus a moribus cognomen.

Cilo, cuius caput oblongum, et compressum est, ut ait Carisius. Festus vero eum esse ait, cuius frons est eminentior, ita ut dextra sinistraque velut recisa videatur.

C A P. IIII.

De K. Fabio Vibulano principe gentis Fabiae.
Q. K. Fabiis Vibulanis filiis.

K. Fabius Vibulanus princeps gentis Fabiae tres sub regibus filios tulit, qui omnes consules bis vel ter fuerunt, quorum grandior natu fuit Q. Fabius Vibulanus, qui cum esset primo con-

sul cum Servio Cornelio Lucii filio Maluginensi, anno urbis conditae ·CCLXIX· devictis Volscis Aequisque, eorum praedam vendidit in publicumque redegit. Iterum consul anno urbis conditae ·CCLXXII· creatus, collegam habuit C. Iulium C. F. Iulum, quo anno consules cum Veientibus res gesserunt; occisus in proelio, biennio post, quod adversus Veientes populus romanus gerebat, M. Fabio eius fratre consule, anno urbis conditae ·CCLXXIIII· De hoc multa Dionysius libris octavo et nono, et Livius libro secundo.

K. Fabius K. filius ac superioris frater, cognomine Vibulanus, quaestor cum L. Valerio Voluso Poplicolae fratris filio diem Sp. Cassio Vicellino, qui ter consul fuerat, iterumque triumphaverat, perduellionis ad populum dixit. Qui populi iudicio damnatus occisus est bonaque eius publicata et domus eversa fuit. Consul primum cum L. Aemilio Mam. F. Mamercino fuit anno urbis ·CCLXXIII· adversus Veientes prospere pugnavit. Tertio consulatu quem cum T. Virginio T. F. Tricosto Rutilo gessit iterum contra Veientes pugnans victoriam adeptus est, anno urbis ·CCLXXV·, biennio post occisus est cum fratre Marco et omni paene familia sua a Veientibus ad fluvium Cremeram anno urbis conditae CCLXXVII.

M. Fabius K. filius Vibulanus, minor natu ex tribus fratribus, primum consul cum L. Valerio Volusi filio Potito fuit anno urbis ·CCLXXI·, in quo consulatu adversus Antiates exercitus ductus. Iterum consul biennio post cum CN. Manlio P. F. Volsone renunciatus, non incruentam victoriam de Veientibus etruscis adeptus est, amisso in eo proelio fratre maiore Q. Fabio, et collega CN. Manlio. De hoc consulatu Valerius Maximus lib. V. 5. « M. Fabius Vibulanus cos. magna pugna Etruscis superatis, » triumphum recusavit, quod eo proelio Q. frater eius consularis » cecidisset » Caesus est et ipse pugna Cremerensi (insidiis a Veientibus circumventus) quae hac ratione fuit. Quum vicini hostes Veientes incommodi magis quam graves essent, familia Fabiorum, auctoribus K. et M. Fabiis principibus eius gentis, id bellum gerendum depoposcit, misitque trecentos sex armatos, qui insidiis circumventi ad Cremeram flumen ad unum omnes ab hostibus caesi sunt, uno impubere (ut Livius refert) domi relicto, a quo gens ipsa restituta est. Fuit autem haec clades M. Horatio M. F. Pulvillo, et T. Menenio Agrippae F. Lanato consulibus, anno urbis conditae ·CCLXXVII· Huius rei meminit in fastis Ovidius lib. II.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.
Haec fuit illa dies, in qua veientibus armis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.
Una domus vires, et onus susceperat urbis,
Sumunt gentiles arma professa manus.

Et paulo post:

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeae superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse Deos.
Nam puer impubes, ad adhuc non utilis armis,
Unus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci;
Cui res cunctando restituenda foret.

Vide etiam de hoc M. Fabio et de hac clade narrationem apud Dionysium lib. IX, et T. Livium lib. II.

C A P. V.

De Q. Fabio M. F. Vibulano restitutore Fabiae gentis.

Quinctus Fabius M. F. Vibulanus, qui unus extinctae ad Cremeram gentis superfuerat, primum consul decimo anno post pugnam ad Cremeram cum T. Annilio L. F. Mamercino II. fuit anno urbis ·CCLXXXVII·, quo anno exercitum in Aequos adducto, eos pacem petere coëgit. Secundum consulatum anno interposito cum T. Quinctio Capitolino Barbato III. gessit, in quo Aequos rebellantes repressit, magnaque inde abducta praeda Romam reversus, censum cum collega T. Quinctio egit. Tuncque lustrum nono conditum est, quo censa sunt civium capita centum quatuor et viginti milia et ·CCXIIII·, praeter orbos, orbasque. Tertio consulatu, in quo collegam habuit L. Cornelium Ser F. Malugi-nensem Cossum, de Aequis victis, nonis maii anno urbis ·CCXCV·, triumphavit: censum iterum egit lustrumque cum collega decimo condidit, in quo censa sunt civium capita centum triginta duo millia et ·CCCXIX· Quartum consulatum iniit suffectus in locum L. Minucii M. F. Augurini, qui ob res male cum Aequis gestas coactus a dictatore primo Quinctio L. F. Cincinnato abdicaverat anno urbis ·CCXCVI·

Quum vero anno urbis conditae ·CCCCIII· petitis per legatos

et allatis atticis legibus, ad construendas eas proponendasque decem viros pro consulibus sine ullis magistratibus creari placuisset, ipse cum aliis novem decemvir, duodecim tabularum scribendarum causa, consulari potestate sine provocatione renunciatus est. In quo magistratu decem tabulis legum positis, quum decemviri modeste se in honore gessissent, et ob id in alterum quoque annum eumdem esse magistratum placuisset; quumque secundo anno quam plura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, et in tertium annum retinuerunt; donec iniusto eorum imperio finem attulit libido Ap. Claudii, qui quum in amorem virginis incidisset, submisso qui eam in servitutem peteret, necessitatem patri eius Virginio imposuit, rapto ex taberna proxima cultro ut filiam interimeret, quum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem stuprum illaturi veniret. Hoc tam magnae luxuriae exemplo plebs incitata montem Aventinum occupavit, coëgitque decemviros abdicare se magistratu, ex quibus Ap. Claudius et Sp. Oppius Cornicen, qui praecipue poenam meruerant, in carcerem coniecti, ceteri vero in quibus Q. Fabius fuit in exilium acti sunt. Hunc autem Q. Fabium M. F. et K. nepotem fuisse colligitur ex fastis marmoreis capitolinis, in quibus sic notatus est: Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus. Vide de eo Dionysium libris IX. X. et XI, et Livium lib. III, et supra ubi de Numerii praenomine loquutus sum. Uxorem hic Q. Fabius habuit Octaciliam Octacilii Maleventani filiam, ex qua tres liberos suscepit, videlicet N. M. et Q. Fabios Vibulanos, de quibus in sequenti capite verbam faciam.

C A P. VI.

De N. M. et Q. Fabiis Vibulanis Q. Fabii filiis.

Q. Fabius, de quo supra loquutus sum, qui unus post sex et trecentos Fabios ad Cremeram fluvium ab etruscis Veientibus interfectos superfuit, inductus magnitudine divitiarum uxorem duxit Numerii Octacilii Maleventani filiam, ea conditione, ut qui prior natus esset, praenomine avi materni Numerius appellaretur, quod et fecit; nam primogenito, de quo mox loqui incipiam, Numerii praenomen imposuit. Hic vir factus, primo consulatu, quem cum T. Quinctio T. F. Capitolino Barbato gessit de Aequis victis ovationem duxit, anno urbis ·CCCXXXIX· cum P. Cornelio P. F. Cosso, T. Quinctio Cincinnato, et C. Valerio

L. F. Potito Voluso. Iterum anno ·CCCXLVII· cum C. Valerio L. F. Polito Voluso II, C. Servilio P. F. Ahala II, et L. Furio L. F. Medullino: neque de eo quicquam amplius reperi. Vide de huius magistratibus et ovatione Livium libro IIII.

M. Fabius Q. F. M. N. K. pronepos, secundus natu ex tribus fratribus, primum consul cum Posthumo Ebucio L. F. Helva Cornicine, anno urbis CCCXII· nihil memoria dignum gessit. Tribunus vero militum creatus cum M. Foslio Flaccinatore, et L. Sergio Fidenate, non longe post peste periit, tribus filiis superstitibus relictis Q. N. et K. de quibus suo loco verba faciam. De eo multa Livius lib. IIII.

Q. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus, e tribus fratribus natu minor, consul cum C. Sempronio A. F. Atratino an. urbis ·CCCXXXI· Tribunus deinde militum consulari potestate creatus est sexennio post cum A. Sempronio L. F. Atratino III, M. Papirio L. F. Mugillano II. et Sp. Nautio Rutilo II. Anno deinde interiecto, qui erat urbis conditae ·CCCXL·, iterum tribunus militum consulari potestate cum CN. Cornelio M. F. Cosso, P. Posthumio A. F. Albino Regillensi, et L. Valerio L. F. Potito renunciatus. In eo magistratu interrex comitia consularia in sequentem annum habuit. Neque de eo quicquam praeterea memoria dignum inveni. Vide de hoc Q. multa apud Livium Lib. IIII. Eum vero Q. F. ac Numerii fratrem fuisse colligitur ex fastis capitolinis, in quibus sic relatus est: Q. Fabius M. N. Vibulanus.

C A P. VII.

De Q. N. et K. Fabiis Ambustis M. Fabii Vibulani filiis.

Q. Fabius M. F. Ambustus consul cum C. Furio C. F. Pacilo anno urbis conditae ·CCCLXII· fuit, quorum consulatu ingens pestilentia Romae coorta seditiones populares, quae tunc maxime vigebant, repressit. Huius frater iunior N. Fabius Ambustus fuit, qui tribunatum militum consulari potestate cum P. Cornelio M. F., Rutilio Cosso, L. Valerio L. F. Potito II, et CN. Cornelio L. F. Cosso gessit. Anno ·CCCXL· bello volsco vigente, CN. Cornelio Romae relicto, reliqui tres tribuni in Volscos exercitus romanos tripartitos duxere, Valerius Antium petiit, Cornelius Ecetras, Fabius vero, quod maxime petebatur ad Anxur oppugnandum sine ulla populatione accessit. Anxur autem fuit, quae nunc Terracinae sunt: ad quod oppidum quum accessisset, illud non

sine magno labore statim admotis muro scalis vi cepit, atque collegarum exercitibus evocatis, militibus romanis diripiendum concessit. Oppido vero, vetere fortuna opulento, a tribus exercitibus direpto, ea benignitate imperatorum factum est ut plebs patribus conciliaretur. Additum deinde omnium maxime tempestive principum in multitudinem muneris, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve aut alterius belli decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ad id usque tempus de suo quisque functus eo munere esset. Nihil acceptum unquam a plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam, prensatasque exeuntium manus, patres vere appellatos. Quo facto lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium novi tribuni militum consulari potestate Veios duxere. Fuit hic pontifex maximus qui a Livio mendose libro V. dicitur M. Fabius. Obiit, ut existimo, senonica clade, in urbis incendio extinctus cum aliis senatoribus. Vide de his duobus Fabiis multa apud Livium libro IIII. Hic autem N. Fabius quatuor filios habuit, videlicet Q. N. K. et M., de quibus suo loco pertractabo.

K. Fabius Ambustus ex tribus fratribus Marci filiis natu iunior, primum tribunus militum consulari potestate cum P. Cornelio M. F. Maluginensi, Sp. Nautio Sp. F. Rutilio IIII., et M. Sergio L. F. Fidenate anno urbis conditae ·CCCL· fuit, quo anno a tribunis militum cum Volscis inter Ferentinum atque Ecetras signis collatis, secunda fortuna dimicatum est, oppidumque insigne Artena de Volscis captum atque eversum est, Livius in fine libri IIII. Iterum vero tribunatum militum, biennio interiecto, cum L. Valerio L. F. Potito IIII, Iulio L. F. Iulo, M. Furio L. F. Camillo, M. Aemilio M. F. Mamercino III, et Cn. Cornelio A. F. Cosso II. gessit. In quorum tribunatu multa domi militiaeque gesta. Nam et bellum multiplex fuit eodem tempore ad Veios, et ad Capenam, et ad Falerios, et in Volscis, ut Anxur ab hostibus recuperaretur. Et Romae simul de delectu, simul de tributo conferendo, laboratum est, et de tribunis plebis cooptandis contentio fuit; et haud parvum motum duo iudicia eorum, qui paulo ante consulari potestate fuerant, excivere. Haec omnia latius descripta vide apud Livium in principió libri V. Tertium tribunus militum cum P. Corneliis Cosso et Scipione, M. Valerio M. F. Maximo II, Furio L. F. Medullino V, et Q. Servilio Q. F. Prisco Fidenate III, anno urbis ·CCCLXIX· renunciatus, quatuor tribunis, Corneliis videlicet in Faliscos, Va-

lerio autem ac Servilio in Capenates exercitibus ducentibus, Romae ad urbis custodiam cum collega L. Furio remansit; neque de eo quicquam amplius inveni. Porro autem hos tres fratres filiosque M. Fabii fuisse colligitur ex fastis marmoreis capitolinis, ubi omnes Marci filii et Q. nepotes appellantur. De huius vero K. filio Marco Fabio paulo post verba faciam.

C A P. VIII.

De Quinctio Numerio Kaesone, et Fabiis Ambustis Numerii filiis, et Marci nepotibus.

N. Fabius M. F., Q. N. nepos, M. pronepos, K. abnepos, quatuor genuit filios, ut ex T. Livio et fastis capitolinis constat. Horum prior fuit Q. Fabius qui cum duobus fratribus, videlicet Numerio et Kaesone ad Gallos Senones Clusium Tusciae civitatem obsidentes legatus a senatu missus ad componendam inter eos et Clusinos pacem, contra ius gentium contra Gallos in acie Clusinorum pugnarunt; in qua caeso insigni Gallorum duce, concitati Senones urbem infesto exercitu petierunt. Interim Q. Fabius ipse iure gentium violato, in urbem reversus, non solum punitus non est, verum eo anno quum gratia apud populum polleret, cum duobus fratribus Numerio et Kaesone, P. Sulpicio Longo, Q. Servilio Q. F. Prisco Fidenate IIII, et P. Cornelio M. F. Maluginense III. tribunus militum consulari potestate an. urbis ·CCCLXIIII· creatus est. Quod factum magis hostes concitavit, qui primo proelio fusis ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem, praeter Capitolium, in quod se iuvenes contulerant: maioribusque natu qui cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in vestibulis aedium sedebant, occisis, urbem incenderunt; et quum per aversam partem Capitolii iam in summum evasissent, proditi clangore anserum, M. Manlii praecipue opera deiecti sunt. Coactis deinde propter famem Romanis despondere, ut mille pondo auri darent, et hoc pretio finem obsidionis emerent M. Furius Camillus dictator absens creatus inter pendendum aurum cum exercitu venit, Gallisque post sextum mensem urbe expulsis, omnes caecidit uno proelio. Recepta urbe, quum Q. Fabio tantae caedis auctori ab C. Marcio tribuno plebis dies ad populum dicta esset, quod legatus in Gallos ad quos missus erat orator, contra ius gentium pugnasset, iudicio eum mors adeo opportuna, ut voluntariam magna pars crederet, subtraxit. De aliis duobus

nihil praeterea reperi. Vide Livium libro V. in calce, et in principio sexti.

M. autem Fabius Ambustus qui in fastis triumphalibus capitolinis N. F. et M. N. dicitur, maximae in rep. auctoritatis fuit, multis praeclaris domi forisque rebus gestis clarus, sed Rulliano filio clarior. Is in primo consulatu, quem cum C. Poetilio C. F. Libone anno urbis conditae ·CCCXCIIII· gessit, de devictis Hernicis ovans urbem nonis septembris ingressus est. Iterum consul quadriennio post cum M. Pompilio M. F. Laenate II. creatus, cum Faliscis Tarquiniensibus primo male pugnavit, inani quadam illorum sacerdotum religione perterritus, qui fascibus ardentibus anguibus praelatis incessu furiali militem romanum insueta turbaverunt specie. Inde cognito errore, vanaque miracula irridentes, adversus eos ita prospere pugnarunt, ut primo impetu hostibus fusis, eorum castris potiti, praedaque ingenti parta victores Romam reversi sint, militaribus iocis cum apparatum hostium, tum suum increpantes pavorem. Ex consulatu deinde interrex octavus M. Fabius creatus, comitia consularia habuit, quibus patricios consules contra tribunorum intercessionem renunciavit, C. Sulpicium M. F. Peticum III. et M. Valerium L. F. Poplicolam. Tertio vero consulatu, quem cum T. Quinctio Penno Capitolino Crispino gessit, de Tiburtibus, quos ingentibus proeliis superaverat atque in deditionem receperat, anno urbis conditae ·CCCCIII· nonis iunii triumphavit. Biennio post comitiorum habendorum causa dictator factus, Q. Servilium Q. F. Ahalam magistrum equitum dixit, cum quo comitia consularia habuit, quibus M. Popillium M. F. Laenatem III. et L. Cornelium P. F. Scipionem consules renunciavit. Anno deinde urbis ·CDVIIII· M. Fabio Dorsone Ser. Sulpitio Ser. F. Camerino Coss., censor cum M. Popillio M. F. Laenate creatus lustrum condidit XXII. Tot tantisque magistratibus tamquam omnium cumulus supremus in rep. honor accessit, ut proximo lustro princeps senatus appellaretur, in quo honore semper dum vixit lectus fuit. Ante obitum suum tres filios reliquit, Q. Fabium Ambustum Rullianum qui postea Maximus appellatus est, M. et C. Fabios Ambustos, de quibus suis locis verba faciam. Vide de hoc M. Fabio multa apud Livium libris VI. VII. et VIII.

CAP. IX.

De M. Fabio K. F., M. N. Q. pronepote, M. abnepote Ambusto et eius sobole.

M. Fabius K. F. Ambustus tribunus militum consulari potestate cum M. Furio L. F. Camillo VI., A. Postumio Albino Regellense, L. Furio L. F. Medullino, et L. Lucretio P. F. Tricipitino IIII, creatus fuit, quo anno exercitus romanus duce Camillo prospere adversus Volscos pugnavit, remque L. Furii temeritate prolapsam restituit. Iterum tribunus militum fuit anno ·CCCXXCIIII· Collegae ei a populo dati Q. Servilius Q. F. Priscus Fidenas III, M. Cornelius P. F. Maluginensis, C. Veterius M. F. Crassus Cicurinus II, Q. Quinctius T. F Capitolinus, et A. Cornelius A. F. Cossus. In quo magistratu vehementissimus suasor fuit trium illarum legum, quas adversus opes patriciorum et pro commodis plebis eo auctore C. Licinius Stolo, et L. Sextius Lateranus tulerant; unam videlicet de aere alieno, ut deducto eo de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod superest triennio aequis portionibus solveretur: alteram de modo agrorum, ne quis plus quam quingenta iugera agri possideret: tertiam ne tribunorum militum comitia fierent, sed consulum, utque alter ex plebe crearetur. Quas leges quum ut acciperentur obtinuissent, L. Sextius ipse de plebe primo consul creatus est. Non longe autem post, anno videlicet urbis ·CCCXCI·, L. Aemilio L. F. Mamercino II, et CN. Genucio M. F. Aventinense consulibus, idem M. Fabius cum L. Furio Sp. F. Medullino censor creatus, lustrum XX. condidit. Quinque hic M. Fabius liberos tulit, tres mares C. Fabium Ambustum, et M. Fabium Dorsonem, et Q. Fabium Ambustum, duasque feminas, quarum Fabia maior Ser. Sulpicio Praetextato, qui quater tribunus militum consulari potestate fuerat, minor vero C. Licinio Stoloni legum auctori nupsere.

C. Fabius M. F. K. N. Ambustus consul cum C. Plautio P. F. Proculo anno urbis ·CCCXCVI· factus, haud prospere cum Tarquiniensibus, quum ei haec provincia obvenisset, pugnavit, nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod ·CCCVII· milites romanos Tarquinienses immolaverunt.

M. vero Fabius M. F. Dorso cum Ser. Sulpicio Ser. F. Camerino anno urbis ·CDVIIII· cos. renunciatus, Soram ex Volscis hostibus populi romani cepit, qui anno urbis ·CDXXCI· cos. fuit

cum C. Claudio C. F. Canina II, ut habetur in fastis consularibus capitolinis.

Q. autem Fabius Ambustus primo magister equitum fuit dictatoris P. Valerii P. F. Poplicolae constitueudarum feriarum latinarum causa anno urbis ·CDXX· creati. Deinde anno urbis ·CDXXXIII· dictator cum P. Aelio P. F. Paeto magistro equitum comitiorum habendorum causa vitio factus, aliis dictatore et magistro equitum suffectis abdicavit. Neque de his Fabiis quicquam praeterea inveni; de quibus vide multa apud T. Livium libris VI, et VII.

CAP. X.

De M. Fabio Ambusto fratre Q. Maximi et M. Ambusti, eiusque liberis et nepotibus.

Rei ipsius ordo postulare videbatur, ut superioribus Fabiis expeditis, nunc Q. Fabium Rullianum, qui Maximus appellatus est, tamquam ex tribus fratribus M. Ambusti filiis maiorem, prosequeremur: verum ne crebra interpellatione eius posteritatem confunderemus, quae novissima ceterorum Fabiorum superfuit, nobis operae pretium visum est, primo eius fratrum nepotumque seriem, quae brevis admodum est, explicare; deinde plenis, ut dicunt, velis ad eius sobolem postea recensendam accedere, eamque sine ullo persequi impedimento.

Secundus igitur natu fuit M. Ambusti M. Fabius, et ipse cognomine Ambustus, qui magister equitum fuit A. Cornelii P. F. Cossi Arvinae dictatoris ludorum romanorum et rei gerundae causa, anno urbis ·DXXXII· creati, in quo magistratu a dictatore et magistro equitum prospere adversus Samnites pugnatum est, dictatorque ex S. C. triumphavit, ut refert Livius in fine libri VIII.

Hic filium habuit M. Fabium Ambustum, cui (ut Plinius libro X. 7. refert) buteo avis, quae navi insidens, bono auspicio ei duci fuit, Buteonis cognomen dedit. Duos autem liberos genuit, qui maximae in republica auctoritatis fuerunt, Numerium videlicet et M. Fabios Buteones; ex quibus Numerius, qui maior natu erat, consulatum adeptus est bello punico primo cum L. Caecilio L. F. Metello II. anno urbis ·DVII· Censuram deinde summa cum iustitia et integritate cum C. Aurelio L. F. Cotta gessit anno urbis ·DXIII· A. Manilio T. F. Torquato Attico II. et Q. Lutatio C. F. Cercone coss. qua lustrum trigesimum nonum conditum est, in quo censa sunt civium capita ·CCLXM·

Magister equitum fuit L. Caecilii L. F. Metelli collegae olim sui in consulatu, comitiorum habendorum causa dictatoris renunciati, anno urbis ·DXXXI· Quibus comitiis C. Flaminius C. F., P., Furius Philus consules facti sunt. Demum aetate gravis, quum iam vetustissimus esset ex censoriis viris qui viverent, bello punico secundo anno urbis ·DXXXVIII· C. Terentio Varrone, et L. Aemilio M. F. Paulo II. coss. post acceptam ingentem apud Cannas cladem, dictator ex S. C. a C. Terentio cos. sine magistro equitum, senatus legendi causa, in sex menses creatus est. Qui cum ingenti omnium approbatione ·CLXXVII· in senatum legisset, extemplo se magistratu abdicavit. Princeps iam senatus lectus fuerat a censoribns L. Aemilio Q. F. et C. Flaminio C. F. De hoc Fabio vide multa apud Livium libro XXIII, de quo nihil praeterea inveni. Huius minor natu frater M. Fabius Buteo consul fuit cum C. Atilio A. F. Bulbo anno urbis ·DIX·, bello punico primo.

Duos autem filios habuit, M. videlicet, et Q. Fabios Buteones, qui ambo praetores fuerunt: quorum maior Marcus, aedilis curulis cum M. Valerio Faltone fuit, anno urbis ·DLI· Interiecto deinde anno praetor creatus, Sardiniam cum decem navibus longis et legione una bello punico secundo obtinuit. T. Livius libro XXX.

Huius frater Q. Fabius Buteo anno urbis ·DLVIII· praetor factus in Hispaniam ulteriorem cum legione una, ac duobus millibus peditum, et centum quinquaginta equitibus nominis latinis missus est. Livius libro XXXIII.

Huius filii fuerunt Q. et CN. Fabii Buteones, ambo et ipsi praetorii, quorum prior Quinctus anno urbis ·DLXXIII· praetor Galliam obtinuit, eique a senatu mandatum, ut sociis latini nominis XV. millia peditum et ·DCCC· equites imperaret, cum quibus copiis in Galliam profectus, quum ibidem res prospere gessisset, prorogatum eidem in alium annum imperium est. Livius lib. XL.

C. N. vero Buteo, anno urbis ·DXXCI· praetor creatus, Hispaniam citeriorem sortitus est, de quo vide Livium libro XLII.

CAP. XI.

De C. Fabio M. F. Ambusto tertio fratre Q. Maximi eiusque filiis et nepotibus.

C. Fabius M. F. Ambustus, Q. Maximi Rulliani frater, ab eo dictatore magister equitum dictus est in locum Q. Aulii Q. F.

Cerretani, qui in proelio contra Samnites occisus fuerat, ut refert Livius lib. IX. Hic ut ex fastis constat capitolinis tres filios habuit P. et N. Fabios Pictores, et M. Fabium Licinum. Ex his Q. Fabius Pictoris cognomen invenit, quod primus Romae aedem Salutis pinxit, cuius rei Plinius lib. XXXV. 4. et Cicero in tusculana prima meminerunt. Primus item omnium Romanorum historiam romanam ab urbe condita ad tempora sua graece conscripsit, quam saepe Dionysius halicarnassensis in libris suis antiquitatum citat, eumque valde ob eius maximam commendat diligentiam. Consul fuit cum L. Quinctio Gulone (1) anno urbis ·CDXXCV· Filium autem habuit Q. Pictorem, de quo paulo post verba faciam. Huius secundus frater, praenomine Numerius, bis in consulatu, quem cum D. Iunio D. F. Pera an. urbis ·CDXXCVIII· gessit, triumphavit primo de Sassinatibus III. nonas octobris, iterum de Sallentinis et Messapiis nonis februarii, ut in fastis capitolinis legitur.

Horum tertius frater fuit M. Fabius C. F. Licinus, qui bello punico primo consul cum M. Octacilio C. F. Crasso II. fuit anno urbis ·DVIII·

De Q. Fabio C. N. Pictore Livius libro XXII. et XXIII. mentionem facit, quem legatum missum fuisse refert ex S. C. Delphos ad oraculum post acceptam cladem canneusem sciscitandum quibus precibus supplicationibusque Deos possent placare, et quaenam futura finis tantis cladibus foret. Qui Romam reversus, responsum ex scripto recitavit, quo populus romanus iussus est ludos apollinares facere.

C A P. XII.

De Q. Fabio Maximo Rulliano, et eius genere universo.

Q. Fabius M. F. N. N. Rullianus, primus in gente Fabia Maximi cognomen hac ratione adeptus est. Quum Flavius scriba libertino patre natus aedilis curulis per forensem factionem creatus fuisset, quae comitia et campum turbabat, et in his propter nimias vires dominabatur, a Q. Fabio Rulliano censore in quatuor tribus videlicet palatinam, suburranam, exquilinam, et collinam redacta est. Quae res Q. Fabio cognomen Maximi dedit. Hic anno urbis ·CDXXIX· adhuc adulescens magister equitum a L. Papirio Sp. F. Cursore, dictatore rei gerundae causa creato,

(1) De hoc agnomine *Gulone* vel potius *Ogulnio* Panvinius in fastis ad hunc annum, et in epistola a nobis retro edita p. 643.

dictus, quum dictator reversus in urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, occasione rei bene gerundae invitatus prospere adversus Samnites pugnasset, ob eam causam, quum dictator iratus de magistro equitum tamquam disciplinae militaris violatore supplicium sumpturus videretur, Fabius Romam profugit, et quum causa parum proficeret, populi precibus donatus est. Biennio vero interiecto consul primum cum L. F. Curvo creatus, adversus Samnites et Apulos prospere pugnavit, ob quam rem de utrisque populis XII. kal. martii triumphavit. Dictator deinde anno urbis ·CDXXXIX· rei gerundae causa dictus, magistrum equitum fecit Q. Aulium Q. F. Cerretanum, in cuius proelio occisi locum suffecit fratrem suum C. Fabium Ambustum. Res in dictatura adversus Samnites prospere gessit. Iterum consul anno ·CDXLIIII· cum Marcio C. F. Rutilo Censorino renunciatus est: in quo magistratu quum ingenti proelio facto egregiam de Etruscis victoriam reportasset, multis eorum millibus caesis et captis, Sutrio recepto et Cimini montis iugis ad eam diem imperviis traiectis, sequenti anno proconsul de Etruscis idibus novembris iterum splendidissimum egit triumphum. Tertium vero consulatum anno interiecto cum P. Decio P. F. Mure II. gessit, isque magistratus ei ob egregie domitam Etruriam a populo romano datus est, in quo cum Samnitibus pugnans eorum urbem Allifas coepit, Marsosque et Pelignos, qui Samnitibus auxilio venerant, vicit: Umbros quoque rebellantes in deditionem accepit. Iterum dictator rei gerundae causa renunciatus, M. Aemilium L. F. Paulum magistrum equitum dixit: fuitque anno integro dictator sine consulibus. Is fuit annus urbis ·CDLIIII· Triennio post quartum consul cum P. Decio renunciatus, ingentem de Sammitibus et Apulis victoriam est consequutus, tribus millibus et tercentis hostium caesis, et XXIII. insigniis militaribus captis.

Censuram quoque cum P. Decio P. F. Mure gessit anno urbis ·CDL·, lustrumque condidit XXVIII. In eo magistratu quum forensis factio campum atque comitia turbaret, ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, urbanasque eas appellavit. Adeo eam rem acceptam animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione adeptus sit. Ab eodem institutum est ut equites trabeati idibus quinctilibus transveherentur.

Anno urbis conditae ·CDLVII·, quintum consulatum cum P. Decio P. F. Mure IIII. iniit. In quo eum a consulibus ipsis ad-

versus Etruscos, Umbros, Samnites, et Gallos pugnaretur, romannsque exercitns in maximo esset discrimine, P. Decius sequutus exemplum patris devovit se pro exercitu, et morte sua victoriam eius pugnae populo romano dedit, de quibus consul Fabins tertium pridie nonas septembris triumphavit. Tot tantisqne victoriis partis, insignibus magistratibus functus, demum ne quid eius felicitati deesset, princeps senatus lectus, in eo honore obiit senex, et rerum gestarum gloria apud posteros clarissimus, relicto superstite filio Q. Fabio Maximo Gnrgite, de quo nunc verba faciam. Vide Livium libris VIII. IX. et X, Valerium Maximum, et Plinium.

CAP. XIII.

De Q. Gurgite Q. Maximi filio.

Q. Fabius Maximi F. Gurges, qui cum in primo consulatu, quem D. Iunio D. F. Bruto Scaeva, anno urbis ·CDLXII· gessit, male adversus Samnites pugnasset, et senatns de removendo ab eo exercitu ageret, Q. Maximus pater deprecatus hanc filii ignominiam, eo maxime senatum movit, quod iturum se filio legatum pollicitus est; idque praestitit; atque eius consiliis et opera filius consul adiutus caesis Samnitibus, anno sequenti mense septembri procos. triumphavit, et C. Pontium imperatorem Samnitum ductum in triumphum securi percussit. In censura, quam gessit anno urbis ·CDLXXV·, collegam habuit CN. Domitium CN. F. Calvinum, qui primus e plebe lustrum condidit, quod a primo lustro XXXII. fuit, in quo censa sunt capita CCLXXVIII. millia et CCXXII.

Iterum consul biennio post cum C. Genucio Clepsina fuit, quo anno quirinalibus iterum de Samnitibus, Lucanis, Bruttiisque, quos ingentibus proeliis superaverat, triumphavit, auno urbis ·CDLXXVIII· Demum et ipse princeps in senatum lectus fuit. Plinius lib. VIII. 41: una familia Fabiorum refertur, in qua tres continui principes senatus, M. F. Ambustus, Q. Fabius Rullianus filius, et Q. Fabius Gurges nepos.

CAP. XIIII.

De Q. Fabio Maximo Cunctatore.

Q. Fabius Gurgitis filius, Maximus, Verrucosus, Ovicula, Cunctator, nam omnibus his cognominibus appellatus est, tribunus

militum in Sicilia bello punico primo prima stipendia fecit. Pace facta, in urbem reversus auguratum adhuc iuvenis adeptus est. Primo consulatu, quem cum M. Pomponio M. F. Mathone anno urbis ·DXX· gessit, de Liguribus victis kal. februarii triumphavit. Censor deinde biennio post cum M. Sempronio C. F. Tuditano creatus, lustrum XLI. condidit. Anno interiecto post censuram iterum consul cum Sp. Carvilio Sp. F. Maximo II. renunciatus est. Non longe autem post, quum anno urbis ·DXXXIII· dictator cum C. Flaminio C. F. vitio factus esset, statim nulla re gesta abdicavit. Initio belli punici secundi legatus Carthaginem, ad res repetendas missus, quum ibidem omnia hostilia esse cerneret, Poenis bellum ex populi iussu denunciavit.

Eo autem bello inchoato, post cladem ad Trasimenum Flaminii ducis temeritate ab Hannibale acceptam, primus populi suffragio dictator iterum creatus, M. Minucium Rufum magistrum equitum dixit, qui adversus Hannibalem missus, quum nollet acie cum eo confligere, ne contra ferocem tot victoriis hostem territum adversis proeliis militem pugnae committeret, et opponendo se tantummodo conatus Hannibalis impediret, M. Minucius magister equitum, homo ferox et temerarius, criminando dictatorem tamquam timidum et segnem, ut populi iussu ei imperium cum dictatoris imperio (quod nunquam antea contigerat) aequaretur impetravit; divisoque exercitu, quum iniquo loco conflixisset, et in maximo discrimine legiones eius essent, superveniente cum exercitu Q. Maximo eo discrimine liberatus est; quo beneficio victus, castra cum eo iunxit, et patrem eum salutavit, idemque milites facere iussit Hinc praeclarum illud Ennii dictum de hoc Q. Fabio Maximo manavit:

Unus homo uobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Accepta deinde cannensi clade, in locum L. Paulli cos. in proelio occisi, qui pontifex fuerat, creatus aedem Veneris Ericinae duumvir dedicavit. Mox tertium consul cum Tib. Sempronio Tib. F. Graccho factus, prospere in Campania cum Poenis pugnavit. Quamobrem quartus ei consulatus continuatus est, in quo M. Claudium M. F. Marcellum III. collegam habuit. In eo magistratu primo censoribus creandis comitia habuit: mox ad exercitum profectus, rem bene cum Poenis gessit, urbesque in Samnio, quae defecerant, receptae, videlicet Compulteria, Telesia, Compsa, Melae, Fulfulae, Orbitanium, Blandae, et Apulorum Aecae. Hostium in his urbibus XXV. millia aut capta aut occisa;

perfugae ·CCCLXX· recepti, quos quum Romam misisset Q. Fabius consul, virgis in comitio caesos, omnes de saxo deiecit. Eo autem quarto consulatu abeunte, consul eius filius Q. Maximus factus est. Quinto autem consulatu, quem cum Q. Fulvio M. F. Flacco IIII. anno urbis ·DXLV· gessit, a censoribus M. Cornelio M. F. Cethego, et P. Sempronio C. F. Tuditano princeps senatus lectus est. De Poenis victis, et Tarento, quod ad Hannibalem defecerat, recepto, iterum triumphavit.

A censoribus deinde M. Livio M. F. Salinatore, et C. Claudio T. F. Nerone, iterum princeps in senatum lectus, haud multum supervixit; nam anno sequente, qui fuit urbis conditae ·DLII· Ti Claudio P. F. Nerone, et M. Servilio C. F. Pulice Gemino, exactae iam aetatis mortuus est: siquidem augur duobus, et quadraginta annis fuit. Vir certe fuit dignus tanto cognomine, vel si novum ab eo inciperet: superavit paternos honores, avitos aequavit. Pluribus victoriis et maioribus proeliis avus eius Rullianus insignis fuit, sed omnia aequare unus hostis Hannibal potest. Cautior tamen, quam prudentior, hic habitus fuit, et sic ut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia bello ita proprie quod gerebatur aptum. Sic nihil certius est, quam unum hominem Romanis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait. Augur in eius locum inauguratus Q. Fabius Maximus filius: in eiusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba. Vide de eo apud Livium a libro XX. usque ad XXX. Eius vitam egregie describit Plutarchus.

Extat Florentiae antiquum huius viri elogium, vetusto in marmore, quod est apud Petrum Victorium eruditissimum virum, quod quoniam ad rem facit, hic subiicere opportunum visum est.

Q . F . MAXIMVS .
DICTATOR . BIS . COS . V . CENSOR .
INTERREX . II . AED . CVR . Q . II . TR .
MIL . II . PONTIFEX . AVGVR . PRIMO .
CONSVLATV . LIGVRES . SVBIECIT . EX .
IIS . TRIVMPHAVIT . TERTIO . ET . QVARTO .
HANNIBALEM . COMPLVRIBVS . VICTORIIS .
FEROCEM . SVBSEQVENDO . COERCVIT . DICTATOR .
MAGISTRO . EQVITVM . MINVCIO . QVOIVS .
POPVLVS . IMPERIVM . CVM . DICTATORIS .
IMPERIO . AEQVAVERAT . ET . EXERCITVI .
PROFLIGATO . SVBVENIT . ET . EO . NOMI-
NE . AB . EXERCITV . MINVCIANO . PA-

TER . APPELLATVS . EST . CONSVL . QVINTVM . TARENTVM . CEPIT . TRIVMPHAVIT . DVX . AETATIS . SVAE . CAVTISSIMVS . ET . REI . MILITARIS . PERITISSIMVS . HABITVS . EST . PRINCEPS . IN . SENATVM . DVOBVS . LVSTRIS . LECTVS . EST .

CAP. XV.

De Fabio Q. F. Maximo.

Q. Maximi filius Q. Fabius ex aedili curuli praetor Q. Fabio Maximo IIII. et M. Claudio M. F. Marcello III. coss. creatus. Successor Ti. Graccho Luceriam adversus Poenos cum exercitu missus est. Anno sequente, qui fuit urbis conditae ·DXLI·, ex praetura consul cum Tib. Sempronio Tib. F. Graccho II. renunciatus Luceriam provinciam, quam praetor obtinuerat, consul factus retinuit, duabus additis legionibus. In quo magistratu Arpis (eiecto punico praesidio) receptis, maximum illud maiestatis consularis retinendae specimen ostendit, quod a Valerio Maximo lib. II. cap. 1. refertur. Nam quum maxima diligentia maiores hunc morem retinerent, ne quis se inter consulem et proximum lictorem, quamvis officii caussa una progrederetur, interponeret, filioque dumtaxat, et ei puero, ante patrem consulem ambulandi ius esset, hic mos adeo pertinaciter retentus est, ut Q. Maximus iam quartum consul censorius et triumphalis, vir etiam pridem summae auctoritatis, et tunc maximae senectutis, a filio consule invitatus ut inter se et lictorem procederet, ne hostium Samnitum turba, ad quorum colloquium descendebant, elideretur, id facere noluerit. Idem quoque a senatu legatus missus ad filium consulem Suessam, postquam animadvertit, eum ad officium suum extra moenia oppidi processisse, indignatus quoque quod ex lictoribus nemo se equo descendere iussisset, plenus irae perseveravit. Quod quum filius sensisset, proximo lictori, ut sibi appareret imperavit, cuius voci Fabius continuo obsequutus, non ego, inquit, fili summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires consulem agere; nec ignoro, quid patriae venerationi debeatur, verum publica instituta privata pietate potiora iudico. Demum mortuo patre, in eius locum augur factus est.

CAP. XVI.

De duobus Quinctis Fabiis Labeone et Pictore Q. filiis.

Q. Fabius Pictor, quem legatum missum fuisse Delphos post cannensem cladem T. Livius scribit, et de quo supra cap. XI. verba fecimus, duos filios habuit, Q. Fabium Labeonem consularem et triumphalem, et Q. Fabium Pictorem praetorium, qui per haec tempora in urbe vixerunt. Ex his Q. Labeo praetor cum Q. Pictore fratre anno urbis ·DLXV· creatus, classem obtinuit, cum qua Cretam profectus, ibidem non nihil prospere gessit. Ob eam rem in urbem reversus, navalem ex Creta insula triumphum egit.

Anno deinde urbis ·DLXXI· cum M. Claudio M. F. Marcello consul creatus, cum Liguribus prospere pugnavit. Idem III. vir colonias Pollentiam in Piceno, Pisaurum in gallico agro, et Saturniam in agro Caletrano deduxit.

Eius frater Q. Pictor, quum esset flamen quirinalis, praetorque Sardiniam provinciam obtinuisset, prohibitus est a P. Licinio pontifice maximo ex urbe a sacris recedere. Quumque post multas contentiones religione vincente, dicto audiens esse pontifici iussus fuisset, ira provinciae ereptae magistratu abdicare se conantem, patres auctoritate sua deterruerunt, et ut ius inter peregrinos diceret decreverunt. Vide Livium libro XXXVII.

CAP. XVII.

De Q. Maximo Q. F. Cunctatoris nepote, et eius filiis.

Huius filius Q. Maximus fuit, qui praetor anno urbis ·DLXXII· renunciatus, ius inter cives et peregrinos in urbe dixit. Hic cum prolem masculam nullam haberet, duos nobilissimarum familiarum iuvenes adoptavit. Hi fuerunt Q. Aemilius Paullus Paulli eius qui rege Perseo devicto, de Macedonibus triumphavit, filius, et Papiriae L. Masonis viri triumphalis filiae, minorisque Africani frater, qui deinceps more veterum Q. Fabius Maximus Aemilianus appellatus est. Alter vero fuit Q. Servilius Q. F. Caepio, qui deinceps Q. Fabius Maximus Servilianus est dictus. Is autem Q. Maximus Aemilianus consul anno urbis ·DCIX· cum L. Hostilio L. F. Mancino factus, in Hispaniam contra Viriatum missus est. Hic

primum in Hispania ex pastore venator, et ex venatore latro, mox insti quoque exercitus dux factus est, universam Lusitaniam occupavit, M. Vetilium praetorem fuso eius exercitu cepit: post quem C. Plautius praetor, nihilo felicius rem gessit, tantumque terrorem hic hostis intulit, ut adversus eum consulari opus esset et duce et exercitu. Fabius igitur contra Viriatum missus, partem maximam Lusitaniae, expugnatis multis urbibus, recepit: mox rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriato aequis conditionibus facta. Qui Viriatus non longe post dolo occisus est. In urbem reversus non longe post obiit, relicto filio Q. Maximo, qui Allobrogibus devictis, Allobrogicus dictus est. De hoc Q. Fabio Aemiliano Cicero in Laelio, et secundo libro officiorum, Valer. Max. lib. II, Livius libris LIII. et LIV, Plinius lib. XXXV. 4. mentionem faciunt.

Eius vero frater Q. Maximus Servilianus, qui pontifex fuit, consulatum cum L. Caecilio Q. F. Metello Calvo Caecilii Macedonici fratre, anno urbis ·DCXII· gessit; in quo (ut Eutropius refert) ingenti pestilentia Romae laboratum est. Censor deinde creatus Q. Fulvium M. F. Nobiliorem collegam habuit, cum quo censu acto, lustrum LVIII. condidit, anno urbis ·DCXVII·, in quo censa sunt civium capita ·CCCXXIII millia. De hoc Valerius Maximus lib. VI: Q. Fabius Maximus Servilianus, inquit, honoribus, quos splendidissime gesserat, censurae gravitate consummatis, exegit poenas a filio dubiae castitatis. Huius Fabii meminerunt T. Livius, libro LVI, Iulius Obsequens in libro de prodigiis, Eutropius, Macrobius, et Paulus Orosius.

C A P. XVIII.

De. Q. M. Maximo Allobrogico, eiusque filio Q. Eburno, et nepotibus.

Serviliani filius, et Paulli Macedonici nepos (Livio et Valerio auctoribus) fuit Q. Fabius Maximus, qui in consulatu quem cum L. Opimio L. F. anno urbis conditae ·DCXXXIII· gessit, Allobrogibus devictis, Allobrogicus appellatus est. Is enim Bituito regi Allobrogum et Arvernorum bellum maximo instructu comparanti adeo cum parvo exercitu occurrit, ut Bituitus paucitatem Romanorum vix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse iactaret. Conserta vero pugna, et diu graviter apud fluvium Isaram agitata ad VI. idus augustas, victi Galli

fugam, dum sibi quisque timet, coacervatis inconsulto agminibus, praepropero transitu pontis vincula ruperunt, ac mox cum ipsis lintribus mersi sunt. Ex centum autem quinquaginta octo millibus hostium armatorum, quae in Bituiti exercitu fuisse traduntur, ·CXXX· vel caesa vel mersa sunt. Ipse consul, qui ad eam usque diem quartana laboraverat, ea febre in acie liberatus est. Quumque ipse rex Bituitus ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albae custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur ut in Galliam remitteretur. Allobroges, et Arverni in deditionem accepti, de quibus anno sequente proconsul Q. Fabius ingenti gloria triumphavit, qui primus omnium ex ea victoria mille pondo auri in triumpho tulit, ut refert Plinius libro XXXIII. 11. De eo Valerius Maximus lib. VI. 9: « nihil Q. Fabio Maximo, qui gallica victoria cognomen Allobrogici sibimet ac posteris peperit, adulescente magis infame, nihil eodem sene ornatius aut speciosius illo saeculo nostra civitas habuit. » Censuram cum L. Calpurnio L. F. Pisone Frugi, historiae romanae scriptore, anno urbis ·DCXLVI· gessit, in qua lustro LXIII. condito censa sunt civium capita . . . (1) ipse a collega princeps senatus appellatus est. De hoc Cicero, Valerius Maximus, Strabo, et Plinius mentionem faciunt.

Huius filius fuit Q. Fabius Maximus Eburnus, qui pullus Iovis dicebatur, propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat: antiqui enim puerum quem quis amabat, pullum dicebant, ut ait Sex. Pompeius. Huic adolescenti pater bona interdixit, ut ait Valerius. Consul fuit cum Licinio Geta anno urbis ·DCXXXVIII· Filium etiam habuit Q. Maximum, patrem Q. Maximi caesarianarum partium ducis, de quo nunc sum verba facturus. Neque de his Fabiis quicquam aliud memoria dignum inveni.

C A P. XIX.

De Q. Fabio Maximo caesarianarum partium duce, eiusque filiis et nepotibus.

Q. Fabius Q. F. Eburni nepos Maximus, bello civili Caesaris partes sequutus est, eius comes bello hispaniensi, quod cum Pompeii magni filio gessit. In quo cum egregie se gessisset, triumphus ei a Caesare concessus est. Triumphavit ex Hispania III.

(1) Capitum censorum numerum silet idem Panvinius etiam in fastis, nec non Pighius ad an. ·DCXLV·

idus octobris anno urbis ·DCCIX· Consulatum cum C. Trebonio, C. F. Aspro, Caesari IIII. consuli suffectus, in reliquam anni partem gessit, in quo etiam pridie kal. ianuarii quum magistratu esset abiturus mortuus est, ut Tranquillus in Caesare tradit, duobus filiis infantibus relictis, videlicet Paullo Fabio Maximo Aemiliano, et Q. Fabio Maximo Africano; ex quibus Paullus consul cum Q. Aelio Q. F. Tuberone fuit anno urbis ·DCCXXIII· in principatu divi Augusti. Q. vero Maximus Africanus anno sequente cum Iulio Antonio M. Antonii triumviri filio consulatum gessit. Hic principio gratissimus Augusto principi fuit; mox quum (ut Tacitus lib. I. refert) arcanum Augusti de reducendo Posthumo Agrippa exule, nepote suo ex filia Iulia, uxori Marciae revelasset, illaque omnia Liviae aperuisset, et id Caesar intellexisset, iussu Augusti extinctus est, fratre, filioque fratris Paullo Fabio Maximo, cui Persici cognomen fuit, superstitibus. Horum trium Maximorum meminit Dio libris XLIII. XLVIII. et LIIII.

Paullus autem Maximus Persicus, consul, fuit sub Tiberio Caesare anno urbis ·DCCXXCVII·, collegam que habuit L. Vitellium P. F., imperatoris Vitellii parentem. Huius Persici meminit lib. V. Cornelius Tacitus.

Fuit itaque Fabiorum nobilissima familia, pontificatibus maximo et minore, sacerdotiis, auguratu, et flaminatu, dictaturis VII, magisteriis equitum V, consulatibus duobus de quinquaginta X.viro legibus scribendis, praeturis VII, censuris totidem, tribunatibus militum consulari potestate XI, sex principibus senatus, triumphis XIIII., et ovationibus duabus, potita. His honoribus functi sunt viri quinque et quadraginta, intra quingentorum et quinquaginta annorum intervallum (tot enim ab exactis regibus ad Tib. Caesarem numerantur) duodeviginti generationibus. Atque hactenus de antiqua familia Fabia.

DE MAXIMORUM FAMILIA

LIBER II.



CAP. I.

De quibusdam Fabiis, qui imperatorum tempore vixerunt.

Quum superiore libro omnes illustres viros veteris et nobilissimae Fabiae familiae, a qua nunc quae Maximorum dicitur, originem habere constat, singillatim euumeraverimus, eorumque gesta quam brevissime descripserimus, nunc superesse videtur, ut plerosque alios illustres et consulares viros, qui sub imperatoribus, Fabiorum nomine appellati vixerunt, subiiciamus, ad quos etsi nihil vetus Fabiorum familia spectasse crediderim, tamen eiusdem gentiles fuerunt, et heic relati, libellum hunc uberiorem reddent atque refertiorem.

Fuit itaque sub imperatore Vitellio Caius Fabius Valens, dux partium vitellianarum, consul suffectus in mensem septembrem et octobrem, anno urbis ·DCCCXXII· salutis vero ·LXX· cum A. Licinio Caecina; de quo plura Cornelius Tacitus libris XVII. XVIII. et XIX. scribit.

Fabii quoque Veiento et Posthumus consulares viri sub imperatore Nerva Traiano augusto fuerunt circa annum urbis conditae ·DCCCL·, Christi vero ·XCIIX· de quibus C. Caecilius Plinius Secundus in epistolis suis multam mentionem facit.

Vixit etiam sub eodem principe L. Fabius Iustus orator insignis, qui consulatum suffectus in sex posteriores anni menses cum C. Iulio Urso Servilio Serviano II. gessit anno urbis conditae ·DCCCLXIV·, Christi vero ·CXII·

Q. Fabius Catullinus consul ordinarius cum M. Flavio Apro, Traiano Hadriano augusto principe fuit an. urbis ·DCCCLXXXIII·, Christi autem ·CXXXI· ut in fastis consularibus, quos ego accuratissime libris quinque digessi, Venetiisque biennio aute (1) imprimi curavi, libro secundo relatum est.

Fuit et sub imperatore Caesare L. Septimio Severo augusto L. Fabius M. F. Septiminus, iterum consul, et praefectus ur-

(1) Editio illa veneta fastorum curata est anno 1558: ergo hanc familiae Fabiorum historiam scribebat Panvinius anno 1560.

bi, Severi imperatoris amicissimus, qui primum consulatum cum Flavio Claudio Sulpiciano, imperatoris Pertinacis augusti socero, ex kal. martiis sub eiusdem Pertinacis principatu, anno urbis ·CMXLVI·, Christi ·CXCIII· gessit. In secundo autem sub imperatoribus Caesaribus Severo et Antonino augustis collegam habuit M. Annium M. F. Libonem, quo anno imperator Severus ludos saeculares octavo celebravit. Is fuit urbis conditae ·CMLVII· Christi ·CCV.

Primo autem anno imp. Philippi augusti Ti. Fabius Titianus consul cum eodem Augusto primum fuit anno urbis ·CMXCVIII·, Christi ·CCXLVI· Huius filius sub Imperatoribus Diocletiano, et Maximiano cum Flavio Popillio Nepotiano anno urbis ·MLIV· Christi ·CCCI·; nepos sub Constantino augusto cum Feliciano anno urbis ·MXXCIX·, Christi ·CCCXXXVI·; pronepos sub Constantino imperatore cum Neratio Cereale anno urbis ·MCX·, Christi ·CCCLVIII· atque urbi praefectus; abnepos cum L. Aurelio Aviano Symmacho anno urbis ·MCXLIII·, Christi ·CCCXCI·, itemque praefectus urbi sub imperatoribus Caesaribus Flavio Valentiniano iuniore, et Theodosio augustis, consules fuere.

Vixit quoque sub imperatoribus Constantio, et Constante augustis, magni Constantini filiis, Aco Fabius Catulliuus Philonianus orator, et philosophus insignis, qui consul ordinarius cum Ulpio Limenio anno urbis ·MCII· Christi ·CCCXLIX· et praefectus urbis Romae fuit. Haec omnia, et sequentium partem ex fastis consularibus quinque libris a me digestis et publicatis, commentariisque illustratis concinnavi.

CAP. II.

De Maximis qui sub imperatoribus fuere.

Multi quoque sub imperatoribus fuerunt Maximi, quos ex antiqua Fabia gente genitos crediderim. Hi relicto, ut nonnunquam usuvenit, gentilicio nomine, loco eius cognomen usurparunt. Sub imperatore enim Traiano augusto, anno urbis ·DCCCLVI·, Christi ·CIIII· Maximus II. consul eodem Traiano V. in fastis consularibus relatus est; cuius etiam mentionem faciunt, quos paulo infra citabo fastorum consularium scriptores, Cassiodorus, Orosius, et reliqui, ex quibus ego quinque meorum fastorum libros cum commentariis confeci, a quibus etiam haec omnia peti possunt.

Sub imperatore etiam Antonino Pio augusto Maximus cum Lolliano Avito anno urbis ·DCCCXCVII· Christi ·CXLIV·, alterque Maximus cum Gordiano anno urbis ·CMIIII· consulatum gessisse apud Cassiodorum, Paulum Orosium, et in fastis consularibus tam graecis quam latinis legimus, apud quos auctores etiam sequentium consulum usque ad Diocletianum mentio extat.

Tempore quoque imperatoris Marci Aurelii Antonini, Claudius Maximus cum Cornelio Scipione Orphito, cuius mentio est in vetusto sepulchro Tibure in aede sanctae Mariae novae.

CVRANTIBUS . CAIO . AELIANO . TIBVRTINO .
ET . M . HELVIO . EXPECTATO . DEDICATA .
III . IDVS . MAII . MAXIMO . ET . ORPHITO . COSS .

Itemque tempore Severi et Antonini augustorum Maximus cum Apro anno urbis ·CMLX· Christi ·CCVII· consulatum ordinarium gessit ut aiunt auctores supra citati.

Sub Alexandro etiam augusto Maximus cum Balbino II. anno urbis ·CMXXC·, Christi ·CCXXXXVII· Alter Maximus cum Aeliano quadriennio ante. Alius cum Lupo anno urbis ·CMXXCV· Christi ·CCXXXII· Alius vero cum Ovinio Paterno, anno qui sequutus est; et alius cum Urbano anno post, consules ordinarii fuerunt, ut iidem auctores, quos paulo ante citavi referunt.

Sub Gallo et Volusiano imperatoribus, Valerius Maximus cum Volusiano augusto II. consulatum ordinarium gessit anno urbis ·MVI·, Christi ·CCLIIII· Idem II. consul ordinarius cum Acilio Glabrione sub imperatoribus Valeriano et Gallieno fuit anno urbis ·MIX·, Christi ·CCLVI·, quod ex iisdem scriptoribus intelligitur.

Gallieno autem et Valeriano minore augustis Dexter Maximus cum Ceionio Albino II. consulatum semestrem habuit anno Urbis conditae ·MXVI· Christi ·CCLXIII·, ut ex iisdem auctoribus liquet.

Unus demum Maximus, Valentiniani maioris in Britannia dux, vir senatorii ordinis, omnes hos superare potest. Is ab exercitu, cui praeerat, imperator appellatus, occiso Gratiano; et Valentiniano augusto iuniore per foederis simulationem ex imperio occidentis eiecto, maximum cum Theodosio bellum civile gessit, de quo in sequenti capite latius pertractabimus.

CAP. III.

De imperatore Caesare Fl. Maximo P. F. Augusto.

Gratiano augusto, divi Valentiniani maioris filio, romanum imperium in occidentis partibus obtinente, Maximus, vir quidem strenuus, et probus, atque augustali honore dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Britannia ab exercitu invitus propemodum imperator creatus, in Gallias transiit, et laboranti contra Germanos Gratiano gravissimum intulit bellum. In Italia vero puero admodum existente Valentiniano iuniore, Valentiniani maioris ex Iustina filio, Gratianique fratre, rerum curam Sextus Anicius Probus vir consularis et Italiae praefectus praetorio habebat. Iustina vero Valentiniani mater, quum esset arriana, vivo quidem marito laedere non valuit orthodoxos; eo vero mortuo, et filio valde iuvene, Mediolanum veniens, sancto Ambrosio episcopo erat infesta, ita ut eum mitti iuberet in exilium, qnod tamen populo repugnante nnlla ratione facere valuit. Interim Gratiannus dum exercitus negligeret, et paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac romano militi anteferret; adeoque barbarorum comitatu et prope amicitia captus esset, ut nonnunquam eorumdem habitu iter faceret, odia coutra se militum concitavit. Maximus ergo ab infensis Gratiauo legionibus exceptus, eumdem subita incursione perterritum, atque in Italiam pertransire meditantem, dolis circumventum interemit. Qua ratione autem caesus fuerit, sic refertur. Andragatius quidam maximianarum partium dux in lectica portatus, ut occideret Gratiauum huiusmodi opinionem misit in vulgus, quod uxor festinaret occurrere ei in civitate Galliae Lugduni fluvium transeunti. Gratianus autem credens coniugem Creusam revera venire, quam nuper acceperat, non praecavens insidias, et veluti caecus in foveam hostis incurrit. Quum ergo venisset Gratianus veluti ad nxoris vehiculum, ex improviso exiliens Andragatius, Gratianum imperatorem callide interemit ·XVI· kal. augusti Saturnino secundo et Merobaude consulibus, anno vitae nono et vigesimo, imperii vero sextodecimo, sex diebus minus, Urbis conditae ·MCXXXVI·, salutis vero christianae ·CCCLXXXIII·, quo die a militibus, et omni exercitu Maximus augustus salutatus est Quo facto, ad praesens contra Ambrosium ira Iustinae quievit. Porro Valeutinianns iunior, licet invitus, temporis necessi-

tate flexus, in Maximi cousensit imperium. Tunc Probus metuens Maximi potestatem, ab Italia in Illyricum venit, et Thessalonicae in Macedonia morabatur.

Qualis autem hic Maximus vir fuerit, et quam catholicus, testantur duae eius epistolae, quae penes me sunt, quarum alteram in principio imperii ad pontificem romanum Siricium scripsit, in qua fidem catholicam profitetur, alteram vero ad imperatorem Valentinianum iuniorem augustum misit, admonens eum ne catholicos persequeretur, neve arrianarum partium et impietatum studiosus esset. Hae autem epistolae scriptae sunt in antiquo romanae ecclesiae registro, in quo multa eiusdem ecclesiae acta continentur a schismate romanae ecclesiae, quod fuit inter Liberium papam et Felicem eius archidiaconum sub imperatore Constantio, ad tempora Silverii et Vigilii romanorum pontificum. Porro autem id registrum habui a beatissimae recordationis Marcello papa secundo (1).

Quum autem Valentinianus nollet ab ecclesiarum persecutione desistere, Maximus sumens exercitus suos, venit Mediolanum, ubi tum ille degebat. Porro Valentinianus intellecta eius invasione, fugit in Illyricum, experimento cognoscens, quae mala matris consilio sustineret. Porro Theodosius senior Hispanus, qui a Gratiano aliquot annis antea imperator appellatus fuerat, orientis imperio eidem concesso, audiens quae a Iustina fuerant gesta, et a Maximo scripta, fugienti Valentiniano rescripsit, non esse mirandum, si imperatori quidem terror, Maximo vero potestas accresceret, quum Imperator pietati rebellis extitisset, Maximus autem ei auxilia commodaret, et propterea quidem ille fugeret nudus, iste vero armaretur adversus nudum. Necessariis igitur iustisque caussis, licet in maxima sollicitudine constitutus, ad bellum civile Theodosius est permotus, quum e duobus Augustis fratribus, unius interfecti ultionem, alterius restitutionem procuraret: metuebat quoque, ne etiam ipse imperator Valentinianus a Maximo opprimeretur. Adversus igitur Maximum copias destinans, Constantinopoli imperatorem filium reliquit Arcadium: sola autem fide munitus, qua Maximo maior erat, ad bellum processit: nam longe minor erat universi apparatus bellici comparatione. Aquileiae tunc Maximus victoriae suae spectator insedebat; Andragatius comes eius summam belli administrabat. Quum

(1) Utraque Maximi epistola, a Panvinio heic in ms. recitata, ad Siricium PP. et ad Valentinianum imp., legitur apud Baronium ad an. CCCLXXXVII. Quare ego ambas omisi.

autem Theodosius Thessalonicam venisset, invenit Valentiniani proceres in maxima tristitia constitutos, quod Maximum velut imperatorem necessitatis causa suscepissent. Theodosius autem aperte quidem nec refutabat nec admittebat legationem Maximi: pati tamen nolebat sub Maximo positum esse imperium populi romani. Sumens ergo omnem exercitum Aquileiam tendebat, ubi Maximus erat. Andragatius autem copiarum Maximi dux, quum largissimis militum copiis, astuto consilio, omnes alpium, ac fluminum aditus communisset, dum navali expeditione incautum hostem praevenire parat, et obruere, sponte eadem claustra, quae obstruxerat deseruit. Ita ergo Theodosius nemine prohibente, vacuas alpes, atque Aquileiam de improviso adveniens, magnum hostem ac trucem Maximum, et ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo nomine exigentem, sine controversia clausit. Tunc Maximi milites praesentiam apparatus bellici imperatoris Theodosii, et signorum eius adventum cognoscentes, ne famae quidem ipsius impetum sustinere valuerunt, sed apprehendentes Maximum, vinctum ei protinus obtulerunt. Qui statim VI. kal. augusti obtruncatus est, Theodosio iterum et Cynegio V. C. consulibus, imperii sui anno quinto et mense secundo, urbis vero conditae ·MCXLII· qui fuit annus Christi ·CCCLXXXVII· Valentinianus amissum imperium recepit. Andragatius comes, qui peremerat Gratianum, cognita Maximi nece, praecipitem e navi in vicinum fluvium se ipsum proiiciens, suffocatus est. Theodosius autem incruenta victoria, Deo procurante, potitus Victorem quoque Maximi filium, quem imperator pater in Galliis infantulum reliquerat, extinxit.

Valentinianus vero et Theodosius, peracta victoria, Romam venerunt. Erat etiam cum eis Honorius adhuc puer, quem pater post victoriam contra Maximum patratam, ab urbe Constantinopoli evocaverat. Quumque Romae moraretur, festos dies ob victoriam celebrans, tunc suam bonitatem circa Q. Aurelium Symmachum virum consularem Theodosius ostendit. Is enim inter senatores praecipuus habebatur, eratque romanae eloquentiae eruditione mirandus, cuius multi quoque reperiuntur libri. Scripserat autem panegyricum in Maximi laudem, eumque in senatu recitaverat, unde postea maiestatis reus esse videbatur. Quamobrem mortem metuens confugit ad ecclesiam: verum imperator quum esset perfecte christianus, et non solum suae fidei sacerdotes honoraret, sed etiam Novatianos, qui proxime ipsius fidei decreta servarent, Leontio tum episcopo romano ecclesiae Novatianorum

roganti gratificans, Symmachum absolvit, a crimine, quumque veniam meruisset, apologeticum librum ad Theodosium imperatorem conscripsit. Haec omnia ex Paullo Orosio, Prospero aquitanico, Socrate scholastico, Theodoreto episcopo Cyri, Hermia Sozomeno salaminio historiae ecclesiasticae scriptoribus excerpta collegi. Cuius etiam Maximi nobilem mentionem facit Sulpicius Severus in libro vitae beati Martini episcopi turonensis. « Cum » ad imperatorem Maximum ferocis ingenii virum, et bellorum ci- » vilium victoria elatum, plures ex diversis partibus episcopi con- » venissent, et foeda circa principem omnium adulatio notaretur, » seque degeneri inconstantia regiae clientelae sacerdotalis dig- » nitas subdidisset, in solo Martino apostolica auctoritas perma- » nebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, impera- » vit potius quam rogavit; et a convivio eius frequenter rogatus » abstinuit dicens, se mensae eius participem esse non posse qui » imperatores unum regno, alterum vita expulisset. Postremo cum » Maximus se haud sponte imperium sumpsisse affirmaret sed » impositam sibi a militibus divino nutu regni necessitatem ar- » mis defendisse, et non alienam ab eo Dei voluntatem videri, » penes quem tam incredibili eventu victoria fuisset, nullumque » ex adversariis nisi acie occubuisse; tandem victus vel ratione » vel precibus ad convivium venit, mirum in modum gaudente » rege quod id impetrasset. Convivae autem aderant veluti ad diem » festum evocati summi atque illustres viri, praefectus idemque » consul Evodius vir, quo nihil unquam iustius fuit, Comites duo » summa potestate praediti, frater regis et patruus; medius in- » ter hos Martini presbyter accubuerat; ipse autem sellula iux- » ta regem posita consederat. Ad medium fere convivium (ut mo- » ris est) pateram regi minister obtulit. Ille sancto admodum » episcopo potius dari iubet, expectans atque ambiens ut ab il- » lius dextera poculum sumeret. Sed Martinus ut ebibit, pateram » presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem » qui posset prior bibere; nec integrum sibi fore, si aut regem » ipsum, aut eos qui a rege erant proximi, presbytero praetu- » lisset. Quod factum imperator omnesque qui tunc aderant ita » admirati sunt, ut hoc ipsum eis in quo contempti fuerant, » placeret: celeberrimumque per omne palatium fuit, fecisse Mar- » tinum in regis prandio, quod in infimorum iudicum convi- » viis episcoporum nemo fecisset. Eidemque Maximo praedixit, » futurum ut si ad Italiam pergeret, quo ire cupiebat, bellum » Valentiniano imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu

» futurum esse victorem, sed parvo post tempore esse periturum.
» Quod quidem ita vidimus. Nam primo adventu eius Valentinianus in fugam conversus est; deinde post annum fere resumptis viribus, captum intra Aquileiae muros Maximum interfecit. »

Et libro II. dialogorum ubi de virtutibus beati Martini agit sic scribit.

« Et quia palatium semel ingressi sumus, licet diversis in » palatio temporibus gesta connectam. Nequaquam enim praetermittendum videtur, circa Martini admirationem reginae fidelis exemplum. Maximus imperator rempublicam gubernabat, » vir omni vita, merito praedicandus, si ei diadema non legitime » tumultuante milite impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset; sed magnum imperium, nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum saepius evocatum, receptumque intra palatium venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo sermo de praesentibus, de futuris, de fidelium » gloria, de aeternitate sanctorum; cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, evangelico illi non inferior » exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat, Martinus, » quem nulla unquam femina contigisset, istius assiduitatem, » immo potius servitutem non poterat evadere. Non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, divelli Martini pedibus solo strata non poterat. Postremo a viro suo poposcit, deinde Martinum uterque compellunt, » ut ei remotis omnibus ministris, praeberet sola convivium. Nec » potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castus reginae manibus apparatus, sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa confecerat, apponit; ipsa, illo sedente, eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis per omnia ministrantis modestiam, et humilitatem exhibens servientis: miscuit ipsa bibituro, et ipsa porrexit. Finita caenula, fragmenta » panis absumpti micasque collegit satis fideliter, illas reliquias » imperialibus epulis anteponens. Beata mulier! tantae pietatis » affectu illi merito comparanda, quae venit a finibus terrae audire Salomonem, siquidem simplicem sequamur historiam. Sed » fides reginarum est conferenda (quod mihi licet, separata mysterii maiestate, dixisse): illa expetiit sapientem, ista non tantum audisse contenta, sed et meruit servire sapienti ». Eadem propemodum leguntur in legenda sanctorum, vita eiusdem san-

cti Martini cap. CXII. Item in vita sancti Ambrosii cap. CV. in legenda sanctorum Gervasii et Protasii. Item apud Volaterranum libro XXIII. cap. LXXXI, et apud Bedam in Gratiano et Theodosio imperatoribus. Huius postremo Maximi frequens mentio est apud Anastasium bibliothecarium, et Platinam in vita Innocentii PP. I.

C A P. IIII.

De Maximo Maximi imperatoris filio viro consulari, et eius nepote Maximo, qui post Placidium Valentinianum imperium arripuit.

Maximi imperatoris filius iunior fuit Maximus secundus, qui quum ei imperator Theodosius veniam concessisset paternae noxae, diu in urbe senator vixit. Consul hic cum ·F L· Plintha sub imperatoribus Honorio, et Theodosio iuniore fuit, anno urbis ·MCLXXII· Christi vero ·CDXIX· Filium hic habuit Maximum tertium, iterum consulem, qui imperium occiso Placidio Valentiniano III. assumpsit. In primo consulatu imperatorem Caesarem Theodosium, iuniorem augustum XIIII, in secundo vero Fl. Paterium conlegas habuit. Secundi consulatus mentio est in vetusta hac inscriptione, quae in pavimento erat tituli sancti Martini et Silvestri in montibus, in minore navi versus basilicam sanctae Mariae maioris, prope quartam columnam, incipiendo a porta, quae tribunae maiori et arae maximae iuncta est.

. . . ANNIS . IN PACE . VD . AC . NSRE .
. . . NN . PLM . XLV . DP . XIII . KAL . NOB .
. . . PATRRI . ET . MAXSIMI
. . . ANNIANUS . IN . PACE . QUI . BISSIT . ANN.
. . . VIII . PD . IDUS . FEB .
. . . CONS . D . N. LEONIS .

Horum consulatuum Prosper aquitanicus, Cassiodorus, et Marcellinus comes in chronicis meminere.

Maximus porro tertius occiso Valentiniano III. hac ratione (ut auctor est Procopius rhetor caesariensis, libro historiarum suarum tertio, qui de bello vandalico inscribitur) imperium occidentale assumpsit. « Quomodo, inquit, Valentinianus III. interierit, breviter repetam. Maximus erat quidam e senatoribus unus, ac e stirpe illius Maximi tyranni quem Theodosius senior sustulerat, pro qua victoria Romani quotannis festum agunt. Huic uxor formosissima simul et prudentissima fuerat, cuius Valentinianus

amore iucensus, cum ea potiri cuperet, resque admodum ardua foret, rem iniquam excogitavit. Maximum iussit ad se in palatium venire, quocum talis colludens, auro certo proposito, quum annulum eius victor nactus esset, hunc clam ad uxorem mittit, viri nomine, ut quamprimum signo perspecto, in palatium salutatum Eudoxiam imperatricem veniat. Illa subito paret, quam quidam, quibus res nota ac mandata erat, protinus in aulam excipientes in gynaeceum duxerunt, ubi Valentinianus occurrens vim ei attulit. Illa post haec moesta domum regressa calamitatem fatumque suum flere, virumque magnopere detestari coepit, ut qui occasionem huic rei dedisset. Maximns vero dolore ingenti perculsus, de insidiis contra imperatorem secum meditatur: quumque videret Aëthium tunc maximum ducem qui paulo ante clarissimam victoriam de Attilae Massagetarum Scytharumque exercitu armato contra romanum imperium obtinuerat, ei succurrit ita agere, ut laudem omnem ac merita gestorum amitteret, suspectumque illum redderet imperatori. Tempus quoque commodum tunc visum, quum longe abesset, quod spes in eo potissima Romanorum esset: cum eunuchis agit, quorum custodiae uti fidissimorum corporis sui curam imperator tradiderat, ut ei persuaderent Aëthium rebus novis studere. Imperator facile credens suspectamque illius habens virtutem, ut interficeretur mandat. Fertur et proximum quemdam ex Romanis interrogasse, an utilis foret Aëthii mors? ille autem respondisse, hoc ipse videret, bene an male; se tantum scire, quod sibi dexteram altera mann incideret.

Interea Romae Maximus, imperatore nullo negotio interfecto, tyrannidem capit, Eudoxia potitur, eamque sibi coniugio iungit; quumque forte antea prima uxor decessisset, eius tandem amore, dum una cubaret, se fassus est virum interfecisse: quod illa exacerbata prius animo, ac de ultione viri cogitans, multo magis ob eius verba et animum impudicum detectum, ad vindicandum facinus est incensa. Ubi igitur illuxit, Carthaginem mittit rogatum Genzerichum, ut viri necem ab impio tyranno interfecti ulcisci velit, ipsam vero indigna ab eodem pati: imperium occupatum: omnia proditione fieri: addit quoque ex officio illum facturum, si afflictis auxilium ferat: quum in amicitia societateque Valentiniani esset: et Constantinopoli nullam esse spem, Theodosio iam extincto, et Marciano imperante. Genzerichus igitur avaritia in primis permotus, speque opum maxime consequendarum, ingenti classe in Italiam adnavigans, Romam nullo ad-

versante facile ingreditur. Maximum e vestigio Romani fugientem insectati, lapidibus obruunt, membratimque discerpunt. Genzerichus vero Eudoxiam simul cum Eudocia et Placidia eius ex Valentiniano filiabus capit, gazamque omnem imperatoriam in navibus positam in Africam tulit, ac siqna fuerant Romae decora, inter quae Iovis capitolini tegularum ex aere exauratarum partem dimidiam arripuit: unam vero ex his navibus, ubi statuae fuerunt, tempestate periisse dicunt, ceteras incolumes in Africam delatas. E mulieribus Eudociam Hunnericho filio, Placidiam vero Olybrio nobili senatori romano locavit, quam Placidiam simul cum Eudoxia matre, rogante Leone imperatore Constantinopolim misit, qui post Marcianum Asparis opera imperio successerat.

In vetustissimis quibusdam annalibus, cuius anctor ignoratur, haec verba scripta reperi. « Valentiniano augusto VIII. et Anthemio consulibus (is fuit annus urbis conditae ·MCCVIII· Christi vero ·CDLV·) post interitum Valentiniani imperatoris levatus est Maximus imperator XVI. kal. aprilis, et occisus est pridie idus iunias eius anni, et intravit Genzericus Romam, et praedavit eam dies XIIII. Et levatus est imperator in Galliis Avitus VI. idus iulias. »

Paullus vero diaconus longobardus in historiis suis « Valentinianus, inquit, imperator ab amicis Aëthii magistri militum, quos sibi satellites delegerat, interficitur; et Maximus quidam, cuius dolo id perpetratum fuerat, imperator creatur, qui quum viduam eius Eudoxiam augustam invitam suis nuptiis adegisset, illa Genzericum Vandalorum regem (ut dicitur) ex Africa ut mariti vindex adveniret, invitavit: cuius adventu Maximus vix altero imperii sui mense, comperto quod passim nobilitas, eius licentia, et popularium coetus ex urbe profugeret, ipse qnoque trepido animo se parabat ad fugam: sed a ministris regiis illico dilaniatus, et membratim discerptus, in Tiberim prolectus est. Genzerichus continuo vacuam praesidio civitatem capit, et occursu Leonis papae mitigatus, ab incendio, caedibusque, atque suppliciis urbem immunem servavit, omnibus tamen opibus sublatis, multa inde captivorum millia cum augusta Eudoxia, et eius filiabus Carthaginem revexit. Romae interim post Maximi necem, Avitus suscepit imperium. Huius Maximi Platina, et a quo ille accepit Anastasius bibliothecarius in vita S. Leonis papae primi, itemque Raphaël Volaterranus lib. XXIII. mentionem faciunt.

CAP. V.

De duobus Maximis filio et nepote superioris.

Filium habuit is Maximus, qui in direptione vandalica caesus est, cui nomen fuit Maximus, qui consul sine conlega sub Iustino seniore augusto fuit anno urbis conditae ·MCCLXXVI. Christi vero ·DXXIII· de quo Cassiodorus in chronico consulari, Bibliothecarius et Platina in vitis Hormisdae et Iohannis romanorum pontificum. Huius filius nomine etiam Maximus, vir senatorii ordinis fuit, de quo Procopius caesariensis libro primo de bello gothico mentionem facit his verbis: « Belissarius oborta suspicione, Silverium urbis Romae pontificem defecturum ad Gothos, eum quidem confestim transmisit in Graeciam, alterum vero quempiam illi suffecit Vigilium nomine. Nec secus et quosdam senatorios viros cum eadem de causa exterminasset, soluta deinde obsidione, et recedentibus barbaris, ad propria revocavit: inter quos et Maximus erat, cuius avus Maximus necem Valentiniano augusto attulerat. » Et alibi eiusdem Maximi (ut opinor) mentionem faciens sic scribit: « Dominicus, et Maximus legati ab imperatore Iustiniano ferebant responsa ad ea quae Vitiges et Gothi de concordia postulaverant. Summa decreti haec erat: Vitiges omnia trans Padum retineat, citra Padum vero cuncta dimittat, mediam vero pecuniarum regalium partem imperatori tradat, reliquam partem retineat. »

Post hos Maximos nullam praeterea per multa saecula mentionem extare cognovi, quae de Maximis esset. Quapropter cum huius vetustae inscriptionis testimonio, quae in pavimento ecclesiae sancti Pancratii in parte laeva adhuc extat, extra muros urbis, via aurelia, priori huius secundi libri parti finem imponam. Hoc porro epitaphium, ut ex consulatu liquet, factum fuit anno Christi ·DXXII· per ea tempora quibus superiores Maximi in urbe vixerunt

HIC . REQVIESCIT . IN . PACE . MAXIMVS .
BARBVLVS . QVI . VIXIT . ANNOS . VI . MENS .
VII . DIES . DECEM . DEPOSITVS . EST . SVB . D . III .
ID . AVGVSTARVM . SYMMACHO . ET . BOETIO .
VV . CC . CONSS . IN . FINE . IND . XV .

CAP. VI.

De Leone Maximo Stephani filio, et Pontio Leonis filio.

Illustrem gentem, et multis maiorum elogiis super omnes clarissimam obscurarunt quae sequuta sunt tempora. Nam huius familiae ante annum humanae salutis millesimum nulla amplius post haec tempora mentio habetur, quod mirum esse non debet; tot enim incendiis, tot terrae italicae, et praecipuae urbis Romae barbarorum populationibus, et reliquis huiusmodi calamitatibus, factum est ut non solum fere omnia vetusta monumenta interierint, sed et ipsae nobilissimae familiae omnino defecerint. Huic misero certe et funesto casui accessit magna (plus quam dici potest) hominum, qui superioribus saeculis vixerunt, inscitia et negligentia, qui fere omnes tam suorum quam alienorum antiquorum memorias vel omnino a temporis edacitate consumi permiserunt, vel novas ipsi facere non curarunt: qua ratione factum fuit, ut haec tempora densissimis Aegypti tenebris a quibusdam scriptoribus propter rerum obscuritatem comparentur.

Post Maximum igitur senatorem, cuius Procopius in bello gothico meminit, per quadringentos continuos annos nulla amplius alicuius e Maximis mentio est, usque ad annum humanae salutis millesimum, quo tempore in urbe vixit Leo Maximus, vir per ea tempora clarissimus, Stephani Maximi filius: qui moriens, in media ecclesia sanctorum Bonifacii et Alexii, quae est in monte Aventino, sepultus fuit, cuius tumulo superpositus est lapis magnus, longus pedes decem, latus quinque, cum elogio quod hominis et familiae nobilitatem et antiquitatem prae se fert. Est autem hoc.

MAXIMVS . HINC . SVRGET . GEMINA . CVM . PROLE . SVORVM .
QVOS . SERGESTVS ACER . PATRVM . LONGO . ORDINE . SECVM
ILLVSTRES . ANIMAS . PERQVE . DVCVM . GENERA .
MITE . GENVS . HOMINVM . SAPIENS . INSIGNE . DECORVM .
STEPHANE . POST . PATRIS . INTERITVM . LEO . CONCIDIT . IMVS .
POSTQVE . TVVM . LAPSVM . ATQVE . SORORIS . ITER .
EXTRANEO . NVLLI . LICEAT . SVPERADDIER . ISTIS .
AVT . SIGNIS . VIOLANS . SINT . ANATHEMA . DEO .
CHRISTE . DECVS . MVNDI . SEMPER . MISERERE . SEPVLTIS .
ET . LOCA . FER . PACIS . QVI . BONA . CVNCTA . FACIS .

OBIIT . DOMINVS . LEO . DE . MAXIMIS . M . APRIL . D . XXIII .
INDICT . XI . ANNO . DOM . INC . MXII . † . EGO . DOM .
MARIA . PRO . MAGNO . AMORE . FIERI . IVSSI .

Hanc autem inscriptionem ita descripsimus sicuti in saxo incisa est, ubi aliquot sunt fabrili erroris mendae. Primos autem versus, quoniam valde obscuri videntur, sic interpretandos esse censerem: « ex hoc loco Maximus cum duobus filiis et filia surget dandus, idest praesentandus, Deo cum honore pio: quorum stemmatis, scilicet Maximi et filiorum, Sergestus, (hoc nomen est viri proprium) acer, idest, maximus sui nobilissimus patrum, longo ordine, illustrium animarum et ducum auctor fuit. Nam domus haec Maximorum ab hoc Sergesto manavit, quae usque ad ipsius Maximi tempora, illustrissimis hominibus, et maximis ducibus per singula saecula referta fuit. Quis autem hic Sergestus fuerit incertnm, nisi Aeneae comitem intelligas, de quo Virgilius libro aeneidis primo mentionem facit, cum ait: Mnesthea, Sergestumque vocat. Item libro quinto Sergestus, domus a quo Sergia nomen. Sed quid huic cum Maximis negotii unquam fuerit, ingenue me nescire fateor. Multi (ut dixi) sunt in hoc epitaphio lapsus errore fabrili, vel etiam ab auctore ipso commissi; nam eo tempore linguae latinae usus adeo interciderat, ut nedum proprie, sed ne recte quidem loquerentur.

C A P. VII.

De alio Maximo.

Poutii fortasse filius fuit Maximus de Maximis circa annum Christi ML, cuius in antiquo libro diplomatum monasterii sanctorum Andreae et Gregorii in clivo Scauri, mentio est; qui testis rogatus, subscripsit, cuius diplomatis hoc initium est.

« In nomine domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi, anno Deo propitio pont. domini nostri Leonis summi pontificis et universalis noni papae, in sacratissima sede beati Petri apostoli, tertio; imperante domino Henrico piissimo perpetuo augusto, anno eius octavo, indictione septima, mense augusto, die decima. Quisque actionibus venerabilium locorum praeesse dinoscitur etc. Ego Maximus de Maximis nobilis vir rogatus testis. »

Hic autem Maximi fortasse superioris filius vel nepos fuit, appellaturque nobilis vir, quod maximum per ea tempora nobilitatis insigne erat.

CAP. VIII.

De alio Maximo.

Extat et aliud diploma in eodem libro, centesimo fere anno post scriptum, videlicet anno Christi ·MCXLVI·, in quo alterius Maximi filii Maximi de Maximis mentio habetur, qui testis rogâtus eidem subscripsit, cuius diplomatis initium hoc est.

« In nomine Domini, anno primo pontif. domini Eugenii papae tertii, Indictione octava, mensis martii die decimo octavo. Ego quidem dominus Petrus Dei gratia humilis abbas venerabilis monasterii sanctorum Andreae apostoli et Gregorii apostolici quod vocatur clivus Scauri, per consensum et voluntatem monachorum praedicti monasterii etc. »

Huic item diplomati inter ceteros subscribit: Maximus filius domini Maximi de Maximis testis.

CAP. IX.

De avita Maximorrm domo,

Multa sunt argumenta, quibus huius familiae vetustatem confirmare possumus, inter quae illud praecipuum est, quod in vetustissimo rituali libro, quem caerimoniale vocant, ante quadringentos annos, idest sub Alexandro papa III, qui creatus fuit anno salutis ·MCLIX·, vel etiam antea confecto, huius familiae mentio est, et in eo domus Maximorum in Parione refertur, ubi nostro quoque tempore magnificentissimas aedes habent. Liber porro ille ex bibliotheca palatina prodiit diligentissime a me exscriptus, ubi in titulo de presbyterio quod datur pro arcubus, quomodo, et quibus detur, ita scriptum est. « Deinde usque ad domum, quae est marmorata, dantur novem solidi provisinorum (quod monetae genus est.) Per totam regionem Parionis VI. librae provisinorum. Deinde usque ad domum Maximorum .XII. solidi provissinorum. Deinde usque ad turrim Oddonis Romani filii decem solidi provisinorum etc. »

CAP. X.

De nostrorum temporum familia Maxima.

Ab hoc Maximo, qui vixit anno Christi ·MCL·, usque ad annum Christi ·MCCC·, nullam praeterea alicuius e Maximis men-

tionem (quamvis curiose investigaverim) unquam invenire potui. Nam in ecclesiam sancti Angeli in Piscina prope minorem portam, laeva aedem introeuntibus, extat antiqua tabula lapidea cum hac inscriptione circum ipsam incisa. « Hic requiescit domina Egidia filia olim domini Maximi, uxor domini Bobonis, quae obiit anno ·MCCC· Cuius anima requiescat in pace ». In cuius medio extat figura mulieris vita functae cum stemmate trium lunarum segmentis insignito. Item in basilica sanctae Mariae in Aracaeli extat alia tabula marmorea ante aram Comitum, prope portam quae respicit palatium senatoris, laeva ecclesiam introeuntibus, cum hac inscriptione. « Hic iacet domina Bartholomaea uxor quondam Maximi . . . De quibus praeterea nil memoria dignum inveni.

Centesimo deinde anno post, circa annum Domini ·MCCCC· vixit in Urbe nobilis vir Franciscus de Maximis, qui filium habuit nomine Laelium, patrem Maximi, qui hanc familiam valde illustravit, et aliquot liberis susceptis reparavit. Hic enim Maximus Laelii filius, et Francisci nepos, adulescens primum iuri civili operam dedit, atque in eo professus doctoratus (ut vocant) insignia suscepit: ex uxore deinde sua, nomine Francisca de Luciis, filia domini Mancini, a quo Luciorum familia Mancini cognomen accepit, quatuor filios, tresque filias genuit, quos omnes mox enumerabo. Eius mentio extat in vetusto diario, seu chronico lingua vulgari scripto, in quo res in Italia, et praesertim Romae gestae in Eugenii IIII. pontificatu collectae sunt a quodam cive romano Paulo Laelii, Petrone vocato. Is refert quod quum Eugenius IIII Urbe a Romanis fugatus esset, in nova reip. constitutione Maximus Laelii Cecchi de Parione, anno Dom. ·MCCCCXLIV· cum Paulo Porcario in duos anni menses Urbis gubernator (is tunc erat supremus magistratus) creatus fuit. Quo loco nomina aliorum quoque civium referuntur, qui tunc in magistratu erant. Eugenio deinde in Urbem reverso, magnae hic Maximus Laelii Cecchi in urbe existimationis fuit, ut liquet ex libro statutorum seu decretorum Urbis, ubi non semel memoratur. Horum initium est ut haec scripta sunt. « In nomine Domini, amen. Anno Domini » ·MCCCC· quadragesimo sexto, pontificatus summi in Christo » patris et domini nostri domini Eugeni divina providentia papae » quarti, indictione nona, mensis iulii die XX., etc. »

Hic autem Maximus quatuor (ut dixi) filios videlicet, Laurentium, Petrum, Angelum, et Franciscum, ac tres filias item suscepit, Hieronymam, Ludovicam, et Alexandram. Lauren-

tius et Angelus sine liberis decesserunt. Franciscus ex uxore Hieronyma de Rusticis tres filias suscepit, Franciscam quae virgo, Camillam quae nupta, tamen ante torum obiere, et Birgittam Iacobi Cencii primo, mox Alexandri Buccabellae uxorem. Petrus autem ex uxore Maria Astalla Dominicum unicum filium genuit; de quo paulo post dicam. Huius Petri mentio extat in vetusta ara sita in aede sanctae Mariae de Strata ad forum Alteriorum prope sanctum Marcum, quam ipse Petrus erexit, et dotavit; ubi ita scriptum est. « Hoc sacellum beato Petro martyri sacrum Petrus » Maximus sua impensa struxit. » Ex utroque latere sunt insignia Maximorum, et Astallorum, quum eius uxor fuerit Maria Astalla.

Dominicus porro Petri filius uxorem habuit Iuliam Magdalenam de Capite ferreo, ex qua filios duodeviginti tulit, inter quos fuerunt Petrus pater tuus, Angelusque et Lucas, auctores earum quae nunc in Urbe supersunt de Maximis familiarum. Quam gentem Romae diu nobilem fuisse, praeter ea quae supra citavimus testimonia, demonstrat etiam vetustum quoddam monumentum, quod est huiusmodi. Extat in Urbe aedes vetustissima sub titulo beatae Mariae de Crypta picta prope campum Floreum dicata, in cuius portae superiore parte in marmore insignia Maximorum cum hac inscriptione incisa sunt. D. N. DE (*stemma*) MAXIMIS.

Apud lateranensem quoque basilicam, in ea parietis parte, ubi sacratissima eucharistia adoratur, extat pictura vetus, in qua expressum est supplicium quorumdam latronum, qui ornamenta apostolorum furati fuerant, sub qua XIII. insignia sunt depicta in quorum medio est clypeus cum insignibus Maximorum; quibus insignibus praefecti regionum XIII. signabantur. De his vero sicariis sub Eugenio IIII. supplicium sumptum est, ut ex chronicis romanis mss. liquet

Porro autem ut facilius, et distinctius omnium Maximorum nomina, uxores, et liberi cognosci possint, uno aut altero schemate, seu (ut vocant) arbore familiae composito, versis pagellis efficiam. (1)

Atque haec sunt quae de gente Maximorum tam in mea, quam in alienis invenerim bibliothecis.

(1) Schesmatismos hos utriusque familiae a Panvinio subtiliter elaboratos, quia non sine accurato examine (praesertim secundae familiae) imprimendi videbantur, nos praetermisimus. Etenim ipsa historia satis per se perspicua videbatur. Porro et de liberto quodam Iohanne Bapt., qui in Maximorum nomen nullo iure irrepsit, sed ab ipsorum stemmatis honore postea depulsus fuit, narrationem brevitatis gratia omisimus.

EDITORIS MONITUM.

A Vespasiano florentino scriptas vitas illustrium aetatis suae virorum edidi in primo Spicilegii volumine, deque illo et aliis praedicti historici scriptis in praevia ad lectorem epistola non incuriose disserui. Rursus in prohoemio octavi voluminis p. XXI. de aliis incognitis ab eodem Vespasiano scriptis vitis, monente alio codice vaticano, dixi; quas inter illa memoratur Bartolomaei Fortinii vita quae nuper florentinis typis impressa fuit, nec non Alexandrae (Bardi, non Alexandri, filiae) de qua mox verba faciam. Quod enim in priore epistola optaveram, ut ineditae feminarum quoque clararum vitae a Vespasiano compositae aliquando divulgarentur, nunc partim mihi obtingit beneficio doctissimorum virorum qui Florentiae nova historiae documenta egregio consilio vulganda susceperunt. Hi quippe quum a me curatam virilium historiarum editionem intellexissent, tantam prae se tulerunt benignitatem, ut hanc nobilissimae feminae Alexandrae de Bardis vitam ex duorum codicum florentinorum collatione ab ipsis sumptam sponte transmiserint, ut ego romanis typis, si in votis esset, committerem; quod equidem cum grato animi sensu indubitanter adgressus sum, vix paucis emendatis prout vel orthographia vel perspicuitas orationis postulabat: atque ita accidit, ut hoc romanum Spicilegium, quod a Vespasiano initium duxerat, in eodem demum desinat.

Porro iidem humanissimi viri me admonuerunt, superesse in mss. florentinis alia adhuc Vespasiani inedita scripta, quorum tituli hi sunt.

I. Trattato della vita e conversazione de' Cristiani, a Iacopo Gianfigliazzi. Nella biblioteca magliabecchiana.
II. Trattato contro all'ingratitudine, mandato a Luca degli Albizi. Ivi.
III. Breve descrizione di tutti quelli che hanno scritto istorie. Ivi.
IV. Libro delle lodi e commendazioni delle donne illustri. Nella biblioteca riccardiana.

VITA DELLA ALESSANDRA DE' BARDI

DONNA DI LORENZO DI MESSER PALLA STROZZI

COMPOSTA

DA VESPASIANO.



PROEMIO DI VESPASIANO

AL NOBILISSIMO UOMO GIOVANNI DE' BARDI.

Le virtù hanno sempre avuta tanta forza appresso tutti gli uomini, che gli hanno fatto amare non solo quelli che noi conosciamo per presenza, ma quelli che noi non abbiamo mai veduti. Ora avendo io conosciuto per lunga esperienza e veduto in voi tante buone parti, quante si possono attribuire a ogni degno uomo; e dimostrando voi in ogni cosa la generosità dell' animo vostro che non è punto aliena dai degnissimi uomini che ha avuti la casa vostra, essendo voi stato lungo tempo nella isola d' Inghilterra, pe' vostri laudabili costumi, e per la inviolabil fede, della quale mai non avete mancato, per questo appresso il serenissimo Re di quella isola, e tutti i signori e gentili uomini con chi avete avuto a fare, hanno le vostre semplici parole tanta autorità avuta, quanto se le fussino l' evangelio. E questo vostro credito e fede avete non solo in quella isola, ma in corte di Roma, e per tutto dove avete a fare: e facendo professione di mercatante, meritamente vi potete chiamare, osservando il suo ufficio, e questo è di tramutare le mercanzie da luogo a luogo, come fate, dipoi venderle con giusto ed onesto guadagno. Venendo dipoi al governo della casa, che secondo Aristotele è una piccola republica, ho veduto in casa vostra tanta modestia di costumi nel parlare ed in ogni atto; e non solo in questo, ma nel moderato e composto modo del vivere, e nella osservanza di tutte le cose che appartengono alla cristiana religione: e queste osservate, e non permettete che niuno che stia in casa vostra faccia altrimenti: i ragionamenti che vi si fanno, non sono di cose frivole e vane, ma o vi si ragiona di cose degne occorse ne' tempi passati, o de' governi de' Pontefici, o di Cardinali, o di Re, o d' Impe-

ratori, o de' maravigliosi uomini che ebbe la romana republica rispetto a quelli de' presenti tempi: e 'l simile de' degnissimi uomini che ha avuto la città di Firenze in ogni facoltà; e così in tutte le sette arti liberali, come in governi di republica, ed in tutti gli esercizi che si possano pensare, è prevaluta a tutte l'altre città d' Italia.

Non è restata la casa vostra da non avere avuti prestantissimi uomini in ogni facultà, così nelle discipline militari, come ne' governi della republica: perchè si vede, che come la città di Firenze cominciò a avere ordine di governo, de' primi che furono assunti a questo magistrato, fu uno della casa vostra. E inoltre avanti l' anno 1207, che la nostra città si resse a consoli (1), detratti di cento senatori, la vostra famiglia fu che godè, e più d' una volta, l' onor senatorio e l' onor consolare. Vedesi ancora avere avuti degnissimi uomini non solo nel temporale, ma nello spirituale vescovi e prelati, che per le loro virtù sono stati eletti alla degnità episcopale in altre città che nelle città propie; ma eziandio nell' archiepiscopale, e insino nella suprema degnità del Cardinalato, come si vide l' anno 1125. nella persona di messer Uberto de' Bardi, il quale cinque anni visse in quella suprema degnità di prete Cardinale di titolo di S. Clemente (2). Trovasi ancora circa a' tempi di santo Tomaso d' Aquino e d' Alberto magno, che fu uno di casa vostra, chiamato Ruberto de' Bardi, che fiorì nello studio di Parigi, e fu grandissimo filosofo e teologo, e fu di tanta autorità, che gli bastò la vista per la sua maravigliosa dottrina, impugnare certi articoli di santo Tomaso e d' Alberto magno. E che ei fusse circa i tempi di santo Tomaso e d' Alberto magno, si prova, che chi ne fa menzione, ne dice: « impugnò articoli di Tomaso d' Aquino e d' Alberto di Cologna. » Che si vede che santo Tomaso non era canonizzato, ed Alberto magno non aveva ancora il titolo di magno, che l' ebbe dipoi dopo alla morte sua. Venne questo Ruberto de' Bardi in tanta reputazione in detto studio di Parigi, che fu fatto cancelliere di detto studio, e resse quella cancelleria anni quaranta; e sempre è suto usanza in quello studio di fare i più singulari uomini che

(1) Vedasi la bella opera del barone Reumont, Tavole cronologiche e sincrone della storia fiorentina, agli anni 1115. e 1207.

(2) Uberto prete Cardinale del titolo di S. Clemente è presso il Ciacconio sotto Onorio II all'anno 1124. Ma rimane incerta presso lui la famiglia e la patria di questo Cardinale. Ora Vespasiano ci dice l'anno preciso del suo cardinalato, e che fu fiorentino di casa Bardi. Altro Cardinale fiorentino Girolamo Bardi fu assai più tardi sotto Clemente XII. Corsini.

vi sono. Aggiunse alla sua dottrina la santità della vita, che non sendo religioso, tenne vita santissima e di maravigliosi costumi. Morì a Parigi santissimamente, e quivi è sepolto, ed ancora dura la fama sua infino al presente dì (1).

Di molti prestantissimi uomini ha avuto la città di Firenze e la casa vostra, che per la penuria degli scrittori sono rimasti sanza esserne memoria alcuna. E non solo ha avuto degnissimi uomini, ma maravigliose donne, quanto n' abbia avute tutta Italia, facendo comparazione dell' un sesso e dell' altro. E venendo ai tempi d' oggi, essendo a queste sere passate, voi Alessandro de' Bardi, ed io, e facendo menzione degli uomini che ha avuto la casa vostra, e non solo degli uomini ma delle donne esemplo di pudicizia e d' onestà, in questo venimmo alle lodi della Alessandra figliuola di Bardo de' Bardi, e donna di Lorenzo di messer Palla di Nofri Strozzi, non inferiore nè a Sulpizia romana, nè a Porzia figliuola di Catone e donna di Marco Bruto conservatore della romana republica, delle quali scrive il Boccaccio insieme con più donne illustri. Che se fusse stata al tempo suo, l' ornava colle sue lettere. Ora benchè sia alieno da me lo scrivere ornato, come si converrebbe, ho fatto quello che porta il mio debole ingegno, di scrivere la vita della Alessandra. Le quali cose avendo in gran parte vedute ed intese da uomini degni di fede a' tempi mia, supplirà la verità del trattato al basso mio ingegno. E l' affezione ed amore che vi porto piuttosto m' ha invitato a questa esercitazione, che dottrina alcuna conosca essere in me di presumere fare istoria. Ora avendola composta, m' è paruto mandarla a voi come al primo uomo che abbia la casa vostra, che l' avete rinnovata di quella degnità che hanno fatto i vostri predecessori. Pigliatela adunque con lietissimo animo da un vostro fedelissimo amico, ch' altro non ha che darvi al presente, chè volentieri ve lo darebbe.

VITA DELLA ALESSANDRA DE' BARDI.

Alessandra di Bardo di messer Alessandro de' Bardi, fu di famiglia nobilissima quanto alcuna n' abbi avuta la città di Firenze, e massime per molti degnissimi uomini, che ha avuti ed ha, e non meno donne. Fu Bardo padre della Alessandra assai accet-

(1) Reumont op. cit. all' anno 1312. Della collezione de' sermoni di S. Agostino fatta da Roberto de' Bardi parlano i Maurini nella prefazione ai detti sermoni.

to alla sua patria, ed in quella onorato degli onori che danno le republiche a' loro cittadini. Fu la madre della Alessandra, de' Rinuccini, casa degna e di laudabili parenti, e nella sua età fu assai reputata per molte sua virtù, e massime per avere allevata sì degna famiglia come allevò, come si vedrà nella Alessandra, chè in lei e nelle altre figliuole imitò i tempi e passati e quelli di quella età ch' ebbe donne singulari di tutte le parti. Nacque l' Alessandra dotata dalla natura maravigliosamente, bellissima e venustissima del corpo, quanto n' avesse la città di Firenze. Era sì grande di persona, che rade volte portava pianelle, perchè di grandezza e di tutte le parti avanzava tutte l' altre donne di Firenze. Nata, subito la madre attese alla sua educazione con ogni diligenza; e come venne alla età della discrezione, volle imitare delle donne cristiane santa Pagola romana nobilissima nata dalla casa di Scipione Africano, che allevò sì degna famiglia, e fe' sì degno fine, esemplo a tutto il mondo. Insegnolle tutti i costumi de' Cristiani, e quello che s' apparteneva a una pudicissima fanciulla, insegnandole i salmi ed orazioni, e sopra tutto gl' insegnò amare e temere Iddio la prima cosa, parendole che sanza quello fondamento niuna cosa si potesse fare, e con quello mezzo la ridusse ad un moralissimo vivere. Fatto questo, mai lasciava perdere tempo ch' ella non fusse occupata, conoscendo nè alle donne nè agli uomini non essere la maggior peste. Infra gli altri costumi le insegnò che mai con le serve di casa non parlasse se non in presenza della madre: e questo è ottimo documento, acciò ch' ella non facesse l' animo servile e non imparasse i loro costumi. A questo bisognerebbe avessino cura le donne de' tempi nostri, donde ne sono nati assai inconvenienti Insegnolle tutte le cose che s' appartengono sapere a una donna che abbia a avere cura di famiglia, e massime a lavorare d' ogni cosa e di seta e d' altro.

Ebbe in questo luogo moltissimi esempli d' imitare. Imitò Ottaviano imperatore, che fe' insegnare alle figliuole tutte le cose che con le mani si possono operare, infino a tessere. Essendo domandato perchè lo faceva, rispose: oggi sono imperatore; domane ch' io mi muoia, io non so dove i mia figliuoli s' hanno a capitare: io voglio ch' elle imparino quello che bisognando ne possino vivere. A confusione di molte de' tempi nostri, che le allevano in modo che non credono che il mondo possi loi mancare: in tanta pompa le allevano senza niuna virtù! e così interviene loro quello che non credono. Imitò ancora in questa educazione

Carlo magno cristianissimo, che fece il medesimo di Ottaviano, e non se ne vergognò, e non le allevò con tante serve come fanno quelle de' tempi nostri, che si portano in modo e vogliono tanti servi ed alla camera ed alla sala, che conducono i loro mariti, per voler seguitare l' uno l' altro, a impoverire, e fare infinitissimi cattivi contratti per sopperire a tante spese. Fece la madre della Alessandra, secondo che aveva le imitazioni innanzi, di volere che la figliuola imparasse ogni minima cosa che s' apparteneva a una fanciulla, che avesse avere cura di famiglia, acciò che andando in un' altra casa, ella paresse allevata da sì degna madre, quale ella aveva, e sapesse fare ogni cosa per saperla insegnare; e che le case non avessimo a andare in mano de' servi; come alcune n' ho vedute, che per negligenza l' ultime che si levano la mattina sono loro. Ho vedute ancora di quelle in questa città nate di nobilissimi parenti, che le prime che si levano la mattina in casa erano loro, e cercavano la casa dal principio infino alla fine, e non passava cosa che non volessero intendere.

zione tutti i santissimi sacramenti, poteva veramente dire quelle parole di santo Pagolo: io desidero di sciogliermi da questo corpo, ed andare ad abitare con Cristo. E quell' altra sua sentenza: io ho consumato il corso della vita mia, ed ho osservata la fede del mio Dio; ora, ora aspetto la corona della justizia, la quale ha promesso Iddio a quelli che l' avranno amato. Veramente lo poteva dire l' Alessandra, sendo istata si può dire martire in questa vita pell' amore d' Iddio. Istava l' Alessandra in questo tempo con orazioni con lagrime e pianti domandando a Dio misericordia de' sua peccati, accompagnata da santissimi religiosi e religiose, che le stavano appresso dicendo le raccomandazioni dell' anima. Ed a questo modo con dire all' onnipotente Iddio quelle santissime parole *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, così dicendo passò dalla presente vita e rendè lo spirito a Dio che l' aveva creata. Fessele quell' onore che meritavano le sua virtù; di poi per esser lei nata di nobilissimi parenti, ed istata donna di Lorenzo di messer Palla della degnissima casa degli Strozzi. Non è da dubitare di questa onestissima e pudicissima donna, nella quale erano tante ismisurate virtù, essendo vivuta com' era in tanta osservanza della sua religione: e non essendo istata la vita sua altro che affanni, è da sperare che Iddio volle con questo mezzo purgare se ella gli aveva mai fatto niuna offesa in questa vita; e nella sua fine averla chiamata alla superna gloria degli spiriti beati, a goder quella sempiternale gloria sanza fine.

Doverà questa vita di questa castissima ed onestissima donna essere esemplo a tutte le donne della nostra città: e le madri che hanno figliuole, e voglionle allevare secondo Iddio e secondo l'onesto e costumato vivere, avere questa vita sempre dinanzi agli occhi, e seguitare colle buone opere come ha fatto costei in sino alla fine. Ed imparino a non fare loro leggere nè il Centonovelle, nè i libri del Boccaccio, nè i sonetti del Petrarca, che benchè e' siano costumati (1), non è bene che le pure menti delle fanciulle imparino ad amar altro che Iddio ed i loro propii mariti: far loro leggere cose sacre, o vite de' santi padri, o istorie, o simili cose, acciò che imparino a temperare la loro vita ed i loro costumi, e voltinsi a cose gravi e non leggieri, essendo loro di loro natura volte alla leggierezza come sono. Conoscano che questa dota che daranno loro delle virtù sarà assai maggiore che non siano quelle de' danari che si possono perdere, e quelle per ferma possessione non saranno mai loro tolte infino alla fine.

(1) Certamente non intende dire ciò d'altri che al più de' sonetti del Petrarca.

Vitam Bartholomaei Fortinii a se nuper florentinis typis cum egregiis adnotationibus traditam, et a me memoratam T. I. p. XVII. miserunt ad me benigne docti illi viri, quos p. 592. honoris causa appellavi, ut eam si vellem ceteris Vespasiani scriptis adiungerem, quod a me libentissime actum est, paucis admodum in archaismo variatis, ut ea cum reliqua editione mea conspirarent.

VITA DI BARTOLOMEO FORTINI

COMPOSTA

DALLO STESSO VESPASIANO.



Bartolomeo di ser Benedetto Fortini fu d'onorati parenti. Ebbe buona notizia delle lettere latine. Fu molto stimato da tutta la città per le sua virtù e bontà. Fu religiosissimo, e molto volto al culto divino, e amico di tutti i religiosi e servi di Dio. Ebbe buonissima condizione nello stato; e in tutte le degnità ch' ebbe, ne riportò grandissimo onore, per essere molto onesto e costumato cittadino, ripieno d' infinite virtù. Avendo i Fiorentini avuto il Borgo a san Sepolcro (1) di nuovo, essendo terra usata il più a fare fatti d'arme, e che spesso mutava stato; volendola riformare, parve a chi governava, Bartolomeo essere sufficientissimo

(1) Questa terra, gia appartenente alla chiesa, dopo di essere stata donata da Eugenio IV. a Nicolò Fortebracci, quando era capitano delle sue genti, fu occupata dal conte Francesco di Poppi, padre della moglie di esso Nicolò, il quale era stato ucciso l'anno 1435 nella Marca in una battaglia, sotto pretesto di ritenerla per sicurezza della dote di sua figlia, non ancora restituitagli. Narra l'Ammirato (stor. fior. lib. XXI.), che parendo al Pontefice cosa grave, che il conte si facesse da per sè le ragioni ,mando le sue genti d'arme intorno a Poppi. Il perchè postisi di mezzo i Fiorentini, per accordo fatto tra il Pontefice e il conte Francesco, fu la detta terra del Borgo depositata in mano della Signoria, fintantoche si aggiustassero le loro differenze. Fu poi presa nel maggio del 1438. da Francesco figlio di Nicolò Piccinino, capitano delle genti del Duca di Milano, che in quel tempo era in guerra co' Fiorentini: i quali però, dopo la vittoria riportata contro le genti del Duca, condotte dallo stesso Nicolò, presso Anghiari, il dì 29. di giugno del 1440, la riconquistarono per la chiesa. Finalmente, nell' aprile dell'anno susseguente, di concordia e buona volonta del Pontefice e della chiesa, fu data in pieno possesso al Fiorentini, per la somma di 25. mila ducati di camera, come si ha dal Buoninsegni (stor. fior. pag. 74.), e fu promossa a città dal pontefice Leone X. nell'anno 1520. (Ammir. stor. fior. lib. XXI. e XXIX.).

a mandarvelo de' primi, sì per la sua bontà, ed il simile per essere uomo d'autorità. Fu fatto a mano (1); e andato al Borgo, fu molto onorato nella sua giunta, per l'universale fama che aveva delle sua virtù.

Preso l'ufficio, subito pensò qual fusse il rimedio a volere ordinare una città oziosa e sanza esercizio, come era quella. Volle notizia, e per scritta, di tutti i cittadini del Borgo, e di tutti gli abitanti. Avuta che l'ebbe, cominciò a mandare ogni dì per qualche cittadino; e giunto, faceva molta buona raccoglienza, che lo sapeva fare, e subito lo domandava che esercizio era il suo. S'egli era uomo ozioso, che non faceva nulla, voleva intendere la sua facultà: dipoi biasimava molto lo stare ozioso e non fare nulla, mostrando quanti mali seguitavano dell'ozio, per lui e per la sua famiglia; e l'opposito, quanti beni seguitavano del fare qualche mestiero, e per l'anima e per lo corpo, e per la sua conservazione: in modo che lo adattava ch'egli facessi o arte di lana, o qualche mestiero, perch'egli non istesse ozioso. Fece in modo colla sua piacevolezza, che d'una terra piena d'ozio e di giuochi, e che spesso mutava stato, tutti alla maggior parte ridusse a far qualche cosa. E fecelo per dua cagioni: l'una, a fine che ridotti a non istare oziosi, starebbero fermi a ubbidienza del popolo di Firenze; altrimenti conosceva non sì potere tenere; l'altra cagione che lo indusse a fare quello bene a quella terra, fu levargli da lite e da questioni, nelle quali incorrevano ogni dì, per non avere faccenda ignuna. Levò via il giuoco, che a suo tempo non volle vi si giucasse, conosciuto i mali che ne seguitavano. Venne per questi beneficii che aveva fatti a quella terra in tanta grazia, che pareva loro che Iddio ve l'avesse mandato per loro universal bene.

Avendo fatto questo, e parendogli averle dato un buono principio, pensò di volere fare il resto: e per questo volle intendere tutte le differenze che v'erano nella terra, e vollele per nota. Dipoi cominciò a mandare per una parte, e voleva intendere. Intesala, gli entrava addosso colle più calde e le migliori parole del mondo; di natura che, se mai o religioso o privato cittadino ebbe forza nelle parole, Bartolomeo aveva questa. Infra l'altre sua virtù faceva in modo, che colui non si partiva da lui, che la rimetteva in lui, ch'egli l'acconciassi come gli pareva, ch'egli era contento. Dipoi mandava per l'altra parte, e faceva il medesimo; e fatto questo, gli accozzava insieme, e parlava in modo

(1) Cioè per elezione fatta per mezzo di polizze.

all' uno ed all'altro, che poche paci conchiudeva che non vi fusse effusione di lagrime; tanta era la forza che aveva nelle parole: e in ogni pace induceva testi di Cristo, e della Scrittura santa, che aveva benissimo per le mani, in modo che l'aveva a ogni suo proposito. Governò tutta quella terra in modo, che infino a questo dì presente gode i frutti di Bartolomeo. Questi sono i cittadini a' quali si vuole dare i magistrati, che attendono al bene comune de' luoghi dove vanno, non al particolare, come fanno i più. Volevangli bene tutti quelli che lo conoscevano. Conversava con tutti i buoni uomini.

Aveva la città ser Filippo di ser Ugolino (1), notaio delle riformagioni, uomo virtuosissimo. Conosciuta la sua virtù, l'amava assai. Aveva tanta buona fama nella città, in modo che a tutti i partiti andava, gli vinceva innanzi a tutti quegli del suo quartiere. Non potè tanto fare colla sua umiltà, e con starsi, e attendere a leggere della Scrittura santa, che l'aveva, come è detto, bene per le mani. Sempre i buoni sono invidiati da quegli che sono oppositi a loro. Intervenne, che avendosi a fare in Firenze ufficiali, che si chiamavano del Monte vecchio, a mano, che erano di grandissima importanza; Bartolomeo, non vi pensando nè lo cercando, vi fu mandato a partito; e uno cittadino del suo quartiere, uomo de' primi, che n' avea fatto grande instanzia per essere, andando a partito quello cittadino, non lo vinse. Bartolomeo vinse il partito quasi con tutte le fave nere. Sendo Bartolomeo in piazza, e veduto questo, se n' andò in bottega d'un suo amico, e con alcuni che gli toccavano là mano cominciò a lagrimare, e disse: questa è oggi la rovina mia e de' mia figliuoli; perchè chi aveva cerco d'essere con tanta instanzia, non sendo, io conosco che non arà pazienza; e chi m'ha creduto fare bene, m'ha fatto male. Previde Bartolomeo questo caso appunto. Non avendo [colui] altro rimedio a potersi valere d'esser degli ufficiali, come voleva, si volse a una pessima via; e questa fu che fe' ammunire più cittadini, nel numero de' quali mise Bartolomeo (2); ed ei fu degli ufficiali del Monte vecchio in suo iscambio.

(1) Era questi ser Filippo di ser Ugolino Pieruzzi, canceliiere delle riformagioni, uomo di grande e buona fama, come dice il Buoninsegni (stor. fior. pag. 79.). Contuttociò, per le divisioni dalle quali era in quel tempo travagliata la città, fu cassato dal suo ufficio. Parla di lui il Mehus nella prefazione alla vita e alle lettere di Ambrogio camaldolese, pag. XXII. (Si veda ora la vita di ser Filippo da noi stampata nel primo volume di questo Spicilegio.)

(2) Narra il Machiavelli (stor. fior. lib. VI.) che nel 1444. fu fatta per i consigli una nuova balía, la quale riformasse la città e di ufficj e di gravezze. Tra le

Non potè sopportare l' onnipotente Iddio, che col tempo costui non fussi punito di tanta iniquità: perchè per le mutazioni degli stati intervengono de' casi, che della medesima pena hanno puniti altri innocentemente, loro ne sono puniti giustamente, non lo pensando. E per questo intervenne non molto tempo dipoi, per le discordie civili, che questo cittadino ch' era istato la cagione della rovina di Bartolomeo di ser Benedetto, fu confinato lui e figliuoli; e non osservando i confini, ebbe bando di rubello lui e' figliuoli; e morì rubello, confiscati tutti i sua beni; e conobbe che quello era seguito per la sua iniquità.

Sendo Bartolomeo a Firenze con queste condizioni, lo sopportò con alquanta molestia non solo per sè, ma pe' figliuoli che aveva, per vederli puniti innocentemente, com'erano. Eragli da tutta la città avuta grandissima compassione, conoscendo la ingiustizia che gli era suta fatta, e quante erano le sua inaudite virtù; che non era in Firenze (sia detto con pace di tutti gli altri cittadini) chi fusse più amato e più istimato di lui. E stando Bartolomeo con queste condizioni, attendeva a porre l'animo suo in pace il meglio che si poteva, aspettando che qualche tempo verrebbe, che s'arebbe avuto compassione alla sua innocenzia.

Intervenne dopoi più anni, che la città, come era usato, fece per le discordie civili alcuna mutazione, dove furono confinati più cittadini, fra' quali furon confinati di quelli ch' erano istati cagione dell' essere istato Bartolomeo ammunito: furono confinati, e perderono lo stato, sendo non de' minori. Veduto la ingiustizia ch' era suta fatta a Bartolomeo e ad alcuni degli altri, furono restituiti nelle degnità, com' erano in prima; e facendosi lo squittino, Bartolomeo e tutti i figliuoli furono restituiti in tutti gli uffici che hanno tutti i cittadini della città; e Bartolomeo, il tempo che visse dipoi, fu in grandissima riputazione nella città, e fino al presente dì i figliuoli godono i frutti paterni, e meritamente.

molte riforme che in questa occasione ebbero luogo, quella vi fu ancora, che furono posti a sedere e privati per dieci anni di tutti gli onori gli Accoppiatori fatti nel 1433, ed altri ragguardevoli cittadini di governo; fra' quali Bartolommeo di ser Benedetto Fortini. Lo stesso leggesi nel Buoninsegni (stor. fior. pag. 76.) ed in altri de' nostri storici. Accoppiatori, al tempo della republica, si dicevano quei cittadini deputati dal consiglio maggiore per fare l'imborsazione di quelli che potevano essere eletti ai tre ufficj maggiori, che erano, Priorato-Gonfaloniërato di giustizia, Gonfaloniere di compagnia, e i dodici Buonuomini, o Consiglieri, come pure agli altri ufficj intrinseci, cioè da essere esercitati dentro alla città di Firenze. Custodivano le borse dello squittino, e presedevano come segretarj all'elezioni pe' suddetti ufficj. V. Forti, Foro toscano, ms. nella Marucelliana, pag. 349.

Conservossi Bartolomeo infino alla sua fine in grandissima integrità di vita e di costumi. Avendo fatto l' abito buono, facile cosa fu a perseverare drento. Fu la fine sua quale era stata la vita. E per questo parendomi che fusse un dignissimo cittadino e di grandissimo esemplo, m' è paruto per via d' uno brieve comentario iscrivere la vita sua, a fine che sia esemplo a' presenti, ed a quegli che verranno pe' tempi.

Ut lectores cognoscant, Vespasianum nostrum Poggio quoque celeberrimo viro familiarem fuisse, placet Poggii ipsius epistolam quamdam ex codice vat. (de quo alibi loquimur) sumptam heic ponere, ad Matth. Malferitum scriptam, cuius item hominis Vespasianus vitam conscripsit.

POGGIUS P. S. D. MATTHAEO MALFERITO V. C.

Vespasianus chartularius, ut dicunt, ostendit mihi particulam tuarum litterarum, in qua continebatur, epistolam meam (1) a serenissimo Rege et ceteris qui in eius lectione aderant comprobatam, tibi vero ipsi visum esse me in ea scribenda minime operam perdidisse. Idem scripserat mihi vir eloquentissimus Bartholomaeus Facius, cui ego reddendae epistolae curam demandavi. Gaudeo tanti Regis et ceterorum laudibus in meam epistolam collatis; sed tui reliquorumque doctissimorum virorum iudicio admodum delector: eas enim veras laudes scias esse, quae ab iis conferuntur qui de eloquentia aut doctrina recte iudicare possint. Ideo cum a te, Panormita, ac Bartholomaeo nostris laudetur lucubratiuncula mea, est ut plurimum laeter me id scribendi officium sumpsisse, existimans vestram sententiam pluris faciendam, quam eorum qui aures tantum legentibus praebent, iudicantque magis aliorum opinione quam sua. Tibi igitur gratias ago, qui verbis tuis magnum ornamentum meis litteris addidisti, cumulastique tua in me merita hoc novo beneficio meam epistolam laudandi. Haec scripsi ad te paucis, ut intelligas mihi summe placere iudicium tuum. Ego tuus sum ubicumque existam. Commenda me maiestati regiae, cum tempus se dabit, quod est ut scis rerum omnium primum. Vale, et me ut soles ama. Florentiae ·XXI· maii. Cod. f. 217.

(1) Dicit epistolam laudatoriam ad Alphonsum Aragoniae et Neapoleos regem, de qua nos alibi.

POGGII FLORENTINI

VIRI ELOQUENTISSIMI

INVECTIO IN DELATORES. (1)



ANTONIO LUSCO V. C.

Cod. f. 13. b Licet maioris esset ingenii, limatiorisque et exquisitioris cuiusdam eloquentiae scribere adversus delatores, suavissime Antoni, genus hominum pestiferum atque execrandum, tamen sceleris tum deformitas tum magnitudo est tanta, ut in eo reprehendendo vel infans eloquens esse possit. Patens est enim ac diffusum, multos laedit, plures pessum dat, nonnullos non solum fortuna et opibus privat, sed etiam vita: scelestum sane, odiosum, adeo nobis infestum, ut solum ex faucibus tartari emissum ad perniciem mortalium videatur. Scio te, Antoni, hos pro tua virtute homines abhorrere; me autem non abhorrere solum, sed exhorrescere ad eorum nomen necesse est, aliquando ut nosti cuiusdam venefici voce perculsum. Quo tempore vidisti maerorem meum, et quanta in aegritudine versarer, cum pro tua in me benivolentia retulisses mihi quaedam quae nescio quis falso in me fuerat mentitus. Itaque cum iniuriae iniquitatem atque animi perturbationem recordor, cumque ad ea quae vel ipsi vidimus vel audivimus mentem revoco, exclamare cogor veluti terentianus ille Geta: o scelera! o genera sacrilega! o hominem impurum! Neque parva de re, ut ille alter apud Pacuvium, ut opinor, querebatur facinora capitalia fieri in civitate, sed de scelere nefario atque ingenti, et cui nullum facinus pessimum comparetur. Vellem mihi dari facultatem, quae fortasse dabitur aliquando, congrediendi cum isthoc portento. Excuterem ei somnum profecto etiam ebrio, et illud os foetidum atque obscenum ita comprimerem, ut ne oscitare quidem posset quamvis somnolentus. Quod posteaquam fieri nequit, exagitabo paulum hanc universam delatorum cohortem, et si non pro rei indignitate, at saltem pro modulo cum temporis

(1) Memorat hanc invectionem inter poggiana scripta Vespasianus p. 556. Quin adeo vulgari etiam lingua, anonymo interprete, legitur in codice mediceo, ut ait Bandinius Catalog. lat. T. V. p. 266.

tum facultatis: neque vereor cuiusquam simultatem, cum nullus succensere mihi digne possit, qui non se prius et virum pessimum confiteatur, et huius criminis perversi reum: tum vero bonos nullo modo offendam: malis displicere, laudari est.

Sed quid ego primum aut clamem aut querar? An vitii gravitatem? At eam tantam esse constat, ut quicquid dixeris, licet summa eloquentia, levius quid videatur et suo pondere inferius. An magnitudinem periculi? Id quoque reperietur esse tantum, ut ne ab ullo quidem sicario sit homini maius extimescendum. Anne hominum obscenitatem? At ii non homines sunt, sed humana effigie ac voce monstrum horrendum informe ingens, ad quod compescendum perdomandumque non nostris viribus sed robore herculeo opus esset. Nam per Deum immortalem, quod malum, quam tempestatem, quam pestem tam horridam tam saevam in rebus humanis natura unquam tulit, quam hos delatores, perfidos, ipsius naturae atque adeo humani generis hostes, mendaces, dolosos, ad fallendum et nocendum paratos? quibus nil asperius audiri, nil saevius excogitari, nil turpius dici potest: qui se in hominum familiaritatem exploratorum more insinuant, nobiscum versantur, alloquuntur benigne, verba aucupantur, quid quisque dicat observant, nonnulla ipsi sciscitantur veluti ignari rerum ad eliciendas nostras voluntates: tum potentioribus aut principibus, quibuscum vivunt familiarius, quae placitum est referunt, culpant quos volunt, non pro veritate loquuntur, sed pro malignitate, quae sint in alterius caput et periculum evasura. Nonnulli autem his quae audierint multa adiciunt, multa ipsi fingunt, multa componunt. Alios de ipsis male existimare asserunt, quosdam aiunt obloquutos, nonnullos moliri in principem affirmant, et arguunt proditionis, quasi ipsi soli sint quibus cara sit domini et salus et existimatio; cum certe soli existant, qui animum potentum mentemque inflamment ad perniciem ceterorum. Hinc principum simultates, hinc odia, hinc amissiones dignitatum, hinc exilia, hinc supplicia descendunt et caedes: hinc desolationes familiarum, hinc rerump. et ipsorum aliquando principum eversiones emanarunt; qui licet sint boni natura, tamen difficile est eos non decipi insidiis delatorum. Non enim audiunt omnia principes, non norunt omnia, multa credant necesse est, ut persaepe inscii in magnos delabantur errores ob fallacias delatorum. Ita faex hominum spurcissima, quos nulla virtus, nullae litterae, nulla doctrina, nulla bonarum artium studia commendant, persecutione innocentium,

proborum sanguine et caede grassatur; lanistae infames, et obprobrium saeculi sempiternum.

O feritatem non ferendam, et procul exportandam ad ultimas orbis partes! Quae tam vastae beluae atque immanes unquam fuere, quas istae personatae bestiae crudelitate non antecellant? Multa genuit nobis natura formidanda, apros, leones, tigres, serpentes varios, et alia complura, quae tamen silvis se continent et locis desertis, nunquam insultant nobis nisi aut irritatae, aut fame impulsae. At hae domesticae ac rabidae ferae nulla lacessitae Iniuria, nulla nisi nocendi fame sitique coactae, esuriunt nostrum sanguinem nostrae vitae insidiantes. Atqui beluas silvestres ita instituit natura, ut cum alia animantia rapiant ad pastum suum, videautur tamen formidare hominis conspectum, et veluti sanctius quoddam animal vereri. Hae vero humana forma beluae non homines non Deum ipsum verentur, nati ad cruciatum hominum quos solos persequuntur, inimici omnibus praesertim bonis quibus permaxime ab improbis invideri solet. Quis est animo tam leni, qui hos non existimet extra fines vitae humanae abiciendos, exploratores, transfugas, proditores? Tu ne cum loquaris mihi domestici more, cum appelles, roges, communices, ita omnem communis vitae rationem exuisti, ut me tuis dictis prodas, perdas, necesque perversitate tua? Quid hoc est aliud quam tollere coetus hominum, societates, consortia, communitatemque vivendi? Sublata enim fide, sublata amicitia, duobus vinculis humanae vitae, quae in te nulla esse possunt, ipsae urbes atque ipsum genus humanum pereat necesse est.

Sed fac, oro te, nam soles hac uti excusatione, te vera non reticere; fac, inquam, aliquid esse dictum liberius, iocis enim persaepe utimur, fac aliquem quid verbosius locutum, aliquem qnestum procacius, homines enim sumus, labimur, erramus, decipimur, ira provehimur aliquando vel indignatione; quid, asine amentissime? sunt ne haec statim pro maleficio ad principum aures deferenda? At saltem vera retulisses; sed rem gravas, adicis, mentiris, in fortunas et corpus alterius machinaris. Quid te movet, sceleste? quid te impellit ad tantum facinus, nisi malus animus, mala mens, malum ingenium? Vindicare sibi volunt hi, ut opinor, prima loca apud dominos, et eorum benivolentiam acquirere per dedecus nostrum et infamiam. Sed quae potest esse benivolentia, quae per scelus comparatur? Illi ipsi siqui sunt, qui haec libeuter audiunt, odisse solent eiusmodi viros. Proditio aliquando placuit, proditores nunquam, quos etiam suspectos de-

spectosque habent illi iidem, quibus profuere. Neque enim vitia placere possunt diutius, detestantur ea omnes, mali persaepe. Domitianus augustus vir malus ad reliqua, et reip. perniciosus, hac una in re laudatur a priscis rerum scriptoribus, quod delatores contempsit, eosque severissime cohercens odio habuit; cuius erat frequens sententia: princeps qui delatores non castigat, irritat. Qualem ergo aestimare debemus detestandam perfidiam delatorum, quos scelestus etiam abhorrebat imperator?

Finxerunt nobis plura quondam poëtae monstra extitisse in terris, Scyllam, Charybdim, Hydram, Sphingem, Cyclopes, reliquaque permulta, quorum nonnulla iidem qui haec scripsere hominum virtute expugnata et mactata retulerunt. Fortes enim viri bella adversus ea virtutis gratia suscipiebant: quo in certamine vitae solum discrimen subibant, reliqua manebant integra atque incorrupta, fortunae, fama, honor, gloria, quae augebatur etiam victis. At haec execranda hominum portenta occupant te incautum, et ante quam congrediaris prosternunt, atque ita evertunt, ut una cum vita famam quoque eripiant, et perpetua afficiant ignominia. Non enim viribus succumbis aut virtute, sed dedecore ac turpitudine, quibus illi nomen tuum inusserunt. Et quidem illa monstra prudentia aliqua evitari poterant, aliqua ratione vinci; hanc vero funestam bestiam ad laniandum praeparatam qua arte declines? quomodo compescas, ignotam, latentem, non telo aut viribus sed verbis veneficis stragem hominum molientem? Aethnae medius fidius flammae non intulere Siculis tot clades, quot orbi universo hic funebris ignis delatorum. Quis neget malorum permagnam esse copiam virorum? At ab eorum periculis aliqua te providentia tutum praestabit. Superbos, iracundos, violentos, fures, raptores, praedones, sicarios, invidos, ceteraque scelera ac pestes facile effugere possumus aut compescere. Sunt multa nobis adversus eos inventa et constituta praesidia: delatores autem vitiorum omnium foetidam sentinam quo pacto effugies, incognitos, haerentes, subdolos, fallaces, prius te opprimentes quam suspicatus fueris nociturος?

Mihi quidem etiam atque etiam consideranti nulla arma occurrunt, nulla subsidia, quibus ab his viruleutis vulneribus delatorum aut tecti aut tuti esse possimus. Quis enim est modus sanandi morbos ignotos? quae percipiendi sollertia? quae astutia praecavendi? Enimvero nihil est largitus nobis Deus utilius sermone, nihil ratione melius, quibus solis ceteris animantibus praestamus, quibus servatur hominum societas, conduntur

civitates, et totius vitae commoda comparantur. His tuemur salutem nostram, his ceteros auxilio iuvamus. At hi delatores boni duabus rebus ad salutem datis, ad cladem convertêre, omnem pervertentes vitae communitatem, omnia nobis vitae praesidia eripientes, omnemque fructum virtutis. Nam quis erit locus innocentiae, quod praemium bene meritis, quae salus bonis, quae miseris venia, si tu ista malefica lingua, istis nequissimis faucibus, ista fallaci voce ac mortifera, opibus, dignitate, ac fortunis, vita postremo privabis quos voles, detractans omnibus, neminem commendans? O perversam hominum conditionem! Cetera animantia, licet ratione careant, tamen duce natura diligunt quae sunt eiusdem generis, ac tuentur, ut perraro saeviant in genus suum: tu vero sciens homines hominum gratia generatos, admonitus ratione, usu doctus, institutus moribus, doctrina, legibus ad hominum societatem tuendam et conservandam, adeo evasisti brutis animalibus deterior, ut homines non eiusdem generis tantum, sed nationis civitatis tribus religionis odio habeas, oppugnes, prosternas: et quod ferae naturae bonitate appetunt, tu omni fera deterior asperneris malignitate morum.

Credebam ego aliquando solum esse infernas furias easque ultrices scelerum, abtrusas tartareis sedibus. At heic nobiscum plus quam furiae versantur homines mente vesana, nati ad supplicium bonorum. Quae enim Megaera, quae Tisiphone tam vexat animas apud inferos manesque, quam hi rabidi canes apud superos nostra torquent corpora furiis omnibus nequiores? Illae noxios puniunt, vos innocentes: illae umbras mortuorum plectunt, vos insequimini vitam vivorum: ille damnatos afficiunt poena, vos ut innoxii damnentur efficitis, illae demandatum sibi munus exercent, vos ab omni humanitatis munere recessistis exercentes iura iniquitatis. Verum est id profecto quod sapientes tradunt, divina haec permitti providentia ad institutionem nostram. Quo enim maiora intellexerimus discrimina esse vivendi, eo minorem huius vitae curam suscipiemus. Nam videntes quot subiciamur periculis, quot insidiis circumveniamur, necesse est, nisi plane desipiamus, revocemus mentem nostram paulum ab his rebus caducis et momentaneis ad maiora quaedam atque diviniora, parvique faciamus ea quae vel parta nocent, vel nequeunt longius detineri. Hos autem detestabiles delatores velut infames, odiosos, abiectos, diis hominibusque invisos, contemnamus et tamquam stercora et foetentes hircos abhominemur. Ite hinc in ma-

Iam crucem sacrilegi, gens fera, crudelis, barbara, immanis. Ut dii deaeque omnes vos malis exemplis perdant! Ite, inquam, quantocius ad fauces Averni, excedite a nobis, aufugite a nostro conspectu, vestro foetore liberate caelum. Vos infernus ubi erit vobis aeternum domicilium, vos furiae accinctae flagello et diris serpentibus, vos Cerberus tria guttura pandens, vos reliqua inferorum monstra expectant, ad vestrum adventum erecta atque excitata, apud quae luetis poenam facinorum vestrorum. Nam si declinabitis hominum iudicia, non effugietis iudicium summi Dei, qui vos reservat exquisitis quibusdam suppliciis, et aliis in locis peioribus torquendos. Non enim quae reliquos sontes vos manent loca, sed foeda quaedam, foetida, maesta, squalida, abscondita apud manes profundos, infra Tantalum, infra Titium, Titanas, Aloidas, reliquosque, qui ausi immane nefas fundo volvuntur in imo; socii ubi proditoris Christi Dei nostri, poenas dabitis aeternas. Aderit agmen furiarum, instabit, urgebit, insequetur fugientes, haerentibus diras ignium faces intentabit. Sed quid ego penes inferos differo vestras torturas? Hic hic sunt iam poenae sceleribus vestris constitutae. Iam vos vexant furiae, iam ignes admovent cum vobis subministrant malam mentem, cum fraudes suggerunt, cum male agendi tum voluntatem tum facultatem largiuntur, cum vos execrantur omnes boni simul ac mali, cum dies ac noctes vos exanimat scelerum conscientia; quos et vivos odit terra, et mortuos contemnet infernus; ut et superis odio, et inferis qui etiam malo gaudent, futuri sitis ingrati.

Superiorem quidem invectionem, quia generalis est, neminemque nominatim designat, integram edidimus. Nam Poggium non solum ex aliis eiusdem editis, verum etiam ex Vespasiani testimonio, singulari ingenio ad invehendum fuisse scimus. In epistolarum autem volumine graviter declamat, praesertim contra Fr. Philelphum, Laur. Vallam, Nic. Perottum, Iac. Zenum (quorum partim meminit etiam Vespasianus) aliosque nonnullos. Sed enim vehementiora convicia, turpes contumelias, maledicta indecora et saepe ut reor falsa, ne post quadringentos quidem annos recitare mihi placet. Certe ab hac litterariae professionis miseria et peste, maledicentia inquam, summopere abhorrendum est, ne humanae litterae humanitate, ut saepe fit, careant. Si quid tamen historiae utile erat, neque peculiarem infamiam prae se ferre videbatur, in sequentibus excerptis delibavimus.

EX EPISTOLIS INVECTIVIS.

Lib. XV. ep. 15. cod. f. 182. b. ad maledicum.

Democritus abderites adeo ob publicam hominum stultitiam ridere solitus erat, ut cum suis civibus demens esse videretur, accersitus ad eius curam Hippocrates cous retulerit, Democritum virum non stultum sed sapientissimum esse. Socratem quoque legimus a quodam petulantissimo adolescente pugno percussum, hortantibus qui aderant ad ultionem, quaesisse numquid si asinus quisquam eos calce laesisset, essent ne asino calcem reddituri? Virum optimum ac doctissimnm Colucium Salutatum audivi dicentem summae dementiae esse, si quem canis rabidus momordisset, illum morsibus ulcisci. Itidem ego ut Democritus insaniam tuam, ut Socrates lascivientem asellnm ac petulantem, et ut Colucius sentiebat catuli rabidi morsus, ridebo, despiciam, contemnam. Summa tua fortuna fuit, turpitudinem ac malitiam plus quam honestatem apud multos in pretio esse. Non si viribus Herculis essem, tot hominum monstra quot hodie undique pullulare videmus, mihi sumerem perdomanda. Haec ad praesens tuae scurrilitati dicacitatique responsa sint; futura temporibus parebunt.

Lib. IX. ep. 7. cod. f. 104. b. ad Gotardum cancellarium ianuensem.

De eo, quem Felicem (1) quintum appellas, ego autem verius primum infelicissimum omnium iudico, quid dicam aut quid potissimum clamem? Non enim flagitia capitalia, ut inquit ille, in civitate fieri videmus, sed quae universo orbi perniciem, pestem, et calamitatem videantur afferre *etc.* Ignem in Dei populum iniecit, quo fides catholica conflagraret *etc.*

Lib. VII. ep. 4. cod. f. 82. ad Iacobum Foscarum.

Omnium qui vivant flagitiosissimus Franciscus Philelphus, quamquam in numero doctorum atque eloquentium numquam est habitus, tamen omnem suam curam, omne studium collocat in maledicendi arte, ut detrahat bonis et probis viris. Scripsit primnm scurra nequissimus multa olim in Nicolaum nostrum, virum optimum atque integerrimum: cuius rei indignitate motus,

(1) Contra hunc typis edita extat Poggii invectio.

aumpto Nicolai patrocinio, compressi paulo petulantiam turpissimi nebulonis Scripsit idem adversum me plnrima, quae a me contemnuntur veluti abiectissimae pecudis balatus. Nuper vero insurrexit in virum praestantissimum atque optimum Cosmum de Medicis (1), ea fingens, licet insulse ut solet, quorum ipse in artificio versatus est, meque etiam interserit in hanc fabellam. Haec me, nt cetera, nihil movent: latrat enim famelicus atque esuriens canis ad ostendendam stultitiam suam. Est quidem insulsus, ineptus, inconcinnus, rudis, atque aridus, sine sapore, absque ulla facultate dicendi, ut praestet multo nobis hoc pacto vituperari ab homine nequissimo quam landari *etc.*

Lib. XII. ep. 1. *cod. f.* 142. *b. ad Petrum Thomasium.*

Plurima in Philelphum Nicolai beneficia extabant, qui illnm nudum, inopem, et tamquam e naufragio ad scopulos eiectum, hospitio, facultatibus, fortunis, omni denique ope, cum ille primum Nicolao accersente venit Florentiam, sublevavit, egitque ut in ea civitate ad legendos poëtas, artemque oratoriam tradendam, quarum facultatum se architectum praedicabat, publica impensa deputaretur. Summus inter eos erat communis vitae usus et consuetudo, una semper erant, una consilia communicabant, una de studiis et litteris conferebant. At paulo post *etc.* (*Narrat deinde, ut supra, Philelphi invectionem in Nicolaum, ut gratificaretur Leonardo aretino tunc temporis Nicolai inimico; cui invectioni prima oratione sua respondit Poggius. Postea sic pergit.*) Alteram deinde orationem impulsus novis nefarii monstri satyris, non mea sed amici causa conscripsi *etc.* Tum in me ipsum impetum fecit, multa tum versibus tum soluto sermone fingens, ut eloquens videretur. Utebatur ad haec edenda nefarii cuiusdam veneficique Iacobi pisauriensis opera, quondam eius discipuli, qui explorator primum, tum proditor se Philelphi gratia in meam familiaritatem insinuarat, domum meam adiens, et me benigne appellans, amicum mihi se esse simulavit, adolescens peracutus. Cum a me benigne humaniterque litterarum gratia, quarum se cupidum profitebatur, saepius exceptus esset, ad Philelphum plura contra me scripsit, hortans illum ad invehendum, multa fingens, in quibus ille nequam adolescens se mentiri profitebatur. At ego aciens quis esset Philelphus, quanti eius scripta vel somnia potius existimanda essent, quanti facienda eius iurgia et maledicta, nihil unquam respondi; omnia illa tanti existimans quan-

(1) Confer Vespasianum in vita Philelphi p. 637.

tu vilissimi nebulonis, ant pharmacopolae potius, verba a bonis viris sunt facienda. Latrare Philelphum sivi et more suo maledicta confingere *etc.* Accidit postmodum ut per Cincium romanum mecum de reconciliatione ageret. Ego omnia remisi erroribus illius, affirmans sicut multo tempore fecissem, taciturum me. Egit mihi gratias Cincius, qui hoc tribuerim amicitiae nostrae. Veni anno post Romam, ac mihi statim multi versus, quos contra me noviter fecerat, perque adolescentem quemdam Romam destinarat, oblati sunt; simulque alia quaedam, in quibus sane admodum risi, et fidem hominis laudavi et prudentiam, qui existimaret sibi cum homine elingui atque insulso congrediendum. Itaque perfidia eius motus scripsi tertiam orationem *etc.* Ego Philelphum non odi, sed mores *etc.* Scripsisti ad illum litteras satis humaniter pro concordia, sed videbis responsum eius. Superbior mihi crede, et tamquam nequam servi solent verberibus, in dies deterior fiet. Ita ardet cupiditate privandi me illa sua felicitate, quam in decimo conplectitur infamiae libro, ut bellum continuum malit quam ullam pacem, ne ea voluptate obloquendi privetur. Verum ut finem faciam, et ne pervicacem putes, parebo monitis et consiliis tuis, et ibi pedem sistam, ubi me collocabis, dummodo honori meo non detrahatur.

Lib. VII. ep. 7. cod. f. 84. ad Iacobum Foscarum.

Et superiorem epistolam una cum philelphea ineptitudine nuper a te accepi, et hanc qnam pridem Ulixes ad me detulit. Legi non satyram (quid enim minus redolet?) sed vesanae mentis indicem fabellam. Scribat, ut libet; malo me vituperari ab abiecto cadavere quam laudari. Ita ineptus est, inconditus, aridus, inconcinnus, nulla cum arte, nulla cum doctrina, nulla cum eloquentia *etc.* Una est inventa Senensis civitas, quae studio partium illum sustentet *etc.*

Lib. XV. ep. 16. cod. f. 183. ad Franciscum Marescalcum canonicum ferrariensem.

Quod mihi amice suades ut contemnam insaniam furentis illius bestiolae (*Perotti*) quae adeo acerbe contra me latravit nulla mea iniuria provocante, uteris officio boni viri, cuius est stultorum improbitatem atque impetus contemnere. Itaque parui adhuc consilio tuo, respondique illi paucis verbis, prout intelliges ex exemplari epistolae, quod ad te mitto * *etc.* Laurentius Valla ob ob eius stultam proterviam ab rege Aragonum olim repudiatus,

* Leg. p. 628.

reiectus, repulsus, confugit tandem ad pabula romanae curiae *etc.* Mirum est quosdam ex his semigraeculis (*dicit Vallam et Perottum*) mihi nescio quod bellum indixisse. Levitatem enim et garrulitatem, et si quid vitiorum in illa natione est, didicisse, auxisse, percepisse videntur: ut mihi aliquando satius futurum fuisse videatur illorum carere doctrina, quam cum nescio quibus litteris nonnullos tam leves, tam malos, tam dicaces, tam improbos evasisse omni carentes virtute. Non tamen bonarum artium ea culpa est, sed perversae naturae eorum, in quibus etiam bonum semen in malam messem verti necesse est.

Lib. XV. ep. 19. cod. f. 184. b. ad Albertum Parisium cancellarium bononiensem.

Gaudeo, mi Alberte, et summe laetor, cum video adhuc superesse qui linguam latinam sua sint doctrina et eloquentia ornaturi. Amisimus summos certe et eloquentissimos viros, qui nomini nostro magnam gloriam attulerunt; alios vero, qui eis in eadem laude succederent, paucos conspiciebam. Dolebam sane non surgere atque eminere aliquos qui restituerent aut conservarent eloquentiam iam paene restinctam. Neminem enim videbam, de iunioribus loqnor quos quidem noverim, paucis exceptis, in quo aliquod specimen eloquentiae aut virtutis insignia apparerent. Arrogantes, praesumptuosos, impudentes, elatos, insolentes, plures conspiciebam, quorum sub doctrinae simulatione natura immanis, mores improbandi, multa vitia laterent, ut execranda potius quam aliqua ex parte laudanda ea ingenia viderentur, quae tam procul essent a virtutis familiaritate Nunc vero paululum recreatus sum, cum et a te et a Bartholomaeo Ghiselardo litterae mihi redditae fuerint, scriptae admodum eleganter, verbisque ornatis et sententiis gravibus refertae. Coepi persuadere mihi non esse omnino humanitatis et eloquentiae studia peritura. Video enim vobis ea dicendi semina inesse, quae si adoleverint, confido maiorum nostrorum vos laudem repraesentaturos. Quamobrem te etiam atque etiam hortor ut prosequaris eloquentiae studia et virtutis; neque ex his sis, qui cum sibi per summam stultitiam persuaserint se doctissimos atque eloquentissimos esse, neque ad doctrinam ullam neque ad eloquentiam pervenerunt. Laudat quisque quod se putat assecuturum: plurimique sunt qui ipsi sua legant cum suis, aspernenturque meliora. Neque vero miror plures esse perverso iudicio aetate nostra, eisque insulsa, arida,

inepta, stolida placere: nam infirmo gustui bona displicent; cum Ciceronis eloquentia a multis fuerit improbata, qui magis sibi asiaticam, quam se assequi posse confidebant, quam atticam eloquentiam quam desperabant, placere asseverarent. Nihil unquam stultius, nihil insulsius, nihil inelegantius, nihil barbarius, nihil deterius quam scripta Laurentii Vallae, cuius dicta fugias tamquam pessimi haeretici et a fide aberrantis. Insipide praeterea, pueriliter, absurde, inepte, inconcinne velut infans loquitur. Attamen nonnullos stultos et dementes sui similes laudatores invenit, et in primis poëtam nostrum novellum absque ulla poësi, non laureatum (1) sed larvatum Nicolaum Perottum. Te vero nihil delectet, nisi eloquens, tersum, elegans, politum, in quo elegantia sit coniuncta prudentiae. Lege in primis Ciceronem nostrum, Lactantium, Livium, Sallustium, Iustinum, ·Q· Curtium, reliquosque, quos audis vulgo ab omnibus comprobari: nam communis de viris doctis opinio raro fallitur. Siqui stulti unum aut alium laudant, contemnas stultorum iudicium, et tibi potius crede recta sentienti, quam his novellis male iudicantibus portentis, quorum scripta cito arescent, siquando stultitia non erit tot patronis suffulta *etc.*

Lib. XV. ep. 26. *cod. f.* 188. *b. ad Bartholomaeum Ghiselardum.*

Vide quam perversa ac facinorosa sit Laurentii Vallae natura. Nunquam desistit ab excellentium virorum obiurgatione. Etiam anno praeterito dum Romae essem, cum Virgilium et Ciceronis ad Herennium libros legeret, utrumque acriter quotidie reprehendebat, alterum ut parum consideratum poëtam, alterum ut in arte dicendi praeceptis aberrantem; quo nullum maius fanaticus ille dementiae et insaniae vestigium edere potuisset. Se autem ita iactabat et efferebat, ut omnibus antiquis scriptoribus anteponeret. Eo autem stultitiae progreditur, ut se palam dicat ·M· Varrone doctiorem, quem scis adeo a Cicerone nostro laudari, et etiam a beato Augustino, ut in nullum maiores laudes conferri possint. Itaque opus esset non verbis sed fustibus et clava Herculis ad hoc monstrum perdomandum et discipulos eius; inter quos stultitia, temeritate, iactantia eminet crinitus vates noster Nicolaus Perottus. Scio Perottum nostrum meam in eum laudatiunculam (2) ut in multis et praesertim in latinis aberrantem

(1) Nicolai Perotti laureata imago extat adhuc picta in cubiculis praefecti bibliothecae vaticanae.

(2) Id est invectionem. De hac anonymus ad Poggium lib. XVI. ep. 36.

reprehensurum, in quo nullum responsum a me feret: aut enim linguae latinae non ignarus sum, aut iam minime tempus est amplius in hac aetate discendi. Quamquam si ocium esset cum his prodigiis de verbis latinis disserendi, plane ostenderem, Perottum et magistrum eius procul esse ab ea doctrina, in qua alios reprehendunt. Sed reservo hanc provinciam in id tempus cum in manus meas venerint eius traductiones, quarum particulam legi Romae satis insulsam ac in multis labentem, et a linguae latinae proprietate deviantem (1). Bartholomaeus Facius vir eloquentissimus unico libello errores complexus est Laurentii Vallae, quibus refersit nescio quam historiunculam ineptam, quam de vita Aragonum regis (*Ferdinandi*) conscripsit. Huius errata tot sunt, ut pluribus libellis essent exprimenda *etc.*

Lib. XV. ep. 36. cod. f. 192. b ad Bartholomaeum Ghiselardum.

Antonius Pius uxori multos esse dicenti, qui de se obloquerentur, animadversionemque postulanti, respondit sapientissime: non esse id curandum, cum satis provisum esset ne possent nocere. Hoc a me omnibus detractoribus, maledicis, invidis, responsum velim: latrent, detrahant, obtrectent, sibi morem gerant quantum libet. Id egi in omni vita ut nulla eorum labes mihi haerere queat. Evanescent, et in fumum convertentur iurgia eorum, quibus ipsis plus oberit sua invidia quam mihi. Est ubique magna improborum copia, et semper virtus in paucis fuit. Neque vero haec civitas (*scribit Florentiae*) invidis aut malivolis caret. Felix esset nimium haec aetas, si eiusmodi vitiis esset omnino libera. Sunt multi qui in plateis laudant, in angulis rodunt. Legi ea quae ad me misisti, quae nihil me commoverunt: miror cur non scripserint plura et deteriora. Malo eiusmodi homines detrahant, quam blandiantur *etc.* Dicas Perotto, eum prius sibi consulere debuisse quam mihi: nam si quem virum bonum aut gravem consuluisset, non esset ingressus id exercitium, ex quo plus dedecoris quam laudis est reportaturus *etc.*

cod. f. 204. b. *Nicolaus Perottus tuus posteaquam orationem tuam contra se editam legit, et vulgari sensit, mirabiles ac ridendos nobis edidit ludos. Tamquam cicutam socraticam bibisset, coepit totus animo frigescere, et paulum remittere de illa solita elatione et fastu, quo praeter modum inflatus et tumens incedebat: vecors ac maestus vultu stuporem quemdam prae se fert, et velut icto capite attonitus fanaticum redolet: neque crines solito more quatit. Quid quaeris? E verbosiore semimutus fere evasit. Cum palatio egreditur, quod fit perraro, circumspicit an magis solito in se ora hominum vertantur etc.*

(1) Contra Perottum gravius adhuc invehitur Poggius lib. eod. ep. 17.

Lib. XVI. ep. 26. cod. p. 205. b. ad Petrum Thomasium latissime gravissimeque invehitur Poggius in Vallam, quem ei reconciliare studebat frustra Thomasius. Tot immania convicia non est certe officii mei recitare, praesertim quia praecipuam habent originem ab immodica Poggii ira. De eius quidem opere elegantiarum latinae linguae ita scribit: lege diligentius inelegantias eius; nullum priscum virum reperies ex his, qui propter doctrinae claritatem ab omnibus celebrantur, non ab eo inscitiae reprehensum, non contumelia lacessitum *etc.* Non solum in gentiles, sed etiam in Augustinum, Hieronymum, Lactantium, omnesque insuper philosophos invectus est *etc.* Nulla in eius dictis aut opusculis eloquentia, nulla venustas, nulla elegantia, nulla gravitas, nulla doctrina. Scio ego doctissimos viros, qui sunt in romana curia, illum infautissimum atque insanissimum iudicare *etc.* Latrent et sentiant ut lubet. Ego ita sum sceleribus plenus, et doctrinae inanis, ut in romana curia annis quinquaginta scriptor, et ex his quadraginta, Pontificum quatuor secretarius, summa cum laude vixerim et dignitate; in hac vero florentissima urbe (*Florentia*) quae me ultro ad se vocavit, ocium cum dignitate, quae duo praecipue civibus optanda sunt, fuerim consecutus. His cum Valla et sectatores eius fuerint potiti, tunc se collaudent, et detrahant reliquis *etc.* Pascentur antea in aethere cervi, quam ulla mihi deinceps cum illis prodigiis familiaritas sit futura.

Lib. XV. ep. 23. cod. f. 186. b. ad Iohannem aretinum V. C.

Ago tibi gratias, mi Iohannes, quod tuis humanissimis litteris me maximo angore animi liberasti. Eram certe paulum tibi, et immerenti ut video, subiratus. Credo enim plus verbis tuis, quibus mecum summa cum benivolentia uteris, quam aut coniecturae, aut cuivis alteri, qui forsan inter nos discidium vellet. Sed tamen commotionis in te meae initium omne profectum est a Nicolao Perotto, qui fuit Vallae discipulus, ita illius imitator, ut nihil ab eo neque insania neque arrogantia neque impudentia neque scurrilitate differat, sed alter Valla amentia et nequitia esse videatur. Quod ut plane referam, necesse est ut causa meae indignationis paulo altius repetatur. Scis contentionem, quae inter me dudum et Laurentium Vallam fuit, non a me sed ab eius proterva dicacitate profectam, cuius iam penitus oblitus eram; atque ea, quae post recessum meum scripsit et edidit, contempseram ut verba furentis hominis atque fanatici. Vacabam

quippe melioribus studiis, et docto homine dignioribus: quieto, Deum testor, eram animo, senectutem meam in ocio honesto, et homini non omnino inerudito accommodato, cupiens collocare. Cum interim ad me affertur exemplar epistolae cuiusdam, quam iniquus ille (*Perottus*) adversum me scripserat in excusationem et laudem Laurentii Vallae. Exarsi, mihi crede, paulo vehementius, quam deceat sapientem virum, conspiciens illum nulla in re dicto aut facto a me lacessitum, tam petulanter tam sordide suam contra me nequitiam edidisse.

Eodem ferme tempore te Laurentio favere intellexi in assequenda dignitate, ad quam diutius inhiavit. Visum est mihi quandam coniurationem detestandam contra me per canes laurentianos factam: neque tunc rabidi caniculi ad lunam latrantis verba tam magni feci, quam tibi succensui, tamquam Laurentii fautori, qui in eadem esse culpa videreris. Motus ergo tum litteris, quae mihi a curia allatae sunt, tum a nequissimo furunculo provocatus, scribens ad praestantissimum virum mihique amicissimum Petrum de Noxeto pro dignitate nostri officii conservanda, addidi aliqua contra te. Siqua tum scripsi acrius quam vellem, aut quam tua in me benivolentia postularet, culpam conicito in alios. Sed vide quanta sit virtus humanitatis ac prudentiae: siqua in re vel me etiam laesisses, sicui contra meam voluntatem favisses, sicui te patronum in meam contumeliam praebuisses, tanta est tuarum litterarum suavitas, summae caritati coniuncta, ut tuorum verborum, tamquam Amphionis citharae iucunditate motus, tibi omnes iniurias siquae a te profectae essent remitterem, omniumque obliviscerer simultatum. Ego te, mi Iohannes, semper dilexi; meque a te diligi, mihi persuasi; tuisque rebus secundis, ut tu ipse testis esse potes, non secus ac meis sum laetatus, semperque plurimi feci amicitiam tuam; ut nedum contra tuum nomen scriberem, sed adversus scribentes pro tua laude pugnarem. Scis iram procul ab omni consilio esse, quae tamen ipsa quandoque iustis ex causis excitatur.

Neque vero a te peto ut non pro tuo arbitrio laudes quos velis, neque prohibeo quin tuo more gratus sis omnibus, nullam tibi cuiusvis hominis consuetudinem interdico, neque veto quominus iis faveas quos aliqua virtus nobilitavit. Stultus nimium essem si tibi praescriberem quatenus a te aliquis amandus esset, aut postularem ut quempiam propter me odisses. Esse vero in curia doctissimos viros, et traductioni litterarum graecarum aptissimos, summe laetor; copiosiorem enim efficient linguam la-

tinam; quos si amas, fungeris officio boni viri, idque ego summe in te laudo. Si enim quos nunquam vidimus etiam diligimus propter eorum virtutem, quanto maiori affectione esse debemus erga illos, quos praesentes conspicimus, quibuscum loquimur, quorum doctrina et moribus meliores sumus? Ego sane te hortor ut tales viros omni benivolentia complectaris: est enim vel maximum bonitatis signum, bonos diligere ac sequi. Quod ad Laurentium vero attinet, efferas illum atque extollas quantum libet. Multorum latent vitia, dum in humili loco iacent: ubi vero tamquam in basi sublimius eriguntur, apparere necesse est, quae antea in obscuro vitia occulta erant. Unum tamen dicam, nimiam Maecenatis in nonnullos indulgentiam, multos praeter Apuleium in asinos non aureos sed stuppeos transformasse. Multa, quae in tuam excusationem narras, praetereo; non enim, cum mihi probata sint, ullam responsionem requirunt. Delenda est enim ex animo omnis siqua praeteritorum aerugo suborta forsan inter nos fuisset, et prior est in usum amicitia revocanda. Quod vero scribis te saepius honorifice de me cum Pontifice fuisse locutum, et plura in meam dixisse commendationem, id nullo meo merito, sed tua humanitate scio abs te factum esse, deque eo tibi gratias ago, et ut itidem in futurum agas rogo. Unum scias ex me, prout scis: nolo non nostra tempora sed futura de nobis nostrisque ingeniis et moribus, quae procul ab omni invidia remota erunt, iudicare: neque ego si quid dignum laude agerem, praesentis aetatis mercedem expecto sed futurae. Vale, et me ama. Exemplar epistolae Nicolai Perotti insulsissimi paedagoguli, ut videas an iuste commotus sim, tibi legendum mitto, quod cum legeris, in ignem proicias volo. Florentiae.

Post deplorandas inimicitias, in quibus se mutuis conviciis duo egregii viri Poggius et Perottus prosciderunt, pax demum affulsit interventu incluti Cardinalis Bessarionis, tunc Bononiae legati, in cuius familia erat Perottus, ut Vespasianus aliique aiunt. Ergo Poggius Bessarionis intercessioni sequente epistola sic pacate respondit.

BESSARIONI CARDINALI.

C. f. 199. b. Ago tibi gratias quas possum, reverendissime in Christo Pater et domine mi carissime, qui pro tua humanitate et pristina erga me benivolentia, magna me molestia animi liberasti, ostendistique boni viri esse, qualem te semper existimavi, dissensiones ad concordiam, et inimicitias ad benivolentiam revocare. Au-

gebar antea animo, et graviter ferebam insidias mihi parari (1) ab eo quem minime oportet; versabamque varias mente cogitationes, ulciscenda ne an obliviscenda talia contra me inita consilia viderentur. Sed receptis tuis gravissimis atque prudentissimis litteris, deposui omnem curam atque animi anxietatem, quae me admodum detorquebat. Intelligo enim, quae ad me delata erant, falsa esse, quod quidem mihi est iucundissimum. Ego, mi Pater praestantissime, non sponte mea sed coactus olim alterius contumeliis et maledictis, ne viderer talis esse qualis describebar, descendi in certamen mihi molestissimum, putans mei officii esse famam et nomen meum adversus detractantium maledicentiam tueri. Sed utendum est amnistia illa Ciceronis nostri, et praeteritorum memoria perpetua oblivione delenda. Excusationes tuas libenter accipio, et quae scribis, fuisse vera et fore confido. Novi excellentiam virtutis tuae, novi probitatem, fidem, et religionem: novi humanitatem et benivolentiam quam adversus me ostendisti, qui fui semper deditissimus tibi. Scio me a te diligi, et tibi percaram esse salutem meam. Nunquam tamen adduci potui ut crederem Nicolaum velle suae adolescentiae primitias tam nefario scelere nobilitare; sed tamen et irae et odii vires multa posse cognoveram; et tam firmis coniecturis res niti videbatur, ut satius esset timidiorem se ostendere, quam parum cautum videri. Ego, quod bonorum virorum est, et odium siquod adversus Nicolaum conceperam depono, et tacebo deinceps, neque quid dicam aut scribam, in quo nomen illius laedi queat. Ipse ad me humanissime scribit, se purgans ab iis quae obiciebantur, ac ultro offerens amicitiam suam. Cui respondeo, prout videre poteris, per litteras meas. Hoc tibi persuadeas velim, me in tua potestate esse futurum: et siqua etiam in re Perottus me laesisset, tui gratia omnem iniuriam remissurum, et ea quae mihi offert caritatis officia recepturum. Hoc in calce epistolae adiciam, me tuis litteris tanta caritate ut ad filium scriptis devinctum esse tibi affectione animi sempiterna.

NICOLAO PEROTTO.

Discidii, quod inter nos dudum fuit, tumet testis es optimus nullum a me crimen processisse. Quiescebam enim, et te laudabam pro labore quem susceperas in Polybii libris ad linguam nostram traducendis. Tu scis an docti et bene instituti adole- C. f. 210.

(1) Lege inferius alteram epistolam ad Ioh. aretinum.

scentis officium requireret de me scribere quae scripsisti; quod cum mihi indignissimum videretur, et aegre ferrem te indignam tua doctrina provinciam suscepisse, scripsi prout tua provocatio requirere videbatur. Haec ob eam rem dixi, ut recognocas, quod tibi notissimum est, non fuisse me auctorem interrumpendae benivolentiae nostrae. Secuta est postea suspicio non temere a me suscepta, quam gaudeo inanem et falsam esse, laetorque datam ex eo occasionem ut tales inter nos simus, quales utriusque virtutem decet. Itaque placet mihi quod prudenter scribis, te velle resarcire pristinos errores caritate futura. Ego non solum amicitiam tuam, qui es mihi notissimus, sed etiam ignotorum, in quibus aliquod specimen eluceat ingenii, appeto. Itaque deposita atque aboleta praeteritorum scriptorum memoria, te propter aetatem ut filium diligam, et ut virum litterarum studiis praeditum habebo inter amicissimos. Non est insuetum ut viri docti quandoque odio dissentiant. Scis Ciceronem nostrum et laudasse ·M· Crassum, cui fuerat inimicissimus; et Vatinium, contra quem acerrime scripserat, postposita inimicitia defendisse.

Excusatio, quam facis et prioribus et his litteris, te nullum adversus meam salutem consilium cepisse, pergrata est mihi: malo enim te rectis consiliis quam improbis uti. Sic enim te hortor, ut iam videas te a me diligi, ut aetatis tuae hoc est honestatis rationem habeas, ut ea agas, cogites, mediteris, quae te clariorem virtute et meliorem queant reddere: ut tui quondam praeceptoris iactantiam et contumaciam fugias; ut bonos viros colas; ut viri summo ingenio summaque doctrina, fide, probitate, gravitate, virtute praestantis, reverendissimi patris domini Cardinalis monitiones et instituta sequaris: non enim aberrabis, si tanti viri monita fueris imitatus. De me autem ita polliceor, me nihil deinceps de te, nisi cum tuo honore et laude locuturum. Omnia certe faciam, quatenus facultas erit, ut intelligas te a me amari, utque docti omnes cognoscant hanc nostram reconciliationem. Litterae tuae admodum mihi placuerunt, humaniter et summa cum modestia scriptae. Des modo operam, ut quae scribis, animo sentire videaris. Quod si egeris, ut olim ex Tydei et Polynicis certamine summa amicitia consecuta est, ita fore inter nos spero ut haec nostra verborum concertatio firmioris amicitiae causa sit futura. Vale, et ut polliceris, quoniam id mutuum fiet, me ama.

FRANCISCO COPPINO.

Gratissimae sunt mihi litterae, quas scribis in excusationem Nicolai Perotti; sed maiorem in modum mihi gratum fuit quod scribis de immutata ipsius in melius voluntate, et quod cupiat in priorem benivolentiam redire, quae omnem animi molestiam abstulerunt. Credo esse vera quae scribis; nam mirabar, Nicolaum adeo perditae mentis esse, ut tam scelestum facinus procuraret. Sed tot coniecturae aderant, ut quemvis monere potuissent. Carum tamen est mihi, hanc suspicionem incidisse, quae facta est causa nostrae reconciliationis. Ego deinceps Nicolaum diligam ex animo. Commenda me domino Legato, cuius litteris respondeo. Vale. C. f. 200. b.

IOHANNI ARETINO SUBDIACONO APOSTOLICO.

Scripsi ad te olim causam meae contra te indignationis fuisse, ut scis, factionem fautorum Laurentii Vallae, cui suspicabar, ne ultra quam spectaret ad te virum prudentem mihique amicissimum, faveres. Et ne putares me frustra commotum, misi ad te epistolam Nicolai Perotti, quam adversus me scripserat, nulla in re a me provocatus, sive impetu quodam adolescentiae effervescentis sive ab aliis impulsus. Dixi quoque scripsisse illum contra me orationem quamdam, credo magis aliorum hortatu quam sponte sua, cui necessario respondi, ne viderer tacendo alteri cedere adversus me insurgenti. Secuta est postea non tantum suspicio, sed verisimilis coniectura quaedam, parasse illum sicarios in meam necem (1), quod mihi et amicorum litteris, et cuiusdam verbis nunciatum fuit. Sed postea plane compertum est, eam suspicionem mihi falso fuisse obiectam, ipsumque Nicolaum huius criminis insontem: quod mihi et litteris reverendissimi domini mei domini Legati, et duabus ipsius Nicolai, multorumque praeterea, qui mihi sunt summa coniuncti benivolentia epistolis est persuasum. Sed epistola Nicolai posterior se purgantis, et mihi amicitiam polliceutis, cum humanissime scriberet, velle me sibi esse parentis loco, multaque praeterea quae ad nostram reconciliationem spectarent, effecit ut non solum suspicionem deponerem iam conceptam, sed omnis praeteriti temporis iniuriarum oblitus, pollicerer, me ei et parentis et amici C. f. 209. b

(1) Parem criminationem obiectam Poggio ipsi, quasi parasset sicarios contra inimicum suum, alibi videbimus. Tanta est inimicitiarum caecitas, ut umbras pro corporibus saepe vereatur!

officia, deposita praeteritorum memoria, praestiturum. Haec ad te consolandum scripsi, quem hominum tibi amicissimorum reconciliationem benivolentiae summa cum animi voluptate auditurum scio. Ego is sum, mi Iohannes, quem humanitas et boni viri officium ac doctrina ad amorem facile possit allicere; maledicos et detractores non facile patiar, sed iniquo animo feram. Nicolaum vero deinceps ita omni caritate complectar, ut omnes intelligant me nemini cedere in amicorum benivolentia conservanda. Vale.

NICOLAO PEROTTO.

C. f. 209. Non respondi citius litteris, quas proxime a te accepi, quoniam et parum otii mihi superest a curis tum publicis tum privatis, et pluribus scribendum erat ut morem gererem voluntati tuae. Aetas quoque me tardiorem reddit ad multa, in quibus tum animi tum corporis quieti consulendum videtur. Litterae tuae fuerunt mihi gratissimae et officii plenae ac benivolentiae. Ego, mi Nicolae, maiorem in dies voluptatem capio reintegrationis nostrae, quam utrique summae consolationi futuram puto. De me quidem ita existimes velim, me daturum operam ut omni in re satis faciam amicitiae nostrae, quod ipso opere experiere. Quod a me petis ut scribam alicui de reconciliatione nostra, et te purgem a suspicione criminis quae obiciebatur, ego tibi obsecutus sum: nam cum duobus tantum de te scripsissem, reprehendens quod ultro me lacessisses, ad eosdem repetitis superioribus litteris epistolas dedi, quarum exemplar ad te mitto. Hi sunt Iohannes aretinus summi Pontificis subdiaconus, et Franciscus Marescalcus canonicus ferrariensis, quos scio gavisuros esse ex hac gratia inter nos reconciliata. Si quid a me amplius scribi velis, libenter faciam quicquid noverim tibi gratum fore. Vale, et me ama; in primis autem me domino Legato commenda. Florentiae.

FRANCISCO MARESCALCO V. C.

C. f. 210. b. Scis verborum dissensionem, quae nuper fuit inter me et Nicolaum Perottum, ex qua secuta est suspicio quaedam consilii adversus meam salutem initi, quam postea comperi falsam esse. Ex litteris enim nonnullorum amicorum et verbis etiam certior factus eram, insidias vitae mihi ab eo paratas esse: qua re vulgata, ex plurium et ipsius Nicolai etiam epistolis se ab eo crimine purgantis inanem esse comperi eius rei coniecturam, quae tunc verisimilis videbatur. Non solum autem Nicolaus se purgavit a crimine, sed amicitiam mihi obtulit, quam libenter ample-

xus sum. Decrevi enim, oblitterata praeteritorum memoria, eum habere loco filii, nihilque deinceps aut loqui aut scribere, in quo uomen eius aliqua iu re offendi possit. Ipse ad me iam tertio scribit perhumaniter, et ita ut plane confidam mutuam deinceps inter nos caritatem fore. Nam et natura mea propensa est ad beuivolentiam, et ipse deinceps reiectis malis suasoribus aget ea quae spectent ad amicitiae nostrae conservationem. Credo enim magis aliorum impulsu, quam sua voluntate, ad scribendum contra me prosiluisse. Sed ut video, hoc discidium utile fuit, quo firmior reintegrata benivolentia futura esset amicitia nostra. Hoc ad te scribo, quia scio id tibi iucundum fore; tum ut intelligas mei officii esse habere Nicolaum filii loco. (1) Florentiae.

ALBERTO PARISIO CANCELLARIO BONONIENSI.

Redditae sunt mihi litterae tui et Bartholomaei nostri nomine scriptae, quibus mihi significatis, vos mearum epistolarum C. f. 203. b.
volumina recepisse, easque admodum placere vobis. Gratum est mihi maiorem in modum iudicium vestrum, qui cum sitis doctrina et eloquentia praestantes, collaudatis vigilias meas ultra quam forsan veritas patiatur. Hoc prodire conspicio ex praecipua quadam vestra erga me affectione. Delector tamen commendatione vestra; sed quanticumque sint existimandae, aliorum iudicio relinquo; nihil enim in eis mihi arrogo, qui scio qua facilitate (2), qua celeritate, quibus persaepe occupationibus illas scripserim; sed ut ille dicere solitus erat, hunc mundum tamquam mercatum esse, in quo varia ad vendendum exponerentur; et cum non omnes easdem facultates afferrent, quemque pro copiis sumptum facere; ita epistolae meae propositae sunt omnibus, sed iis praesertim qui tenui sunt censu: uam divites et fortunatos scio quaerere opulentiora. Secundum vero volumen quod petitis est in manibus, cui quotidie aliquid adicio quod videatur lectione dignum. Cum tempus erit, te compotem faciam desiderii tui.

(1) 'Ad huius illaudatae controversiae complementum, adnotare placet, Vespasianum quatuor dicere fuisse Poggii in Perottum invectiones; ab ipso tamen Poggio Lib. XV. ep. 27. unam commemorari his verbis ad Franc. Marescalcum: *intelligo probari tibi orationem qua petulantiae Nicolai Perotti, qui in me acerrime invexerat, respondi etc. Nam quod iacturam temporis in ea oratione factam quereris, scias parvam illam fuisse, quae potius excitavit ingenium, quam a pristinis studiis avocavit etc.* A Perotto autem lacessitum fuisse Poggium, primum epistola, deinde oratione, dicitur lib. eod. ep. 28.

(2) Id diserte confirmat iu Poggii vita Vespasianus.

Oratiunculam quam petitis contra Amedeum scriptam, mittam ad vos cum primum reperero cui recte credi possit.

Quod quaeritis Teucri ne an Turci dici debeant hi nostrae fidei hostes, ratio mihi eorum nominum incerta est. Teucrorum tamen nomen antiquum scitis esse a Teucro ductum, et ab eo Troianos Teucros appellatos. Post excidium vero Troiae, legimus nullam gentem hoc nomen in Asia usurpasse, quod noviter et nostro saeculo videtur esse excitatum. Potius eos dixerim Turcos, novo nomine, quod aliis multis nationibus contigit, cuius rei ratio nulla extat. Tartari hodie ii appellantur, quos priscis temporibus Scythas dicebant. Macedonia, Epirus, Aetoli, novum nomen sortiti sunt. Hungari antea Sarmatae erant. Poloni ac Boëmi alio nomine appellabantur. Progenitorum huius nostri hostis origo et nomen ante centesimum annum obscurum erat, cum intra minoris Asiae terminos contenti essent. Postea frater quidam imperatoris constantinopolitani, in odium fratris bellum sibi inferentis, urbem Callipolim quam tenebat in Hellesponto, ex quo brevis in Asiam transitus est, maioribus istius dedit ante annos ferme nonaginta (1). Hoc Europae aditu illis patefacto, omne Graecorum imperium occuparunt. Quod autem magis proprium sit illorum nomen, viderint earum rerum curiosiores.

Doctissimum virum meique amantissimum Benedictum Morandum sumere laborem comprimendi insaniam Laurentii Vallae, quam effudit in redarguendo Tito Livio, summe placet mihi: sed, ut aliàs scripsi, non solum Titum Livium sed et alios priscos doctissimos viros illa maledica lingua et sacrilega manus redarguit, persequitur, culpat, et velut ignaros damnat. Inter ceteros vero Aristotelem multis in locis in dialecticis et physicis reprehendit, componens libellos nescio quos reprobos, insaniae et stultitiae suae testes, qui cum ab omnibus rideantur, ipse tamen pervicaci capite perstat in sententia. Sanctum quoque Hieronymum mirabiliter mordet in quodam opusculo, quod de eius ut putat erroribus in transferendo, composuit. Boëthium quoque arguit male scripsisse de Trinitate (2). Beatum insuper Augustinum reprehendit, quod male senserit de praedestinatione divina. Itaque non homo hic est, sed monstrum immane, cuius dementia non verbis cohercenda esset, sed igne punienda: et nisi

(1) Callipolis anno ·M·CCC·LVII· in Turcarum potestatem venit. Hammerus hist. imp. osman. T. II. p. 298. ed. ital.

(2) Reapse elegantiarum Vallae lib. VI. capitulum 34, ubi de Boëthio, inter libros pontificali censura notatos iamdiu relatum fuit.

Pontificis humanitas eum protexisset, iam multis auctoribus dedisset errorum poenas (1). Iucundissimum erit mihi videre quae scribat Morandus noster, ut aliquid salis ad epulas eius addam. De pecunia quam dicis te Nicolao dedisse, amice fecisti; cum eam habuero, te faciam certiorem Scribo epistolam quamdam ad magistrum Petrum Thomasium venetum (2) cuius exemplar ad te mitto, quod communuices cum Perotto nostro, quem scio ab Urbe redisse refertum ac suffarcinatum doctrina et eloquentia laurentiana. Vale, mi Alberte; et Bartholomaeo quoque, nam ambobus scribo, meo nomine salutem dicas. Florentiae.

VIRO INSIGNI PETRO THOMASIO VENETO.

Plus quam ingentes ago tibi gratias, vir praestantissime, pro singulari amore, quem et verbis et litteris erga me ostendisti. Id enim proprium amoris signum esse videtur, castigare amicum, monere errorum, et velle efficere sua opera meliorem. Hoc boni amicique viri officium cum abs te mihi praestitum fuerit, non agere sed referre tibi gratias deberem pro tanto beneficio, quod certe est exquisitum quoddam et singulare. Sed ut ad litteras veniam tuas, humanissimas illas quidem et summa cum eloquentia scriptas, ad id primum, quod magis me afficit, respondebo. Fateor, mi Petre, est enim ingenui animi errorem suum fateri, me olim errasse in eo quod retuli in meis confabulationibus cuiusdam contra Venetos dicacitatem (3). Sed id neque a malivolo animo prodiit, neque alieno a dignitate praestantiaque illius reip. quam semper propter summam quae in ea servatur iustitiam, propterque multorum excellentium virorum sapientiam, colui; neque propter detrahendi cupiditatem, sed inconsiderata quadam, ut me in eo accusem, libertate loquendi me id scripsisse fateor, non advertentem quid ex eo dicto essent iudicaturi homines, sed mordacem illius responsionem. C. f. 140.

Res vero ita accidit, ut videas me non iudicio sed scribendi varias fabellas cura adductum, ea verba in confabulationes coniecisse. Sex iam abhinc annis cum illas fabellas coepissem scribere, ostendi cuidam quae a me scriptae ad eam diem erant, ut eas probaret iudicio suo. Ille eas cum admodum laudasset; et hoc addas, inquit, licet; mihique rem ut a me acta est enar-

(1) Nota sunt, quae de criminationibus publicis in Vallam historia narrat.

(2) Puto acerbissimam illam 26. libri XVI, cuius excerptum dedimus p. 634.

(3) Extat in facetiis, quas Poggius saepius confabulationes dicit, responsum quoddam acutum hominis florentini quo Veneti proditores appellantur.

ravit. Quod ego statim arripui, interque alia conieci, non considerans quatenus id multi essent accepturi. Postmodum non relegens praeterita, sed quotidie nova addens, eam et plures alias sententias sum oblitus, memoriae culpa: ut nonnulla iterarem scribendo, quae postea admonitus delevi. Equidem fateor, mi Petre, cum tuas litteras recepi, paululum erubuisse talia a me scripta, cum eorum nullam memoriam tenerem; sed e vestigio e meo volumine delevi, et a duobus aliis quae erant transumpta. Non sum neque Deus neque divina stirpe satus, ut prisci heroës, ut errare non possim: sed satis est cognoscere errorem et fateri culpam. Nunquam sum adductus aliquo studio aut reip. aut civibus maledicendi; quippe qui sciam esse in ea plures singulares sapientia viros, a quibus et verbo et opere castigari et corrigi possem; mihique praeterea sit cum multis summis vestrae reip. viris vetus amicitia et consuetudo. Sed trahere omnia in peiorem partem, et iniqui animi est, et non recte iudicantis. Miror tamen talem, tam gravem, tam morigeratam urbem, ob parvulum dictum, esse adeo in me excitatam, cum nihil a me in eo libello inventum sit, sed dicta aut facta aliorum relata. Fateor ac etiam profiteor, vestram remp. optime et legibus et moribus institutam; sed tamen redigere singula ad perpendiculum, ut non verborum tantum, sed actus quoque et gestus, spuendique in publico, tamquam apud stoicum sapientem, ratio sit habenda, nimium curiosi, certe inhumani, esse videtur: ut si mihi detur optio, malim apud nos rusticus esse, quam apud vos urbanus, loquendi et iocandi et quandoque reprehendendi libertate sublata. Sua cuique placet sponsa, ut Cicero ait, mihi mea. Tibi tamen plurimum debeo, qui defensionem meam apud obloquentes suscepisti. Sed si scirent quanti eorum opiniones et voces faciam, parcerent verbis, neque spiritum consumerent, quem rectius in somno quam in vigilia collocarent. Et haec de confabulationibus; quae si satis faciunt tibi, gratum erit mihi videri maiori ex parte esse me extra culpam; sin vero minus, contentus ero conscientia mea.

Venio nunc ad causam nobilitatis; qua in re priusquam tibi respondeam, pauca mihi sunt praemittenda. Scio, mi Petre, omnia quae scribis ad me, optimo te animo et sincera mente scribere, et singulari erga me amore adductum: sed quidam apud vos sunt, qui magis quam deceat blandiantur opinionibus suis, et quae ipsi de se existimant et praesumunt, ab aliis quoque extimari credunt: ac solos se prudentes, solos eloquentes existimant, contemptis ceteris: sua vero tanti faciant, ut ab omnibus

laudari putent; et quae ipsi probent, ab ceteris existiment comprobari. Sed longe tota aberrant via. Non enim a nobis ipsis nostra, sed ab aliis expendenda sunt: neque abs rudibus et litterarum ignaris, sed a doctis et ingenio praestantibus viris. Nam vulgi iudicium numquam a prudentibus et sapientibus magni habitum aut existimatum vidimus. Sunt apud vos permulti doctissimi viri, et omni laudis genere et doctrina praestantes; sed et aliis quoque, a quorum numero longe absum, neque, ut leviter dicam, deest ingenium, neque eloquentia neque virtus neque doctrina. Est singulis sua mens, suum ingenium, suae doctrinae genus, licet vacent ostentatione. In iis vero quae ad honorem spectant, quisque sibi et suae et laudis et honoris protector.

Multi, ut ais, ex vestris existimant a me Venetorum nobilitatem laesam; et Laurus tuus (qua in re aperte mentitur) et calumniose a me accusatam nobilitatem dicit (1), et me hostem (sed hoc ut libet, nam id admodum contemno) suis ad te litteris appellat. Ostendam, si prodierit, non me sed illum nobilitati bellum indixisse. Iudicent ceteri quid velint: plus apud me ratio valebit quam iudicium stultorum, quorum magna ubique copia reperitur. Ego nihil contra nobilitatem scripsi, ut ille temerarie somniat, sed contra falsam multorum opinionem nobilitatis. Si in ea re non recte sensi, aut non scite definivi nobilitatem, aequo animo patiar corrigi a sapientibus et doctis errores meos: quo in loco expecto libellum tuum summâ cum aviditate, ut aliquid novi discam. Sed nisi aliter vestri ac nostri auctores loquuntur, summa erit opus eloquentia ad defensionem eius causae, quae non a me sed ab aliis, multis sententiis et verbis hactenus est discussa. Verum stomachum mihi fecerunt litterae Quirini tanta iactantia scriptae (2), ut Crassum dedecerent; qui immemor facultatis suae more levissimi hominis se nimium effert laudibus, et ultra quam vires suae patiantur. Ciceroni mehercule verborum ea pompa et fastus esset inhonestus: solum se oratorem et philosophum putat, ceteros despicit et contemnit. Ieiunitatem artium nobis obicit, et veri cognitionem. At si in campum prodierit, non ieiunum, sed satis saturum me reperiet, et sentiet non deesse veri cognitionem. Sed forsan tot uxorum numero, nam musas sibi matrimonio copulatas ait, confisus adeo insolens factus est. Tu vero ipsi nimium tribuis, et deceptus

(1) In libro Poggii de nobilitate. Lege Augustinium Script. venet. T. I. p. 216, ubi de Lauro Quirino eiusque scriptis.

(2) Confer quae dicuntur in Lauri vita apud Vespasianum.

forsan tua erga eum benivolentia longius progrederis opinione in eo existimando, quam doctrina eiusdem et dicendi ratio postulet.

Sed nolo progredi ulterius in eius commemoratione: expecto videre ipsius in me epistolam, quam rogo ad me mittas, horterisque illum ad edendum quae scripsit. Nam si in me insurget, ulciscar iniuriam, et quidem opulenter, et excitabo hominem paulo acrius quam credit. Experiar autem an ita ut ait acriter, et oratorio more et forensi strepitu in me insultet. Novi satis hominem, novi scripta, novi dicendi genus, quae nedum me terreant, sed alacriorem reddidere. Itaque avidissime sicut illa sibyllina responsa expecto, ut meo more illum suae conditionis et ingenii oblitum, quoniam se ipsum ignorat, aliis notum reddam. Non tantum sibi arrogat, quantum ab aliis detrahetur. Sentiet et aliis quoque non ignotam philosophiam, ut frustra alucinatur, et non incognitum unumquodque dicendi genus. Scribant et ipse, et quicumque volunt, omnes in me obloquantur, et ut libet obstrepant, vel insaniant etiam licet. Hos tu non a scribendo aut edendo deterreas, sed horteris. Scio quae ingenia apud vos sint, quam acuta, quam dicendo exercitata. Novi etiam me ipsum non mutum omnino, non insulsum, neque stupidum ingenio. Nam quod aemulos meos contra me a multis incitatos scribis, nescio qui illi sint, sed prodeant palam licet. Ego neminem novi praeter impurissimam beluam Philelphi, cui ego satis dignam mercedem rependi cum aliâs tum nuper, prout videbis per oratiunculam quam in eius edidi scelestam vitam, quam tibi mitto, ut Laurus si quid contra me protulerit, tamquam primitias videat retributionis meae. Nemo est, te excepto, atque ornatissimo equestris ordinis viro Francisco Barbaro (quorum ego doctrinam auctoritatemque, et in me benivolentiam tanti facio, ut castigationes reprehensionesque acerrimas aequo animo ferrem) cui non cumulate etiam, nisi me animus fallit, gratias sim retributurus. Non enim larvas timeo et personatos vultus: in aciem descendendum erit, et aperto marte agendum. Quamvis autem senex sim corpore, adhuc tamen animus viget, ut vel solus multorum impetum sustinere possim. Nicaenus ad se nihil missum dicit (1), sive id verum sit, sive non probet scripta, sive timeat ultionem.

Postquam haec scripsi, aliae litterae mihi a te redditae sunt, et introclusa schedula. Mitiorem illum factum scribis. Agat ut lubet, provocet; bellum, postquam me hostem appellat, indicat: ita me paratum sentiet ut non cedam acie, licet victoriam sibi polliceatur, stulte quidem, cum nondum alterius prospexerit vi-

res. Ego ne tempus mihi a negotiis vacuum per negligentiam efflueret, historiam Xenophontis quam Cyri paediam vocant, latinam feci; non ludendo, ut amicus tuus somniat, sed laborando. Ita vero a me traducta est, ut latina esse videatur. Non enim singula verba aut sententiolas expressi, sed scripsi more nostro; ita ut sperem futurum ne contemnatur a doctis. Paucis quiescam mensibus, tum de integro limabo, opusque edam volentibus legendum. Vale; et me, ut facis, ama; et tuam defensionem mitte, quae mihi gratissima erit. Scio enim te rationibus non contumeliis, modeste non contumaciter, mecum certare.

Ut absolvatur historia simultatis inter Venetos et Poggium, operae pretium erit subtexere alterius epistolae partem, quae ita se habet.

PETRO THOMASIO V. C.

Quod de pace nostrarum rerumpub. gratularis, fuit iucundissimum mihi. Commendo plurimum tuam prudentiam, qui functus eris officio boni viri, qui ocium a bellis appetas, qui cupias concordiam et pacem, quam omnes laudare et appetere deberent, praesertim inter eas civitates, quae veluti duo lumina Italiae appellari possunt. Fuit olim fatum nescio quod ut eae resp. dissiderent, quae antiqua societate et foedere fuerant coniunctae. Sed et inter patrem ac filium, inter fratres quoque, ac virum et uxorem, inter amicos insuper summa persaepe discidia oriuntur; quae postmodum, reintegrata priori voluntate et benivolentia, tolli videmus, et in mutuam caritatem reverti. Hoc idem et nobis continget, quoniam errores antea commissi reddent homines prudentiores: et cognoscent ex rebus praeteritis quanta stultitia sit, et quantum periculum committere se fortunae. Ego semper pacis suasor fui, nihilque aegrius tuli, quam dari nobis necessitatem armis arma repellendi. Quod me de Venetis male sentire, dici a nonnullis scribis, id ego quoque aliqua ex parte fateor, me scilicet non de rep. vestra, quae est omni laude dignissima, sed de quibusdam civibus huius belli auctoribus ac suasoribus, qui reliquos ad incendium Italiae excitarunt, male sensisse et sentire, cum fuerint causa multarum calamitatum. Necesse quoque fuit in defensionem patriae uti aliquando verbis, quae temporum conditio postulabat; ex quibus non firmum animi iudicium elici debet, C. f. 265

(1) Scilicet quia Laurus Quirinus Nicaeni Cardinalis, id est Bessarionis, familiaris fuerat (Vespas. in vita Lauri) idcirco suspicatus fuerat Poggius Quirinum ad Cardinalem, quae contra se scripserat, misisse.

sed spectanda est ratio et oratio rebus et tempori accommodata. Mihi, ut verissime scribis, cum plurimis doctissimis et egregiis viris, quibus civitas vestra redundat, summa necessitudo et familiaritas fuit. Vide quae ante hoc bellum pestiferum mea de vobis fuerit sententia. Cupiebam civis vester fieri, et domum apud vos parare, quae filiorum meorum in vestra rep. quies et receptaculum esse posset. Quod ut assequerer facilius, statueram conscribere historiam vestram, et ex antiquis annalibus eruere memoriam priscarum rerum, ut apud nos fierent recentiores. Sed postea quam in patriam sum vocatus, et in dignitate atque honore constitutus, illa cogitatio effluxit ex animo, et ad alia mentem converti. Gratularis mihi quoque de reditu in patriam, et me propter tuam erga me benivolentiam multis ornas laudibus, quae mihi quoque aliquid esse videntur, cum proficiscantur ab eo qui et ipse semper summa cum laude vixit. Ego tamen satis plane novi copiolas et facultates meas, et illa decantata sententia, cognosce te ipsum, pectori haeret infixa.

GEORGIO TRAPEZUNTIO V. C

C. f. 161. Scripsi olim Francisco Cauco veneto, cum mihi libellum quemdam destinasset, in quo epistola quam Guarini existimas adversus te scripta, et tua responsio continebatur, me procul dubio affirmare illam non esse Guarini; idque multis ex causis mihi persuadens, existimansque solummodo te coniectura moveri. Addidi in epistolae meae calce, scribere tam multis verbis tam contumeliose tamquam in reum manifesti criminis, de quo nihil afferas praeter opinionem quamdam, et quidem ab aliorum opinio.ie et sententia disiunctam, non recte consulti hominis esse videri. Hoc ex animo proque nostra amicitia affirmo tibi, Trapezunti, in nullam tuam contumeliam, nullam detractionem, nullum in dedecus ea verba a me fuisse scripta. Sed cum censerem, coniectura tantum te ad scribendum fuisse compulsum, putavi non recte a te factum, qui rem incertam pro certo crimine insectareris. Et certe nimium inconsiderati, ne dicam stulti, hominis fuisset, nullam ob causam, nullum ob tuum meritum velle in me provocare indignationem atque odium doctissimi atque eloqnentissimi viri, et eius praesertim quem semper unice dilexerim, meque ab eo et ornatum laudibus, et ei maxime carum atqne acceptum cognovissem. Quid vero inconsultius esse potuisset, quam ut nulla re provocatus, nulla in re a te laesus, offenderem eius animum qui posset par pari referre, et aequiore causa

non refellere mea dicta solum, sed accusare hanc amicitiae nostrae offensionem? Sed ego numquam de te secus sensi aut locutus sum, quam tua virtus et singularis doctrina requirat.

Extitit nescio quis postmodum curiosus nimium, ne dicam stultus, qui legens meam epistolam, admodum perverso et a mente mea remoto sensu, ea verba in tuam contumeliam interpretatus est, scribens in eius margine tuam inconstantiam et levitatem designari. Voluit maledicus ille, qui et te forsan odit, et me minime amat, sua iniqua verbositate et tuum in me incitare animum, et mihi molestiam atque invidiam comparare. Quid enim est, in quo levitatis te iis verbis accusem, aut ex eis vel minima inconstantiae suspicio elici queat? Ego, ut dixi, existimans te non manifesto crimine, ut asseris, sed coniectura motum illam epistolam confutasse, dixi non videri mihi id recte consulti hominis fuisse: non quin recto fueris consilio usus, sed quia dum scriberem ita mihi videbatur; lapsusque sum scribendo ea verba, quae possent calumniatoris temeritatem subire. Non enim ad quadram philosophorum verba illa redegi, sed more hominum scripsi, qui libere nec semper accurate loquuntur.

Neque ego tunc existimavi aliquando fore aliquem tam impudentem, ut diceret me sensisse quae procul a mea sententia extiterunt. Quid enim illi beluae in mentem venit, bono animo a me scripta trahere in peiorem partem, ut inter nos sereret causam simultatum? Sed frustra laborem inanem suscepit, firmiorem enim reddidit benivolentiam nostram: cum sive error fuerit, me profitear errasse: sive ille me voluisse in aliquo laedere famam tuam opinatus sit, non me sentiat sed se non recte sensisse, et mihi summe quae scripserit displicere. Ego enim nedum tuo honori velim in aliquo detractum, sed cumulatiorem reddi meâ operâ si fieri posset cupio atque etiam ampliorem: debeo enim tibi plurimum, qui mihi adiutor praecipuus fueris in traductionibus meis. Verum haec satis ad redarguendam illius inscitiam. Quamquam etiam illi malo interpreti nonnihil debeo, cum me admonuerit eius sententiae, quae nulla malivolentia a me posita, explanatione quadam egere videbatur, ne quis eam traduceret amplius in contumeliam tuam. Habes epistolam testem meae in te voluntatis; quae si tibi fecerit satis, gaudeo; sin vero minus, plura scribam, quoad tibi a me abunde satisfactum fuisse arbitreris. Romae ·XII· kal. martias.

GEORGIO TRAPEZUNTIO.

C. f. 172. b. Recepi tuas litteras, ultra quam canos tuos et doctrinam deceat, contumeliosas nimium ac petulantes. Ignosco naturae tuae et animi perturbationi, in qua ex tuis verbis intelligo te versari. Sed ne videar tacendo vel assentiri vel contemnere quae scribis, et ut me purgem in eo quod me inique et falso accusas, respondebo paucis, et paulo modestius quam tu; ne in quo es reprehendendus, te videar imitari. Ego nihil unquam, quod iure te deberet offendere, contra te egi, non verbo, non litteris tibi unquam detraxi, non commodis tuis unquam obstiti, sed dilexi ut virum doctum usque ad eam diem, qua tu acceptam de communi pecuniam per fraudem denegasti; quae nostri discidii causa fuit. Numquam aliquid de te cogitavi, quod non solum tibi, quamvis iniquus sis iudex, sed cuiquam bono viro debeat displicere. Tu an idem feceris, tuae litterae satis impudenter scriptae testautur. Arguis me ob rem antiquam, quod olim scripserim, in quadam epistola te nominans, parum bene consulti hominis videri: idque in tuam contumeliam scriptum causaris. Quam rem aliâs et verbis et per epistolam apud te purgavi, scribens multa in tuam laudem, quae rectius tacuissem. Credebam tibi ex mea defensione abunde satis factum. Sed animus tuus, ut video, exulceratus, quoniam alia desunt, ex inani re iurgandi causam quaerens, conceptum contra me odium nequivit continere. Nedum in Trapezuntium, sed ne in Catonem quidem fuissent ea verba contumeliosa. Si tantum in te consilii esse putas, ut errare nequeas, nimis tibi omnium iud cio arrogas. Si errare te posse fateris, non mireris id de te dictum, quod sapientissimis quoque viris aliquando videmus obici cum dicuntur ea egisse, quae non bene consulti hominis esse videantur. Narras longam fabulam, reiciendo in me praeteritorum culpam, quae existimabam tibi iam ex animo, prout mihi acciderat, excidisse. Quae acta sunt, nequeunt immutari, sed ab iniquo interprete saepius in malam partem vertuntur. Tua tamen verba tanti faciam, quanti hominis iracundi, et hac in re non rectum iudicium sequentis. Neque vero propter tuas calumnias mutabo mores meos, neque tecum verborum turpitudine sed virtute contendam Unum tamen dicam: vide ne alteri falso obicias, quae in te et tuos haud falso reiecta te rubore perfunderent.

Non intelligebam, neque enim expresseras in litteris ad me tuis, quae causa te ad me lacerandum impulisset, sed in exem-

plari litterarum quas ad Pontificem scribis, cognovi quid quaeraris, me scilicet percussores ad te occidendum (1) ex Urbe misisse mense decembri; quod totum cum nihil sit, honestum foret nihil quoque tibi a me responderi. Verumtamen rectius fuisset id facinus in tuis litteris inseri, ut a te ipso cognoscerem in quo me tam acerbe accusares. Nam quid opus fuit, nisi ad malivolentiam et infamiam adversus me excitandam, falsam et ridiculam querelam ad Pontificem deferri? Numquid ita sum ignotus Pontifici, aut notus sicarius et in caede hominum hactenus versatus, ut existimes Pontificem, aut alios, credere me talium insidiarum fuisse auctorem? Ego tibi persancte possum iurare non solum tui tollendi consilium non cepisse, sed ita te excidisse ex animo meo, ut vivus ne an mortuus esses, non satis memoria tenerem. Nimium mehercule ocio inerti abundarem, si de Trapezuntio cogitarem. Itaque neque fuit unquam neque est ulla in me cura tale facinus perpetrandi, quippe qui multis de causis optem ut diutius vivas, praesertim per foenus amissis pecuniis quae tibi tantam superbiam subministrabant. An vero ita me stultum putas, ita imprudentem, ut nescio quibus vanis hominibus qui te inani ostentatione terrerent, meam famam et existimationem, ut de animae salute omittam, committere voluissem? Absit a me talis cogitatio, nedum opus. Est moris mei cum reliquis in rebus, tum in hoc sequi praecepta sapientum, quae iubent oblivione potius iniurias esse quam manu aut viribus ulciscendas. Persuade tibi quod libet: futurum tempus te ostendet male sensisse, et incertam suspicionem pro certo maleficio accepisse. Tuum est credere ut voles, ego mea conscientia contentus ero. Si tamen modestiam a me praestitam, in qua me laudo, fuisses imitatus, et te et me inani labore et molestia liberasses.

Nam cum ad me, dum essem nuper Florentiae, a pluribus scriptum esset, te possessiones meas a rege inclyto Aragonum dono postul sse atque impetrasse, non sum tecum eam iniuriam questus, neque quicquam ad te scripsi contumeliosius, existimans famam quae ferebatur non esse veram, et id factum a prudentia tanti principis alienum. Quod vero mihi minaris, feram aequo animo. Sed scito, me neque opibus, neque dignitate, neque patria, neque filiis, neque cognatis, neque amicis, nam affines tibi relinquo, esse Trapezuntio inferiorem; quibus potius utar ad gloriam quoad licebit, quam ad alterius calamitatem. Romae pridie id. februarii ·M·CCCC·LII·

(1) Confer p. 639. n. 1.

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΕΥΣΕΒΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ

ΛΟΓΟΙ.

IV. ΠΕΡΙ ΕΥΧΑΡΙΣΤΕΙΝ ΤΩ ΘΕΩ ΤΟΝ ΑΡΡΩΣΤΟΥΝΤΑ, ΚΑΙ ΕΙΣ ΤΟΝ ΙΩΒ.

Cod. f. 346. b. Χρόνου πολλοῦ διελθόντος, ἐπαύσατο Ἀλέξανδρος μὴ εὑρὼν πρόφασιν ἐρωτήσεως· καὶ μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐξελθὼν ἐκ τῆς ἐκκλησίας, εἶδεν ἐν δοματίῳ τινὰ ἄνθρωπον ἐπὶ κλίνης κατακείμενον, καὶ ἀπελθὼν ἐπισκέψασθαι αὐτὸν, ἐρώτησε τοὺς παρεστῶτας λέγων· πόσον χρόνον ἔχει ἀφ' οὗ ἀσθενεῖ; οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ τρία ἔτη, καὶ μῆνας ἕξ· καὶ στενάξας ἐπ' αὐτῷ ἀνεχώρησεν, καὶ ἐλθὼν πρὸς τὸν μακάριον Εὐσέβιον τὸν ἐπίσκοπον λέγει αὐτῷ· δέομαί σου, πάτερ, οἱ ἀσθενοῦντες ἐν πολλῷ χρόνῳ μέχρι ἐνιαυτοῦ ἢ καὶ δύο, ἐν τίνι εἰσὶν ἐν ἐκείνῳ τῷ κόσμῳ; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ· πρὸς τὴν προαίρεσιν τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶν τὸ πρᾶγμα τοῦτο· ἐὰν ἐπελθόντος τοῦ πάθους μετὰ εὐχαριστίας δέξηται, ὡς ὁ γενναῖος Ἰὼβ, τῆς τιμωρίας τῆς ἐκεῖ κουφίζεται· καὶ γὰρ ὁ μακάριος οὗτος ἐν τοσούτοις ἔτεσιν ἀσθενήσας, καὶ ἐπὶ κοπρίας καθήμενος, οὐκ ἐγόγγυσεν, οὐκ ἐβλασφήμησεν, οὐκ εἶπεν ῥῆμα πονηρὸν, οὐκ ἐκάλεσεν ἰατρούς, οὐκ ἐπέθηκεν τοῖς τραύμασιν αὐτοῦ ἔμπλαστρον οὐδὲ βοτάνας, οὐκ ἐμισθώσατο γοητὰς εἰς τὸ ἀποδιῶξαι τοὺς σκώληκας, οὐ περίαπτα κατέδησεν· ἀλλὰ γυμνὸς ἐπὶ τῆς κοπρίας καθεζόμενος, καὶ ὡς ὑπὸ πυρὸς κατεσθιόμενος ὑπὸ τῶν σκωλήκων, καὶ πικρῶς δρυμυσσόμενος ὑπὸ τῶν διαῤῥηγμένων φλυκτίδων, καὶ μὴ ῥάκος ἔχων εἰς τὸ ἀποσμήχειν τὸν ἰχῶρα τὸν ἀποῤῥυέντα ἀπὸ τῶν τραυμάτων, ἀλλὰ τῷ ὀστράκῳ ἀποξέων, δεινότερον τὸ ἄλγος ἀπειργάσατο· καὶ οὕτως ὅλῳ τῷ σώματι ἑλισσόμενος, ὑπέμενεν εὐχαριστῶν τῷ θεῷ.

Ἐκεῖνος τοσαῦτα ὑπομένων οὐδένα ἐκάλεσεν εἰς βοήθειαν τοῦ πάθους· οἱ δὲ νῦν ἄνθρωποι μόνον ἐπέλθῃ αὐτοῖς εἰς πόνος, καταλείποντες τὸν Θεὸν, ἄρχονται τρέχειν πρὸς ἐπασιδοὺς, συνάγοντες περίαπτα, φυλακτήρια, βοτάνας, καὶ ἕτερα τινά, καὶ οὐδὲν ἰσχύουσιν· τί κάμνεις, ταλαίπωρε, τρέχων εἰς ἀνθρώπους μὴ δυναμένους βοηθῆσαι σοι; ἔχεις τὸν Θεὸν ἐν τῇ οἰκίᾳ σου, καὶ τὸ δεδωρημένον φυλακτήριον τὸν σταυρόν· πρόσπεσον αὐτῷ· εἴς ἐστιν σοὶ συμφέρων εἰς τὴν ἀσθενείαν σου, καὶ τῶν ἐκεῖ κακῶν κουφισθῆναι· καὶ μὴ βλασφήμει, ἀλλὰ παιδείαν ὑπόδεξαι τὸ πάθος· ὃν γὰρ ἀγαπᾷ ὁ Θεὸς παιδεύει, καὶ μαστιγοῖ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται· καὶ Παῦλος ὁ εὐλογημένος λέγει· κρινόμενοι ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν· φανερῶς εἶπεν ὅτι ἐνταῦθα κρινόμενοι, καὶ παιδευόμενοι, ἐν ἐκείνῳ τῷ αἰῶνι ἀκατάκριτοι διαμένομεν· ὅθεν καὶ ἐκαυχᾶτο οὗτος ὁ μακάριος λέγων· ὅταν ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι· καὶ πάλιν· ἡ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται· καὶ πάλιν παρακαλῶν τοὺς ἀσθενοῦντας ἔλεγεν· εἰ παιδείαν ὑπεμείνατε, ὡς υἱοὺς ὑμᾶς προσδέχεται ὁ Θεός· εἰ δὲ χωρὶς ἐστε παιδείας, ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοί· τοὺς δεχομένους τὴν παιδείαν, τούτους καὶ εὐχαριστοῦντας τῷ Θεῷ, υἱοὺς Θεοῦ ἐκάλεσεν· τοὺς δὲ μὴ εὐχαριστοῦντας ἐν ταῖς ἀσθενείαις, νόθους καὶ οὐχ᾽ υἱούς· μεγάλως γὰρ κουφίζονται τῆς ἐκεῖ κρίσεως οἱ ἐνταῦθα μακρονοσοῦντες· ἀεὶ δὲ τοῖς δικαίοις τοῦτο συμβαίνει καὶ τοῖς βουλομένοις σωθῆναι· τοῖς δὲ ἁμαρτωλοῖς ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ, οὕτως ἔρχεται ὁ θάνατος, καὶ ἁρπάζει τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρωπου, καὶ οὐ συγχωρεῖται διαδοῦναι, οὔτε διαθέσθαι, οὔτε στενάξαι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν, ἀλλ᾽ ἀνήρπασεν αὐτὸν ὁ θάνατος αἰφνιδίως· ἀλλὰ ἀπῆλθεν μαστιζόμενος καὶ κλάγγων· οὗτος ὁ θάνατος τῶν ἁμαρτωλῶν· οὗτος λέγεται ὑπὸ τοῦ προφήτου θάνατος ἁμαρτωλῶν πονηρός· τῶν γὰρ νοσούντων ὁ θάνατος οὐκ ἔστιν πονηρός, ἀλλὰ παρα τοῖς εὐφρονοῦσι καὶ πολὺ ἐλαφρός ἐστι.

Καὶ ὅτι οὐ ψεύδομαι, μαρτυρεῖ μοι τὰ πράγματα· καὶ ὅρα τί λέγω· ὅταν ἀῤῥωστήσει τις καὶ τὸν πόνον αὐτοῦ δυσβαρίως ἐπερ-

χόμενον, καὶ δαπανώμενα τὰ πάθη τοῦ σώματος, καὶ τῆς εὐμορφότητος τὸ κάλλος καταλυόμενον, καὶ τῶν ἐπιθυμιῶν ἁπάντων ἀπεχομένων, δῆλον ὅτι οὐδὲν ἄλλο μεριμνᾷ εἰ μὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, καὶ προβλέπων τὸν θάνατον μνημονεύει τὰ κακὰ καὶ τὰς ἁμαρτίας ἃς ἐποίησεν, και κλαίει καὶ μετανοεῖ ἐπὶ ταῖς ἁμαρτίαις αὐτοῦ στενάζων, καὶ καταλιμπάνει τὰ ἴδια αὐτοῦ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ τοῖς μαρτυρίοις, καὶ τοῖς πένησιν, καὶ ἐξομολογεῖται τας αμαρτίας αὐτοῦ τοῖς πρεσβυτέροις (1), καὶ κοινωνίας ἀξιοῦται, καὶ λύει τας ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ δικαιοῦται. Ἀποθνήσκει δὲ μὴ ἄῤῥωστος, μηδὲν τῶν κακῶν εἰς μνήμην λαμβάνων, ἀλλὰ καὶ ἀμέριμνος διάγων, μέλλει ψηφίζειν τόκους πραγματίας, ἔνεστι δὲ καὶ μέλλει σκέπτεσθαι, ἁρπάζειν, κλέπτειν, πορνεύειν, ἢ ἕτερα κακὰ ἐννοεῖσθαι· καὶ ἁρπάζει αὐτὸν ὁ θάνατος ἀνέτοιμον ὑπάρχοντα, καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ἀνάκλησις· οὗτος ἐστιν θάνατος ἁμαρτωλῶν πονηρός· μέγα καλὸν ἐστὶν ἐπὶ κλίνης παιδευθῆναι, καὶ ἀποθανεῖν· μακάριός ἐστιν ὁ φθάσας μίαν ἡμέραν μετανοῆσαι καὶ ἀποθανεῖν· δύναται γὰρ μία ἡμέρα ἐν μετανοίᾳ λῦσαι ἁμαρτιῶν πλῆθος, ἐὰν μόνον ἐξ ὅλης τῆς καρδίας προσπέσῃ τῷ δεσπότῃ.

Ὅτι οὐ ψεύδομαι, μαρτυρεῖ μοι τὸ πλῆθος τῶν σωζομένων· ο λῃστὴς ἐκεῖνος ο τοσαῦτα πράξας ἀναρίθμητα κακὰ, καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν ὅρον τοῦ θανάτου φθάσας, μιᾶς ὥρας λοιπὸν ἔχων τὴν ἐλπίδα, ἐν κολάσει ὑπάρχων, μίαν φωνὴν ἀφῆκε μετὰ πίστεως θερμῆς λέγων· μνήσθητί μου, κύριε, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου· καὶ εὐθέως παραδείσου πολίτης ἐγένετο, ἐξομολογήσας τὰ ἁμαρτήματα, εἰπών· ἡμεῖς μὲν ἄξια ὧν ἐπράξαμεν ἀπολαμβάνομεν· οὐδὲν ἀνάξιον, φησίν, ὑπομείνω· στήτω μοι ἡ κόλασις ἐκείνῳ τῷ αἰῶνι· εὐχαριστῶ τῇ κολάσει ταύτῃ, πρόξενος γάρ μοι ἐγένετο μετανοίας· εἰ μὴ γὰρ ἔφθασα εἰς τὴν κόλασιν ταύτην, οὐκ ἐμνημόνευον τῶν ἔργων μου· νῦν ἔγνων ὅτι ἀξίως τιμωροῦμαι· οὐ-

(1) Animadverte testimonium de peccatorum confessione quae fit sacerdotibus; atque illi adde quod ex codice latino saeculi septimi extulimus Spicil. T. IV. p. 314.

τως ὀφείλεις καὶ σύ, ἄνθρωπε, εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ κλίνης κατακείμενος λέγειν· εὐχαριστῶ σοι, κύριε, ὅτι διὰ τοῦ πάθους τούτου ἐμνήσθην μου τὰς ἁμαρτίας, καὶ ἀξίως κολάζομαι, καὶ ἔλυσας τὴν ἁμαρτίαν· Ἐζεκίας ὁ βασιλεὺς ἐπὶ κλίνης ὑπάρχων ἐν μαλακίᾳ κατακείμενος, καὶ ἀκούσας παρὰ τοῦ προφήτου Ἰσαΐου λέγοντος, ἀπόταξαι περὶ τοῦ οἴκου σου· ἀποθνήσκεις γὰρ σύ, καὶ οὐ ζήσῃ· ὁ δὲ οὐκ ἀπέγνω ἑαυτοῦ, οὐδὲ ἀπήλπισε τὴν σωτηρίαν ἑαυτοῦ, ἀλλὰ στραφεὶς πρὸς τὸν τοῖχον ἔκλαυσε· καὶ δεκαπέντε ἐτῶν χάρισμα ζωῆς ἐδέξατο παρὰ τοῦ δεσπότου.

Εἰ οὖν θανάτου ὅρους καὶ προστάγματα λύει μετάνοια, πολλῷ μᾶλλον εὐκοποτέρως χειρόγραφον ἁμαρτιῶν διαλύει· οὐ ζητεῖ χρόνου μῆκος μετάνοια, ἀλλὰ πίστιν καὶ καρδίαν εὐπρόσδεκτον· πολλοὶ γὰρ διὰ μιᾶς ὥρας κλαυθμοῦ καὶ μετανοίας βασιλείας κατηξιώθησαν, καὶ πολλοὶ ὅλον τὸν χρόνον μετανοοῦντες οὐδὲν ἤνυσαν· ἐπειδὴ οὐ προσῆλθον ἐξ ὅλης καρδίας, ἀλλὰ διστάζοντες· καὶ ὁ ἐν δισταγμῷ προσερχόμενος, δυσκόλως σώζεται· ὁ δὲ μετὰ πίστεως ἐρχόμενος, παραυτίκα δέχεται τὴν συγχώρησιν (1)· καὶ ὁ τελώνης ἐκεῖνος μίαν φωνὴν προσήνεγκεν τῷ δεσπότῃ λέγων, κύριε ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. καὶ ἐπειδὴ ἐξ ὅλης καρδίας προσήνεγκε τὴν αἴτησιν, εὐθέως καὶ τὸν καρπὸν τῆς δικαιοσύνης ἐκομίσατο· πᾶσα οὖν ἁμαρτία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις διὰ μετανοίας, ἐὰν μόνον τὴν πίστιν ἀκέραιον διαφυλάξωσι· πᾶσα γὰρ ἁμαρτία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι· τοῦτο γὰρ εἴρηκε τοῖς μαθηταῖς ὁ κύριος λέγων, γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

Ἄκουσον τὴν τοῦ ὄφεως φρονιμότητα, καὶ τίνος ἕνεκεν εἶπε σοι μιμήσασθαι τὸν ὄφιν· διὰ τὴν παράβασιν τοῦ Ἀδὰμ μετὰ πάσης κατάρας εἶπε καὶ τοῦτο· ἔχθραν θήσομαι ἀνὰ μέσον σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῶν· σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν, κἀκεῖνος τηρήσει σου κεφαλήν· φρόνιμος δὲ ὢν ὁ ὄφις οἶδε

(1) Adnotemus praeclaram de poenitentia doctrinam.

ὅτι κατὰ τῆς κεφαλῆς ἔχει τὸν θάνατον· καὶ ὅταν συναντήσει αὐτῷ ὁ βουλόμενος αὐτὸν θανατῶσαι, ἄρχεται τὴν κεφαλὴν περικαλύπτειν, καὶ εἴτε τρώγλην εὕρῃ εἴτε λίθον, ἐκεῖ τὴν κεφαλὴν ὑποτίθησιν· καὶ τὸ μὲν ὅλον σῶμα ἐκδίδωσιν εἰς πληγὰς, ἵνα μόνον τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διασώσῃ· τὰ δὲ ἄλλα τραύματα θεραπεύονται, εἰ δ᾽ ἂν λάβῃ κατὰ τῦς κεφαλῆς, οὐκ ἔστιν ἔτι ζωὴ αὐτῷ, ἀλλὰ θάνατος ἀπαραίτητος· τούτου ἕνεκεν εἶπεν, γίνεσθε φρόνεμοι ὡς οἱ ὄφεις, ἵνα ὥσπερ ἐκεῖνος σπουδάζει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διασῶσαι, οὕτως καὶ σὺ τὴν πίστιν διατήρησον ἄσπιλον· καὶ ὥσπερ ἐκεῖνος ἐὰν λάβῃ μυρίας πληγὰς ἐν τῷ λοιπῷ σώματι θεραπεύεται, κατὰ τῆς κεφαλῆς δὲ ἐὰν λάβῃ, οὐκ ἔχει θεραπείαν, οὕτως καὶ σὺ ἐὰν μυρίας ἁμαρτίας ἔχῃς, δύνασαι διὰ τῆς μετανοίας σωθῆναι· ἐὰν δὲ κατὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος βλασφημήσῃς, οὐκ ἀφεθήσεταί σοι οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι· ἀλλὰ κἂν ἐγείρει ὁ σατανᾶς κατὰ σοῦ ἢ κατὰ τοῦ σοῦ σώματος, γενναίως ὑπόμεινον, μὴ βλασφημήσῃς.

Διὰ γὰρ τῶν χρημάτων καταβάλλει τὸν ἄνθρωπον ὁ σατανᾶς εἰς τὸν βόθρον τῆς ἀπωλείας· διὰ τοῦτο κατὰ τοῦ γενναίου Ἰὼβ πρῶτον διὰ τῶν χρημάτων ἠβουλήθη καταβαλεῖν· ἐνόμισεν γὰρ ὁ ἐχθρὸς ὡσεὶ λοιποὺς ἀνθρώπους εὑρὼν κἀκεῖνον εἰς βλασφημίαν· καὶ βλέπε τοῦ πονηροῦ τὴν κακότεχνον ἐπίνοιαν· οὐκ εἶπεν ἅπαντα ἐνεπύρισεν, καὶ τῶν πάντων ἐφάπαξ τὴν ἀναστροφὴν ἐμήνυσεν· ἐστοχάσατο γὰρ ἐν ἑαυτῷ ὁ πονηρὸς, ὅτι εἰ ὑφ᾽ ἓν λάβω τὰ κτήματα, κἀντῷ ἐφάπαξ ἀπενέγκω τὴν ἀγγελίαν, μία λύπη γίνεται αὐτῷ περὶ πάντων· ἐὰν δὲ ἓν καθ᾽ ἓν λαβὼν, προσθήσομαι αὐτῷ λύπην ἐπὶ λύπην· καὶ τοῦτο στοχασάμενος ἐνεπύρισεν τὴν ἀγέλην τῶν προβάτων, καὶ ἔδραμεν καὶ ἀπήγγειλεν αὐτῷ λέγων· πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέκαυσεν τὴν ἀγέλην τῶν προβάτων· κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ἦλθον τοῦ ἀπαγγεῖλαι σοι· ὁ δὲ πολύαθλος εὐχαρίστησε λέγων, ὁ κύριος ἔδωκεν, ὁ κύριος ἀφείλατο· ὡς τῷ κυρίῳ ἔδοξεν, οὕτως καὶ ἐγένετο· εἴη τὸ ὄνομα κυρίου εὐλογημένον ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος· ὁ δὲ πονηρὸς ἀκούσας ταῦτα, ἀπελθὼν ἐν μιᾷ ῥοπῇ ἀπέκτεινεν ἀγέλην

τῶν καμήλων, καὶ δραμὼν ἀπήγγειλεν ὁμοίως λέγων· ὁ δὲ γενναῖος ἀκούσας, τῷ αὐτῷ λόγῳ ἀπεκρίθη· εἶτα ἔλαβε τὰ ζεύγη τῶν βόων, ἵνα συντόμως εἴπω, πᾶσαν τὴν βασιλικὴν ὕπαρξιν ἔλαβε, καὶ τὸν γενναῖον οὐκ ἐσάλευσεν ἐκ τῆς πίστεως.

Θεοτοκίον. Νῦν σε, πάναγνε, πᾶσαι γενεαὶ γενεῶν μακαρίζουσι, μακαρίαν οὖσαν· ὁ μακάριος μόνος δεσπότης γὰρ κατὰ δυναστείας δαιμονικῆς ῥυόμενός με, διὰ σοῦ φιλάνθρωπος ἐπέφανεν.

Ὠδὴ ς'.

Ὡς πάλαι τὴν τοῦ ἰχθύος ἄκανθαν ἐμπαγεῖσαν τῷ λαιμῷ τοῦ παιδίου, οὕτω καὶ νῦν ὡς ὀξεῖαν β[ολίδα] ἐν τῷ λαιμῷ τῆς ψυχῆς ἱσταμένου σου τὴν ἄκανθαν τῶν ἡδονῶν, ἀναφεῖ ἐπαφῇ σου ἐξέλαυνε.

Νεκρώσεως δερματίνους χιτῶνας καὶ τὸ πάθος τῆς φθορᾶς ἐξεδύσω καταστολὴν ἀφείς, καὶ δόξης ἀμφιεσάμενος διὰ γυμνώ-

σεως· γυμνὸς γὰρ ἐκρύπτιος ὁεθεὶς τὰς πλευρὰς κατ' ἐσκάφης ταῖς ὄνυξιν.

Τὸ χαῦνον καὶ ἀσθενὲς τοῦ θήλεως τῷ στέῤῥῳ τῶν σῶν ἀγώνων ἐῤῥώσθη, καὶ ἀνδρικῶς τῷ ἐχθρῷ συνεπλάκη· ἀντικατέστη καὶ γὰρ μέχρις αἵματος πρὸς τὴν ἁμαρτίαν πονηρὰν, ὑπὲρ φύσιν ἀνταγωνισάμενον.

Ὁ θέλων πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι καὶ ἐπὶ γνῶσιν ἀληθείας ταῖς σαῖς εὐχαῖς τὰς γυναῖκας στομώσας, ἃς ἐν δεσμοῖς κατὰ Παῦλον ἐγέννησας, πρὸς ξίφος καὶ μάστιγας, καὶ πῦρ ἀντιτάξασθαι ταύτας ἐνίσχυσεν.

Ὑπὲρ ὕψους οὐρανοῦ σὲ σκήνωμα ὁ δομήτωρ οὐρανοῦ θεομήτωρ εὑρὼν ἐν γῇ, ὡς νυμφίος προῆλθε ἐκ φωτοφόρου παστοῦ τῆς νηδύος σου, τὴν σάρκα νυμφεύσας ἑαυτῷ ὁ θεὸς τῶν οὐρανῶν καὶ πάσης σαρκός. Θεοτοκίον.

Ὠδὴ ζ'. Οἱ ἐκ τῆς Ἰουδαίας.

Βακτηρίαν τοῦ γήραος ὡς δυνατὴν, φέρων τὸν θεῖον σταυρόν· τυπτόμενος ταῖς ῥάβδοις ὁ ῥάβδος εὐσεβείας νῦν καὶ ἡ βακτηρία σου ἐ . . . καὶ παρεκάλεσέν με.

Λύκου στόμα παμφάγου, χαλινῷ . . . χορηγεῖ θείᾳ χάριτι καὶ νοσημάτων ἀχλὺν αἴγλῃ θαυμάτων λύεις.

Συγκλεισάμεναι λάκκῳ . . . γυναῖκες, τοὺς οὐρανίωνας τοὺς μάκαρας ἀθλίους ἀπέφηναν, καὶ τούτους τῷ βυθῷ καθώρμησαν μωσαϊκῷ κατ' αὐτῶν τερατουργοῦσαι τρόπῳ.

Ἵνα σώσῃ τὸν κόσμον ὁ ποιήσας τὸν κόσμον, ὤφθη βροτὸς ἐπὶ γῆς· καὶ γὰρ συναναστράφη ἀνθρώποις φιλάνθρωπος, ὁραθεὶς ὄντως ἄνθρωπος ἐν τῇ δούλου μορφῇ μητρὸς ἐξ ἀπειράνδρου. Θεοτοκίον.

Ὠδὴ η'. Ἑπταπλασίως.

Ὡς ἁγίῳ πνεύματι κουφιζόμενος, Βλάσιε, λίμνης ἐπὶ νώτων ἀσφαλῶς ὀχούμενος, ἀτρέμας ἐβάδισας καθ' ὑγρὰν ὁδὸν τῷ παντὶ, καὶ ἐπὶ λεπτῆς ἐπιφανείας ὑδάτων κεκάθηκας ἑδραῖος, στερεοῦ τινὸς ὥσπερ ἔχοντος βυθόθεν ἠρέμα σου τὸ σῶμα.

Ὑλογεώδεις ἄψυχοι οἱ θεοὶ χρηματίζοντες ἄρδην ἀπώλεσαν, εἰς βυθὸν κατέδυσαν, κἀκεῖνο πεπόνθασιν ὅπερ αὐτοὶ δεδράκασι,

ῥίψαντες πολλοὺς ὑπὸ Χριστὸν ποιμένα, ὡς νῦν τοὺς στρατιώτας τοὺς αὐτοῖς πεποιθότας, τοὺς ὄντως παράπληγας, τοὺς ὄντως ἠλιθίους.

Ἐπὶ ἄντυγος καταπτὰς θεῖος ἄγγελος ἐπικαθημένῳ τοῖς τῆς λίμνοις ὕδασι, τὸ χαῖρέ σοι φθέγγεται, καὶ γλυκερῷ φιλήματι σὲ ἐπιχαρίτως, καὶ ἀσπάζεται λέγων· ἀνάστηθι καὶ δεῦρο, ἀπολάμβανε χαίρων τὸν στέφανον τῆς δόξης, τὸν σοὶ ἡτοιμασάμενον.

Γῆ, καὶ πηλὸς, καὶ βόρβορος, χρηματίζων τύραννος γήϊνα φρονεῖ καὶ κοσμικὰ λογίζεται· Ὢ μέγα τεράστιον τῆς τοῦ Χριστοῦ δυνάμεως, δαίμοσι σαπροῖς ἀνατιθεὶς ἀνιάτως . . . τον γὰρ ὄντως ὀνομάζειν σωτῆρας τοὺς προαπολωλότας ὑπ᾽ ἀσθενῶν γονέων.

Θεοτοκίον. Ὡς καθαρὰν κατοικήσας τὴν μήτραν σου ὁ δημιουργὸς τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἐξῴκησε, δέσποινα, τὴν ἐν ἡμῖν οἰκήσασαν προπατορικὴν παρθενίαν, τοὺς πάλαι πικρῶς ἀποικισθέντας τοῦ τερπνοῦ παραδείσου, ἐνῴκισεν ἐν τούτῳ αὐτὸν δοξολογοῦντας.

Ὠδὴ θ'. Ἐξέστη ἐπιτιμῶν.

Ἰλύϊ καὶ βορβόρῳ ἁμαρτιῶν, οἷα χοῖρος ἀεὶ κοιταζόμενος, καὶ τὸν ὑγρὸν βίον τὴν ῥέουσαν ἡδονὴν διώκων, ἅρπασμα πρόκειμαι τῷ λύκῳ τῷ νοητῷ, αὐτοῦ θεοῦ θεράποντος τῆς θήρας ἐξελοῦμαι, μήποτε βρῶμα τούτων γένωμαι.

Ὡραῖοι σου οἱ πόδες, ἱερουργὶ· τὴν εἰρήνην γὰρ τὴν ὑπερέχουσαν ἅπαντα νοῦν, καὶ τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν ἀγαθὰ εὐαγγελίσω, Βλάσιε, βήματι τυράννου, παρεστηκὼς ἐν ὕδασι πολλοῖς τε τὰς τρίβους ἐποιήσω, καὶ οὐκ ἐγνώσθησαν τὰ ἴχνη σου.

Καὶ ἔπνιξας ἀγχόνῃ τῶν νηστειῶν λαιμαργίαν θηρίων ἀκόρεστον, σκύλλαν πικρὰν, ὕδραν πολυκέφαλον μυθικήν· ἐντεῦθεν χάριν εἴληφας τὰ κατὰ τὸν θώρακα καὶ λαιμὸν πεπηγμένα ὀστέα ἐξέλκειν ἀνωδύνως θείᾳ προσψαύσει τῶν λειψάνων σου.

. . . ὁδοὺς διαρτίας μεταλαχὼν ἐπαλλήλοις πάλαι νοσήμασιν, ἕλκων ζωὴν πολυπαθεστάτην καὶ μοχθηράν· τὸ γὰρ τῆς ὕλης . . . κτον πάντοτε φερόμενον, πλημμελῶς τοῦ νοῦ, πολιορκεῖ με, σφοδρῶς με κατατρύχον, πολλαῖς ὠδύναις ἀπολ . . .

Τῶν ἰαμάτων ἔχων πηγὴν ὡς θαυμάτων πλουτήσας ἐνέργειαν, ἐπὶ θεοῦ ἔπαθλον τῶν ἄθλων σου τῶν σεπτῶν, τὰ τῶν τρώσεων σκιῤῥώματα, καὶ τὰς ἐν τῷ λάρυγγι φλεγμονὰς μαλάσσεις ἀνωδύνως, σκορπίζεις λεληθότως ἐπιστασίαις σου . . . κώδεσιν.

Ἣν ηὔξω τῷ δεσπότῃ, πάτερ, εὐχὴν ἐν καιρῷ τῷ τῆς σῆς τελειώσεως, εὔχου καὶ νῦν, ὅπως ἀντιλήπτορα ἔχωμεν οἱ σὲ ἐπικαλούμενοι· ἔχοιμεν καὶ ῥύστην καὶ βοηθὸν ἐν λύπαις, ἐν ἀνάγκαις, ἐν νόσοις, ἐν κινδύνοις, διαφοραῖς καὶ περιστάσεσιν.

Θεοτοκίον.

Σωτῆρα καὶ δεσπότην, καὶ λυτρωτὴν ὑπὲρ λόγον καὶ νοῦν καὶ διάνοιαν, πάθος . . . δέσποινα τεκοῦσα σωματικῶς, ἐκ τῶν παθῶν μου ῥῦσαι με τῶν σωματικῶν καὶ τῶν ψυχικῶν· καὶ θείας βοηθείας στολὴν περιβαλοῦσα, σῶσον με, κόρη κοσμοσωτεῖρα.

ΦΩΤΙΟΥ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ (1)

Ὕμνος ἐκ προσώπου Βασιλείου δεσπότου. Ἦχος α'.

Ἀπὸ χειλέων ὕμνον
Προσφέρω σοι τῷ κτίστῃ,
Ἀπὸ καρδίας βάθους
Σοὶ δόξαν ἀναπέμπω.
Βάθος σου τῆς σοφίας,
Κριμάτων τὰς ἀβύσσους
Τίς λόγος ἐξυμνήσει,
Δέσποτα τῶν ἁπάντων;
Γλῶσσα δὲ πῶς ἐξείποι
Τὸ σόν, ὕψιστε, κράτος;
Ὦ βάθος, ὦ σοφία,
Νικῶσα πάντα λόγον;

Δυνάμει ἀσυγκρίτῳ
Θαυμάσια ἐργάζει,
Οὐδὲν δὲ σοῦ τῇ θείᾳ
Ἀνθίσταται βουλήσει.
Ἐξίσταμαι, καὶ θάμβους
Πληροῦμαι τὴν καρδίαν,
Ὅταν σῆς δυναστείας
Τὰ ἔργα ἐννοήσω.
Ζητεῖν οὐκ ἐξαρκεῖ μοι
Διάνοια τὸ θαῦμα,
Τὸ ὕψος τοῦ ἐλέους,
Χαρίτων σου τὸν πλοῦτον.

(1) Olim in praefatione tomi primi Scriptorum vet., ubi de ineditis Photii scriptis disserui, odas eiusdem tres commemoravi, a me in barberiniano codice observatas; quarum in priore Deum alloquitur Basilius macedo imperator; in altera Basilium ipsum imp. alloquitur ecclesia; in tertia demum imperfecta idem Basilius imp. laudatur. En autem has demum odas a cl. viro P. Matranga exscriptas exhibeo.

Ἤγειράς με ἐκ λάκκου,
Κύριε, κατωτάτου,
Δυναστῶν δὲ ἐν μέσῳ,
Ἔθηκας τοῦ λαοῦ σου.
Θεὲ, δέσποτα πάντων,
Κύριε τοῦ ἐλέους,
Τίς λόγος ἐξαρκέσει
Πρὸς σὴν δοξολογίαν;
Ἰδὼν ὁ βλέπων πάντα
Ταπείνωσιν καὶ πόνον
Ἐμῆς καρδίας, λύεις
Κακώσεων τὰ βάρη.
Καθάπερ μόνος οἶδας
Πνοῆς ὁ πάσης κτίστης
Ὁ ἐκ μητρὸς κοιλίας
Ὑπάρχων σκεπαστής μου,
Λίθῳ τὴν κεφαλήν μου
Ἐκόσμησας τιμίῳ,
Ἔδειξας βασιλέα
Καὶ ἄρχοντα λαοῦ σου.
Μεγαλύνω σου, Σῶτερ,
Τὴν θείαν δυναστείαν,
Ὅτι ὡς δυνατός μοι
Εἰργάσω μεγαλεῖα.
Νεώτερος ὑπῆρχον
Ἐν τέκνοις τοῦ πατρός μου,
Ἀλλ', ὦ σου τῶν θαυμάτων,
Ἀνέδειξας δεσπότην.
Ξενίζει πᾶσαν ὄντως
Διάνοιαν τὸ θαῦμα,
Καὶ ξένον γὰρ ὑπάρχει
Ὡς ἔργον δεξιᾶς σου.
Ὁ πρὶν γενέσθαι πάντα
Ὥσπερ παρόντα βλέπων,
Ὁ πάντων βασιλεύων
Ἐπάκουσον φωνῆς μου.
Πορεύεσθαι εὐθεῖαν
Τῶν ἐντολῶν σου τρίβον
Εὐδόκησον ὁ πρίν με
Γενέσθαι ἀφορίσας.
Ῥομφαίᾳ καθοπλίσας
Τῆς σῆς δυνάμεώς με,
Ἐχθροὺς τοὺς ἀοράτους
Ἐνίσχυσον τροποῦσθαι.
Σοφία, θεῖε λόγε
Πατρὸς, ὃν ᾑρετίσω
Δουλεύειν σοι, φύλαξον
Ἐπώνυμον λαόν σου.
Τὰ βέλη τοῦ λαοῦ σου
Ἠκονημένα δεῖξον
Πηγνύμενα καρδίᾳ
Ἐχθρῶν σου βασιλείας.
Ὑπὲρ ἧς τὸ σὸν αἷμα
Ἐκένωσας, Σωτήρ μου,
Ἁγίαν ἐκκλησίαν
Ἀκίνητον συντήρει.
Φιλάνθρωπε οἰκτείρμον,
Ἣν ἔδωκας εἰρήνην
Τοῖς θείοις ἀποστόλοις,
Παράσχου τῷ λαῷ σου.
Χάριν, ἣν ἐπηγγείλω
Τοῦ πνεύματος παρέξειν,
Κατάπεμψον, ὦ πλάστης
Ἁπάντων καὶ δεσπότης.
Ψυχῇ ὦ ἂν μιᾷ σε
Καὶ γνώσει καὶ καρδίᾳ

Ἀπαύστως εὐλογοῦμεν
Τὴν θείαν βασιλείαν.
Ὁ πάντων βασιλεύων
Τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω
Εἰς σὲ πᾶσαν ἐλπίδα
Οἶδας ὡς ἀνεθέμην.
Σὺ οὖν ὡς κτίστης πάντων
Θεὸς καὶ βασιλεύς μου,
Ὃν ἔδωκας λαόν μοι
Τῇ δεξιᾷ σου ἄγοις.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ

Ὕμνος ἐκ προσώπου τῆς ἐκκλησίας εἰς Βασίλειον τὸν φιλόχριστον βασιλέα. Ἦχος α΄.

Ἀκουτισθῶμεν πάντες
Τῆς βασιλίδος νύμφης,
Χριστοῦ τῆς ἐκκλησίας,
Μυστικῶς ὑπαρχούσης.
Βουλὴν ὑψίστου μένειν
Εἰς τὸν αἰῶνα γνῶτε,
Βουλὰς δὲ τῶν ἀνθρώπων
Τὸ βέβαιον οὐκ ἔχειν.
Γενεὰ ἐπαινέσει
Τὴν σὴν μεγαλωσύνην,
Καὶ γενεὰ λαλήσει
Σῶν ἔργων τὰς δυνάμεις.
Διδοὺς συντετριμμένοις
Βραχίονα καὶ κράτος,
Καὶ κατασπῶν ἐδάφει
Ὀφρὺν τὴν ἐπηρμένην.
Ἐξάρχου τῆς χορείας
Δαβίδ· τίς ἐξαγγέλλει
Τὰς δυναστείας, ᾄδων
Τὴν αἴνεσιν κυρίου;
Ζήτησον μελῳδοὺς σου
Συγκρούειν τὴν κινύραν,
Ἡμέρα ἑορτῆς γὰρ
Ὑπάρχει τοῦ δεσπότου.
Ἡ πρὶν ἀγλυνομένη
Τῷ σπαραγμῷ τῶν τέκνων,
Τὴν ἕνωσιν τὴν τούτων
Φαιδρῶς πανηγυρίζω.
Θυγατέρες παρθένοι,
Νεάνιδες, ἐν οἴκῳ
Ζητήσατε ᾀδούσας
Τοῦ πάντων βασιλέως.
Ἰδού με ὥσπερ ἄλλον
Οὐρανὸν ἐξαστράπτειν,
Τοῖς ἄστρασι τοῖς τέκνοις
Καλλύνων ὁ δεσπότης.
Κατάπαυσον τὸν κόπον
Ἡνίοχε ἡμέρας,
Ἀνέτειλεν γὰρ ἄλλος
Ἥλιος εἰς τὸν κόσμον.
Λύχνον τὸν θεῖον πᾶσιν
Ἐν μέσῳ τῆς λυχνίας
Ὁρῶντες δαδουχοῦντα,
Λαὸς θεοῦ εὐφραίνου.

Μεγαλύνωμεν ἅμα,
Αἰνέσωμεν βοῶντες,
Ἡ ἀλλοίωσις αὕτη
Δεξιᾶ τοῦ ὑψίστου.
Ναὶ δὴ, καὶ βασιλέως
Κεφαλῇ τῇ ἁγίᾳ
Τοῦ λόγου ἐξ ἀνθέων
Διάδημα πλεκέσθω.
Ξενίζει με, ὦ ἄναξ,
Ἡ σύνεσις ἐκείνη,
Τὰ ἔργα σου τὰ θεῖα
Τῶν σοφῶν βουλευμάτων.
Οὐκ ἔτι στασιάζει
Τῶν τέκνων ὁ χορός μοι,
Βαθεῖα γὰρ εἰρήνη
Τῆς σῆς βλύζει σοφίας.
Παστάδα νῦν τὴν θείαν
Ὁμοῦ χοροστατοῦντες,
Κύκλῳ μου τῆς τραπέζης
Παρέστηκε τὰ τέκνα.
Ῥωμαίων μέγα γένος
Ἔντεινε καὶ εὐφραίνου,
Ἰσχύϊ καὶ συνέσει
Τοῦ σοφοῦ βασιλέως.
Συστέλλου καὶ μὴ μέγα
Ἐπαίρου τῇ σοφίᾳ,
Τὸν ἡμέτερον βλέπων,
Σωλομὼν, βασιλέα.
Τὸ συμπαθὲς καὶ πρᾷον
Ὁρῶν τοῦ βασιλέως,
Τὸ ὕψος τῆς ἀγάπης
Δαβὶδ συνευφραινέσθω.
Ὑπέκστητε οἱ ἄλλοι
Βασιλεῖς τοῦ Ἰούδα,
Οὐ δύνασθε ἡλίῳ
Ἐρίζειν οἱ σπινθῆρες.
Φοβερὸς πολεμίων
Ὁ μέγας Κωνσταντῖνος,
Ἀλλ' ὅρα βασιλέως
Τὸ πλῆθος τῶν τροπαίων.
Χορὸν τίς καθορῶν δὲ
Βλαστὸν τῶν θεοφύτων
Τὴν τερπνὴν βασιλίδα,
Εἰς ἅμιλλαν προέλθοι.
Ψυχῆς δὲ τῷ ὡραίῳ
Ἐρίζειν τίς τολμήσει,
Τῶν ὅσους βασιλέων
Ὁ ἥλιος ἐπεῖδεν;
Ὦ ἄγαλμα σοφίας,
Καλλώπισμα εἰρήνης,
Ἀγλάϊσμα τῶν σκήπτρων,
Ἔντεινε καὶ εὐφραίνου.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ

Ἐγκωμιαστικὸς εἰς Βασίλειον τὸν φιλόχριστον δεσπότην.
Ἦχος πλ. β'.

Ἀπὸ λογικῶν λειμώνων
Σοφίας λάβωμεν ἄνθη,
Ἵνα τοῦ σοφοῦ δεσπότου
Τιμίαν στέψωμεν κάραν.
Βασιλεῦ κράτιστε, χαίροις
Οἰκουμένης ὄμμα θεῖον,
Τῶν ἀνάκτων ἡ δόξα,
Τῶν βασιλέων τὸ θαῦμα.
Γένος τὸ μέγα Ῥωμαίων,
Ἡ Χριστοῦ κληρονομία
Ἐδόθη νῦν, βασιλεῦ, σοι
Κατὰ τὴν θείαν καρδίαν.
Διὸ κροτεῖτε τὰς χεῖρας,
Τὸν στεφοδότην ὑμνεῖτε,
Καὶ δεσπότην στεφάνοις
Ἐπαίνων κατακοσμεῖτε.
Ἔαρι τῆς σῆς σοφίας
Τὸ ποίμνιον περιθάλπων,
Ἐπὶ νομὰς τούτους ἄγων
Τὰς ζωηφόρους ἰθύνης.

* * *

ANIMADVERSIONES AD SPICILEGII TOMOS.

Tom. I. *Ad vitam Federici Urbinatium principis p.* 111. *Descriptiones direptionis volateranae extant in cod. vat. urb.* 1202. *per Lilium Polasium volaterranum, et in cod. urb.* 373. *per Naldum de Naldis.* P. 219. *De patre Mariano concionatore Fabronius in vita Laurentii Medicei p.* 159. P. 250. *S. Bernardini tractatus de usuris est in cod. vat.* 7667. P. 448. *v.* 6. *a fin. corr.* Riparata. P. 530. *Ad Ant. Cincinellum extat Philelphi epistola in huius vita apud Rosminium append. p.* 421.

Tom. II. p. VII. *Adde Bandinium de pandectis Politiani p.* 7. *apud quem epigramma est de Iliadis interpretatione iussu Laurentii Medicei.* P. 48. *v.* 3. *corr.* illi. P. 71. *v.* 18. *corr.* ruinam. P. 178. *Addenda est Sadoleti libro ex codice haec clausula.* Nunc cum de hac re satis nobis dictum sit, tempusque sit ad ulteriora gradiendi, finem huic et libro et disputationi imponamus Part. 2. p. 33. *v.* 17. *Notandum genus alimenti Baptistae, et conferendus S. Sophronius in anacr. V.* Part. 3. p. 27. *corr.* horrendus magnusque. P. 28. *corr.* Βόστρα.

Tom. III. p. XVI. *S. Sophronii de confessione opusculum fuit etiam in codice sfortiano, ut legitur in eius bibliothecae ms. catalogo, diciturque, ut reapse est,* epitome. P. 9. *Extat Senecae epigramma sub nomine tamen Sophronii, in anthol. gr.* P. 46. *marg.* ἐπίσημον ἄθλησιν. P. 394. *not. pro* 38. *corr.* 37. P. 648. *n.* 1. *corr.* Theodosii *pro* Anastasii. P. 648. *Phoenicia libanesia in edicto Iustiniani. Corp. iur. civ. Gothofr. T. II. novell. p.* 118. P. 686. *v.* 16. christocolum. P. 708. *v.* 11. *dic* alexandrinam cathedram. P. 749. *v.* 15. *in epistola Henrici VIII corr.* bene scripta.

Tom. IV. p. XII. v. 20. anglica *corr.* gallica. P. XLI. v. 24. *corr.* penultimo capitulo. *Illic adnotabis. Serapion thmuensis dicitur S. Antonii discipulus in cod. vat. copt.* LIX. p. 98. *In eodem cod est vita S. Macarii, Serapione eodem auctore, cum duabus in praedictum Macarium laudationibus.* P. 237. *v.* 3. *a fin.* χρόνου. P. 263. *Adnotabis. Aeque breves sunt tres S. Augustini conciunculae de miraculis S. Stephani ed. Maur. T. V. p.* 889. P. 288. *Benedictus presb. ponitur a Panvinio (Spicil. T. VIII. p.* 656.*) inter rer. rom. scriptores.* P. 323. *v.* 6. *dic* T. I. part. 2.

Tom. V. p. XV. *S. Severini doctrina a Sirmondo edita fuit.* P. XV. *S. Silvestri constitutum nihil aliud est, quam quod in conciliis legitur.* P. XXVI. *v.* 17. Haud aquei. P. 2. *v.* 18. mons Libani. P. 8. *v.* 12. circumdabis. P. 14. *v.* 26. praeluxerint. P. 17. *v.* 28. qui de. *v.* 31. constructus. P. 18. *v.* 18. emundandas. P. 19. *v.* 13. vestitus. *V.* 4. *a fin.* sanctum P. 20. *v.* 24. quod in. P. 23. *v.* 22. ab hominibus. P. 29. *v.* 1. conversionem. P. 35. *v.* 14. varii. *V.* 26. multorum. P. 36. *v.* 18. sensus sui. *V.* 30. spe. P. 42. *v.* 26. ipsum *pro* idem. P. 44. *v.* 13. multus. P. 46. *v.* 9. *a fin.* audiri. P. 47. *v.* 6. *a fin.* per illud. P. 49. *v.* 23. seu. P. 51. *v.* 25. inter planctum. P. 52. *v.* 7. *a fin.* per horum. P. 55. *v. ult.* mendacium. P. 62. *v.* 20. gutture. P. 63. *v.* 16. extiterunt. *V.* 21. arabico. P. 66. *v.* 7. contemptu. P. 70. *v.* 20. compta. *V.* 23. parit.' P. 71. *v.* 4. aegrotis. *V.* 19. laesis. *V.* 20. occultat. P. 72. *v.* 7. *a fin.* atque. P. 75. *Recte in adn. suspicabar de Matthaei apocrypho. Extat enim is locus paulo fusior apud Fabricium cod. apocryph. N. T.* tom. 2. p. 645. *Ibid. corr.* in vindictam *in loco Sulpicii.* P. 79. *v.* 10. aut. P. 83. *v.* 4. *a fin.* per quam ostenderet. P. 105. *v.* 17. contagionem.

Tom. VI. p. 87. *n.* 1. *Adde causa erroris Bernardo est Sigebertus, qui annum Augustini mortualem facit* 440. P. 111. *v. corr. in Bern.* Euphemiae *pro* Sophiae, *et confer fragmenta tusculana in T. II. fin.* P. 246. *v. ult. corr.* Aquitaniam *pro* Burgundiam. P. 258. *v.* 6. *corr.* theca *pro* terra, *ex Ricobaldo ferrar.* P. 281. *v.* 18. legat.

Tom. VII. part. 1. p. 19. *not.* 1. *v* 2. *corr.* cap. 49. P. 65. *n.* 1. *adde Asseman. Bibl. iur. or. T. IV. et V.*

T. VIII. *praef.* p. IX. *v.* 18. *dic: post Cardinalatum, duodecimus.*

Tom. IX. p. 89. *n.* 3. *Retinendum est, ut fecimus,* archiclavum, *de quo vocabulo et officio diu loquitur Fr. Cancellarius de secretariis basil. vat. T. I. p.* 442. *seqq.* P. 99. *Robertum ipsum regem composuisse sacros hymnos tradit Bernardus Guidonis in vita Silvestri II.* P. 518. *Angeli Massarellii elogium scripsit nuper popularis eius V. cl. Carolus Gentilis septempedanus.* P. 533. *Silvius Antonianus in epistola ms. ad Cardinalem Sabellum, panvinianae censurae praesidem, suadet illi, ut historia ecclesiastica Panvinii ms. tradatur patri Caesari Baronio expendenda. En ut Baronius sine dubio vidit illa volumina; quamquam reapse eius ingenium et doctrina panvinianis opibus non indigebat.* P. 685. *n.* 1 *v.* 8. hac *corr.* sequente.

DE PRISCILLIANI CANONIBUS

AD S. PAULI EPISTOLAS.

Iamdiu cepi non inutile litteris, ut spero, consilium, ut quicquid a docta antiquitate scriptum, sed postea deperditum, vel certe ineditum, in manus meas incideret, id ad publicum usum pro mea virium tenuitate transferrem. Itaque etiamsi in praef. p. XXIV. dixi me nihil fere hoc tempore ex cavensi ss. bibliorum codice decerpturum, attamen ibi a me observatum vetustissimi Auctoris quoddam scriptum, omittendum non iudicavi, ne res admodum brevis, haud brevi fortasse mora ad alterius voluminis temporisve occasionem differretur.

Priscillianus Abilae in Hispania episcopus, de haeresi et de morum quoque flagitiis in iudicium postulatus, et potentium accusatorum factione oppressus, Treviris iussu Maximi imperatoris capite plexus fuit, in consulatu Arcadii atque Bautonis, Christi anno ·CCC·LXXXVI· Priscilliani autem haeresim describunt S. Augustinus in opere ad Quodvultdeum, et in commonitorio de errore Priscillianistarum, Prosper in chronico ad annum ·CCC·LXXX·, Hieronymus de vir. ill. cap. CXXI, Severus Sulpicius hist. sacr. lib. II. 46. et seqq. latissime, et denique S. Leo PP. in epistola ad Turribium, qui pontifex contra hanc haeresim concilium primum toletanum anno ·CCCC·XLVII· indixit, quod videsis apud Aguirrium T. III, ubi multa de perversa Priscillianistarum doctrina reperies. Ad scripta eius quod attinet, *multa*, inquit Hieronymus loc. cit., *edidit opuscula de quibus ad nos aliqua pervenerunt.* Ibi vero infinitae memoriae ac lectionis Ioh. Fabricius adnotat « ea scripta suppressa omnia, a ne» mine veterum qualia fuerint, vel quibus inscripta titulis me» morari, excepto fragmento epistolae apud Orosium in com» monitorio. » Id reapse breve fragmentum extat in Augustini maurina editione T. VIII. p. 608, sed diversum plane a prologo et canonibus quos nunc edituri sumus. Nicolaus quoque Antonius in bibliotheca vetere hisp. T. I. lib. II. cap. 5, etsi accurate admodum de Priscilliano loquitur, nullum tamen eiusdem opusculorum titulum se agnovisse demonstrat.

Sed enim quod Fabricium et Nic. Antonium fugit, id iam Faber Stapulensis in praefatione commentariorum suorum in epist. ad Rom., et post eum gesnerianae bibliothecae breviatores, aperte

dixerant, praefixos nempe a Priscilliano fuisse S. Pauli epistolis latinos canones, veluti graecos N. T. praefixerant Eusebius atque Hammonius: quos reapse Priscilliani canones mss. apud se habuisse Fabrum Stapulensem, ex dictis ab eo prorsus constat: nam Gesneri quidem breviatores notitiam ab ipso Fabro sumpsisse credendum est. Haec me commodissime docuit Iosephus Carus praefatione sua ad secundam veterum biblicorum titulorum partem, Romae anno ·M·DC·LXXXVIII· editam, qui hanc canonum Priscilliani notitiam a Fabro traditam miratur, eosque nusquam sibi compertos fatetur. Ecce autem postea Montfauconius in B·MSS· p. 594. inter codices paulinae bibliothecae academiae lipsiensis, cuius catalogum a Cygnaeo editum repetit, diserte collocat *Priscilliani canones epistolarum Pauli:* quam Montfauconii admonitionem Ioh. Mansius in additamentis bibliothecae fabricianae lat. med. aevi T. VI. p. 12. non reticuit. Quae quum ita se habeant, existimandum mihi esset, doctos gallicae vel germanicae gentis homines, Priscillianum quem apud se tamdiu in codicibus habuisse videntur, non neglexisse: quia tamen nihil mihi vel Mansio aut Lelongo ea super re compertum est, statui breve hoc opusculum vetustissimi et famosi oppido hominis typis absque indagine exquisitiore morave longiore committere.

Priscilliano praeit satis breve Peregrini episcopi proëmium, a quo et de opusculi auctore monemur, et quod ea quae Priscillianus pravo sensu scripserat, a Peregrino emendata fuerint prout catholicae fidei sententia postulabat. Quisnam vero fuerit hic Peregrinus episcopus, qui etiam sancti titulo decoratur, certa coniectura adsequi nequeo. Apud Labb. concil. T. IV. p. 1640, Peregrinus Curubitanae plebis in Africa episcopus subscribit synodo carthaginiensi anno ·DXXV· Saeculo autem sequente, id est anno ·DC·XLIX·, Peregrinus messanensis episcopus, et alius Peregrinus liparitanus episcopus intersunt concilio lateranensi apud eundem Labb. concil. T. VI. p. 78. et 79. Menti etiam occurrit Peregrinus laureacencis in Norico episcopus, doctrina et virtute apostolica clarus, quem Hanzisius German. sacr. T. I. p. 203. anno ·DCCCC·LXXI· episcopatum iniisse narrat: quem si proëmii auctorem autumare libet, cavensis codex ad huius saeculi saltem finem deprimendus esset: quam rem codicis palaeographia, quantum memini, haud pati posse videtur. Proëmium quidem Peregrini, et prologum Priscilliani maiusculis litteris librarius cavensis exaravit; reliqua tamen epi-

stolarum Pauli et aliorum librorum scriptura, minutula et inclinata est; ita ut seniorem saeculo octavo vel nono aetatem non redoleat.

Dicet aliquis: quaenam horum Priscilliani canonum natura est? Hi nihil aliud, inquam, sunt, quam doctrinae a divo Paulo in cunctis suis epistolis traditae scitum compendium in nonaginta capitula distributum; ubi proposito paucis verbis argumento subiiciuntur permulti numeri sectionum illarum, in quibus per diversas apostoli epistolas argumentum idem tractatur: quae res harmoniam quoque inter se Pauli epistolarum conficit. Porro canonum rubri numeri respondere debent (ut saepe respondent) in cavensi codice sectionum nigris numeris, prout in codice perscribuntur; sed enim sive veteris, sive novi amanuensis vitio, praedicti numeri videntur saepe, permutatis etiam coloribus, corrupti (quod in suo item codice, quem idcirco edere se noluisse dicit, Faber experiebatur.) Quare non fuit operae pretium, tam fluxas et deerrantes canonum sectionumve notas, praesertim absque nova originalis codicis inspectione, typis publicis tradere: praeter quam quod ea sedulitas foret inutilis; quia nisi Pauli textus eo modo simul imprimatur, quo in cavensi exemplari per sectiones distributus est, priscillianael numeri, nihil valent ad demonstrandam paulinarum periocharum sedem atque harmoniam. Igitur utrumque tantummodo Peregrini et Priscilliani prologum imprimam; deinde canones nonaginta, qui sunt ut dixi apostolicae doctrinae summarium: numeros tamen sectionum harmonicos necessario omittam, quorum, ut iam monui, nullus nunc usus, absque ipsarum epistolarum contextu, esse potest.

INCIPIT PROEMIUM

SANCTI PEREGRINI EPISCOPI

IN EPISTOLIS * PAULI APOSTOLI.

* Ita cod.

Prologum subter adlectum, sive canones qui subsecuntur, nemo putet ab Hieronymo factos, sed potius a Priscilliano sciat esse conscriptos. Et quia erant ibi plurima valde necessaria, correctis his quae pravo sensu posita fuerant, alia ut erant utiliter ordinata, prout oportebat intelligi iuxta sensum fidei catholicae, exemplavi (1): quod probare poterit, qui vel illud opus quod ipse, iuxta sensum suum, male in aliquibus est inter-

(1) Adde hoc vocabulum glossario nostro, et confer Cangium.

pretatus, discusserit; vel hoc, quod sane doctrinae redditum est, sagaci mente perlegerit.

PROLOGUS PRISCILLIANI.

Multis occupatus necessitatibus, litteris tuis tardius respondi, carissime. Postulaveras enim ut contra haereticorum versutam fallaciam firmissimum aliquod propugnaculum in divinis scripturis sagaci indagine repperirem, quod non tam prolixum (quoniam vel fastidiosum esset) quam concinnum ac venustum existeret: per quod velocius eorum prosterneretur inpudentia, qui obiecta sibi verissima testimonia, in suum pravissimum sensum ea interpretari nituntur; aut certe negent, haec esse scripta. Ideoque contra eos tale aliquid excogitandum esse dicis, quod non versuta oratoris eloquentia turgescat, vel lubricis dialecticae syllogismis involvatur; nam haec quibusdam maxima soleut esse perfugia; sed tale sit, ais, quod mira veritate effulgeat, atque mira constet scripturarum auctoritate. Illa vero vitari debere, quae sunt spiritali et innocuae fidei christianae contraria atque inimica: quippe quae de mundi existens sapientia, ab apostolo sit stultitia nuncupata. Haec te, saepissime audiens, et alia mihi similia scribente *, ea re mihi visum est ipsas scripturas in medio positas, id est quattuordecim epistolas beatissimi Pauli apostoli, in earum texta sensus testimoniorum distinguere, ipsisque testimoniis numeros ordinare: quosque numeros, unicuique epistolarum, ab uno incipiens usque in finem, quantitatis suae modum sequaciter atramento supernotare. Praeterea ex ipsis testimoniis quaedam verba decerpens, canones hisdem concinnavi, saporibus ipsorum testimoniorum constantes: quibus canonibus epistolarum titulos et ipsorum testimoniorum numeros subter adnotavi, ut ubi vel quotum quaeris testimonium, per eundem canonem, cui haec subdita sunt, facillime repperias. Ipsi autem canones proprios habent numeros minio descriptos, idest in quattuordecim epistolis canones nonaginta: quosque numeros in omnem textum scripturae convenientibus sibi testimoniis supernotatis invenies: illinc videlicet, unde unicuique canoni pauca verba necessaria esse videntur. Quur autem non omne testimonium possideat canon, sollerti studio animadvertes, quia eadem testimonia ex multis versibus constant, canones autem ex paucis verbis, eo quod semper ad respondendum pauca verba proferantur. Ideoque evenit ut aliquorum testimoniorum principia tantum, cum canone cui

* Ita cod.

subdita sunt conveniant, aliorum autem medietas, nonnullorum vero finis, plerumque totum: et idcirco duorum vel trium seu plurimorum canonum numerum, in unum testimonium minio supernotatum invenies, ut iam dixi: illinc tamen unde pauca verba unicuique videntur esse necessaria. Hoc enim me elaborasse volo intelligas, quo fideliter continentiam scripturarum, palam facerem, nulli existens inimicus, et errantium velocius, sicut postulasti, corrigerentur mentes.

Explicit prologus.

INCIPIUNT CANONES.

I. Deus verax est, spiritus quoque Deus, et Deus saeculorum, possidens inmortalitatem, atque invisibilis, lucem habitans inaccessibilem, rex etiam atque dominus: cuius est imago ac primogenitus Christus, in quo non invenitur EST, et NON, sed EST tantummodo.

II. Quaenam sunt quae sibi dissona?

III. Quia duo genera spirituum sunt, unum Dei, alterum mundi ad errores.

IIII. Quia duae sint sapientiae, una quidem Dei, altera vero hominum vel carnis.

V. Quia multi Dii sunt: et quorumdam ventrem Deum esse: et spiritus aëris huius, atque potestates tenebrarum, sed elementum mundi.

VI. Quia peccata vel daemones tenebrae sive opera tenebrarum ab apostolo nuncupeatur.

VII. Quia stultorum atque carnalium vel dubiorum sit . . .

VIII. Quia ex Deo et in Deo sint omnia qui universa operatur, omnisque paternitas ab eo nominetur, atque omnia cognita sint per Christum.

VIIII. Quia sapientia et gratia atque benedictio dona spiritalia sint, et quod invisibilia eius per ea quae tacta sunt intellectu conspiciuntur.

X. Quia inscrutabilia sint iudicia Dei, et investigabiles viae eius: similiter et divitiae Christi et multiformis sapientia.

XI. Quia quae videntur, temporalia: quae autem non videntur, aeterna sunt. Ideoque qui in hac vita tantum sperantes sunt, miserabiliores esse omnibus hominibus.

XII. Quia Christus similitudinem carnis peccati sumpserit in ministerio: in quo sunt thesauri sapientiae: qui fecit utraque unum, et ascendens in altum captivam duxit captivitatem: quemque iam non secundum carnem nosse se dicebat apostolus.

XIII. Quia Christus in carne pro nobis mortuus, idem homo et Deus, mediator Dei et hominum sit.

XIIII. Quia fidei apostolicae fundamentum Christus sit, qui est lapis angularis, et caput nostrum: ex quo omne corpus, et in quo construuntur qui credunt evangelio.

XV. Quia sacramentum olim filiis hominum absconditum, nunc per apo-

siolum sanctis manifestatum sit. Et quod Christus sapientia nuncupatur, quam nemo principum huius mundi cognovit.

XVI. Quia Christus filius Dei, imago virtutis, ac sapientia Patris sit. Et quod in ipso plenitudo divinitatis corporaliter habitet: solus nesciens in carne peccatum. Omnis autem homo mendax.

XVII. Quia homo Christus ab apostolo Deus et dominus nominatus sit, et quod non in divinitate sed ex semine David et ex muliere factus dicatur.

XVIII. Quia Christus pax nostra sit, ideoque in cruce sua inimicitias solvens, delevit quod adversum nos erat chirographum, medio pariete destructo.

XVIIII. Quia Christus non invitus, sed sua voluntate, passione sua, Patris impleverit voluntatem: humiliavit se usque ad mortem.

XX. Quia Hierusalem illa caelestis sit libera: et quod nos secundum Isahac promissiones deputemur in semine: et quod caput ac plenitudo ecclesiae Christus sit.

XXI. Quia Spiritus Dei omnia scrutetur et noverit etiam alta Dei, quae spiritales tantummodo intelligant, et loquantur: omnia iudicantes, ipsi a nemine iudicantur, occursuri Christo.

XXII. Quia peccatum mortem afferat, quae in servitutem animam religat.

XXIII. Quia ignorantia tenebrae sint, scientia vero lux in Deo, et utraeque filios suos habent.

XXIIII. Quia Deus ante saecula sapientiam sacramento absconditam ad gloriam nostram praedestinavit, eorum videlicet quos ante constitutionem mundi elegit.

XXV. Quia gratiae Dei sit atque misericordiae, ut credant audientes, et salventur credentes: obtunsio vel induratio de peccato veniat non credentibus: et contra naturam insertae sint gentes gratiae Dei: quippe ex quo et per quem, et in quo sint omnia.

XXVI. Quia peccatum et mors per Adam in omnes homines, et regnaverit mors ab Adam usque ad Moysen.

XXVII. Quia corrumpant mores bonos confabulationes pessimae, et quod quaestiones atque contentiones subvertant potius quam aedificent audientes.

XXVIII. Quia peccandi cupiditas, idest voluptas carnis, quae ex consuetudine diuturna lex iam dicitur atque natura, sanctae adversa semper sit voluntati.

XXVIIII. Quia caro eiusque prudentia Deo sit inimica, et a Deo atque ab omni bono semper absentet. *

XXX. Quia per habitantem in nobis Dei Spiritum vivificentur mortalia corpora nostra.

XXXI. Quia novus homo interior sit, cuius caelestis imago est: quippe ad imaginem Dei formatus quisquis Dei gratia et scientiae lumine reformatur, et ut thensaurus in fictili vase consistens, visceribus misericordiae et fidei atque caritatis induitur.

* cod. absente.

XXXII. Quia vetus homo exterior sit, qui corrumpitur, et in quo corpus peccati destruitur: quique terrestris domus et vas fictile ab apostolo nuncupatur.

XXXIII. Quia sanctorum corpora Dei sive Spiritus sancti templa, et Christi membra sunt: et ideo semper hostia viva et placens esse debeant, ab omni opere carnis et a susurratione et vaniloquio ceterisque peccatis abstinere se debeant: et ut virgines iuxta apostoli consilium sic permaneant.

XXXIIII. Quia sancti carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt, gloriantes in cruce Christi, per quam mundo eiusque operibus mortui sunt.

XXXV. Quia quum carnibus et vino aliqui abstineant, nec iudicari ab aliis debeant, nec ipsi alios iudicare, eo quod mundis omnia munda sint, et quia esca et potus neminem commendat: Dominus enim et hunc, inquit, et haec destruit.

XXXVI. Quia [vinum] sit omnis causa luxuriae, et ideo abstinendum sit ab eo: quippe quod pro sola infirmitate et ipsum modico uti indulgeat.

XXXVII. Quia per beatam voluntariam paupertatem, iusti radicem malorum omnium avaritiam respuunt, contenti cotidiana exhibitione et tegumenti sufficientia per pietatem sibimet ministrata.

XXXVIII. Quia iustorum militia, et arma, et hostes, et lucta vel pugna, spiritalia sint, quorum conversatio in caelis est, unde et Christum dominum expectant.

XXXVIIII. Quia opus doctoris lectio sit, atque evangelii praedicatio, in quibus nocte ac die operabatur apostolus.

XL. Quia psalmis, hymnis, et canticis spiritalibus atque orationibus insisti debeat, tam pro invicem quam pro regibus atque omnibus hominibus.

XLI. Quia apostolus omnibus omnia factus sit, ut omnes lucrifaceret: per quod omnibus placuit: quem imitari oportet, ut sicuti luminaria in conversatione sua luceant in ceteros christiani: quorum tale debet esse opus, qualis est sermo.

XLII. Quia corpus ac sanguinem Christi, quod est magnum pietatis sacramentum, manifestatum in carne, iustificatum in spiritu, si quis indigne sumpserit, corporis ipsius sanguinisque sit reus.

XLIII. Quia scientia ac fide et sanctitatis odore erant pleni tam apostolus, quam illi quibus gratias referebat.

XLIIII. Quia per multimodam Spiritus sancti gratiam, prout oportuit, dona spiritalia distributa sint sanctis: ideoque debere unumquemque in quo vocatus est permanere, et inferiores honorem evangelio operantibus dare.

XLV. Quia Spiritus sanctus inreprehensibilis esse debeat, omnisque clerus pacificus, iuvenalia desideria fugiens, servans mandatum, probans potiora, corripiens errantem, docens utilia. Similiter et viduas esse debere.

XLVI. Quia ecclesiastici non debeant ob suam defensionem publica adire iudicia sed tantum ecclesiastica, nihilque inique iudicare, ac duorum vel trium testimonio rem probare: quia sancti mundum et angelos iudicabunt.

XLVII. Quia firmiores in fide debeant infirmioribus compati considerantes seipsos, ne et ipsi temptentur.

XLVIII. Quia in ordinibus ecclesiae elegerit Deus primo apostolos, secundo prophetas, tertio magistros.

XLVIIII. Quia omne bonum eligendum sit, et cunctis virtutibus fraterna caritas praeferenda: redimendum tempus: paxque et humilitas a christianis sectanda.

L. Quia vitandi sint qui non secundum apostoli traditionem vivunt, sed suo potius ventri deserviunt, qui in novissimis temporibus sunt futuri.

LI. Quia gravius delinqnunt qui alios iudicant, ipsi deteriora facientes: vel certe participes peccantium sint hi qui peccantibus quoquo modo consentiunt.

LII. Quia vel fuerint vel futuri sint pseudoapostoli et pseudoprophetae, per quos Satanas transfiguratur in angelum lucis.

LIII. Quia multi recesserunt ab apostolis vaniloqui, quod heredes * extiterint ad errores.

* cod. heres.

LIIII. Quia non per legem, sed per Christi fidem et confessionem salventur ac iustificentur credentes, servitutis iugo et sexuum diversitate carentes.

LV. Quia commendet eos qui secum conlaborant in evangelio, et omnes qui praesunt, quorum, ut ait, nomina in libro vitae sunt scripta.

LVI. Quia praecipiat plebi ut potestatibus subiecti sint: et ut suis manibus operentur: uxores, filios, servos, et servi dominos diligant: et mulieres in ecclesia taceant, nec docere praesumant.

LVII. Quia incontinentibus nubere iubeat, et mulier per filiorum generationem salvanda sit.

LVIII. Quia factis iustificentur credentes, non tantum sermonibus: non enim in sermone est regnum Dei, ait, sed in virtute.

LVIIII. Quia caput viri sit Christus, vir autem mulieris. Et quia oporteat sine ira et disceptatione semper orare. Et mulieres ornatas esse debere non moniiibus sed conversatione.

LX. Quia gratias agat apostolus his, qui ad eleemosynam prompti sunt, alios ad hoc opus exhortans.

LXI. Quia bonae vitae quorumdam laicorum, et fidei atque humanitati eorum testimonium reddat apostolus, quod refecerint vel ipsum vel sanctorum pauperes.

LXII. Quia exprobret quorumdam avaritiam Paulus dicens, se ita evangelium praedicasse eis, ut eos non gravaret: debere tamen altari deservientes inde vivere, ut miles suis stipendiis.

LXIII. Quia cervices suas quidam pro apostolo subposuerunt, quibus gratias agit non solus ipse, sed universae ecclesiae, quas etiam . . . propriis susceperunt.

LXIIII. Quia iustitiam Dei, quae per Christum data est, ignorent hii qui iustitiam legis sectantur. Impossibile namque erat legi Dei servientibus, sibi auferre peccata.

LXV. Quia duas leges dicat esse apostolus, unam per Moysen quae carnalis est, aliam per fidem et gratiam Christi quae spiritalis est: illam quidem destruens, quia non iustificat; hanc vero statuens, quia salvat atque iustificat.

LXVI. Quia in lege iudaica scriptum sit: denuo nos Christus liberat factus ipse maledictum.

LXVII. Quia per spiritalem cordis in Christo circumcisionem, propudiosam illam legis destruat apostolus.

LXVIII. Quia quae in veteri testamento vel facta vel scripta sunt, in nostri figura contigerint.

LXVIIII. Quia Abraham imitandum Iudaeis ponat apostolus, adprobans non ex operibus legis, sed ex operibus fidei, iustificari credentes, quos et Israhel nuncupat.

LXX. Quia gentes de Iudaeorum casu non debeant gloriari: Deus enim omnes homines vult saivos fieri, concludens omnia sub peccato, ut omnium misereatur: qui per Christum nos reconciliavit sibi: Deus enim, inquit, erat in Christo, mundum reconcilians sibi

LXXI. Quia quum persecutorem ecclesiarum fuisse accuset, et minimum apostolorum esse dicat, raptum tamen usque ad tertium caelum se confitetur, ubi sine dubio instructus est evangelio: quod non ab homine, sed a Christo revelationem Spiritus doctum se esse dicit.

LXXII. Quia dicat idem apostolus, a Deo se gratiam apostolatus accepisse, et Christum in se loqui et operari: et quia Spiritu Dei aguntur qui filii Dei sunt, heredes quidem Dei coheredes autem Christi.

LXXIII. Quia ubi evangelium praedicaverit, ibi nullus apostolorum fuerat, seque ad evangelizandum a Christo missum.

LXXIIII. Quia nihil minus fuerit aliis apostolis tam praedicatione quam signis: nam imperitus sum, inquit, sermone, sed non scientia.

LXXV. Quia collegam habuerit Timotheum et Epaphroditum coapostolum atque conmilitonem, aliosque adiutores sive ministros.

LXXVI. Quia gentium sit apostolus, quibus et evangelium praedicat: et quod veniens Antiochiam, reprehendit Petrum, ibique dextras dederint Iacobus et Iohannes et Barnabae societatis.

LXXVII. Quia filios vocet eos, quos veritatis scientia inbuebat, in quibus apostolicae auctoritatis potestate usus, de his quos ad poenitentiam vocaverat gratulatur.

LXXVIII. Quia praedicare potius quam baptizare missus a Christo sit. In baptismo Christo esse consepultos, ut filii Dei effecti in novitate vitae ambulemus, heredes quidem Dei coheredes autem Christi.

LXXVIIII. Quia ob peccatorum inmensitatem scelesti homines deterioribus traduntur passionibus. Et quia non sponte creatura subiecta sit, et evangelium creaturae sit praedicatum.

LXXX. Quia ex parte scire, et ex parte prophetare, et per speculum illa, quae futura sunt, videre se dixerit, currens ad bravium supernae vocationis Dei.

LXXXI. Quia christiani in passionibus gaudere debeant, scientes donum Dei esse quod credunt. Nam pro Christo pati, aeternae mercis erit.

LXXXII. Quia corpora sanctorum in illa generali resurrectione diversis meritorum claritatibus induenda sint: ubi iam caro et sanguis, idest ventris et libidinis opera, non regnabunt.

LXXXIII. Quia primitiae resurrectionis Christus sit: deinde qui ipsius sunt: nunc ipse super omnem principatum et potestatem sedeat in Patris dextera conlocatus.

LXXXIIII. Quia in copore constitutos resurrexisse dicat in baptismo eos qui peccato mortui convivificati sunt Christo: et quaerant quae sursum sunt, non quae super terram.

LXXXV. Quia iudicium Dei erit, iusto iudice Christo, ubi recipiet unusquisque secundum opera sua, conscientia rationem etiam de cogitatione reddente: omniumque criminum rei, Dei iudicantis experiuntur examen.

LXXXVI. Quia inhonorentur a Deo qui non honorificant Deum, et relinquantur desideriis suis, gravius iudicandi.

LXXXVII. Quia ante iudicii diem veniet filius peccati, qui intelligitur Antichristus.

LXXXVIII. Quia iudicium in fine mundi igne erit, quod et iram nominat; qui dies in adventu Iesu de caelis ut fur veniet in filios diffidentiae omnemque inpietatem.

LXXXVIIII. Quia praesens huius mundi felicitas, non solum ut brevis sed ut nociva et malitiosa spernenda est: et quia sapientia eius, stultitia sit: in quibus et nos aliquando conversati, inquit, sumus. Novissimum vero destruendam mortem, quum iusti de his, qui nunc eos tribulant, vindictam a Domino fuerint consecuti.

XC. Quia iusti cum Deo patre et Christo regnaturi in aeternum sint, ubi corpus corruptioni ultra subiectum non erit.

FINIUNT CANONES. INCIPIUNT KAPITULAE.

ADNOTATIO.

In cavensi codice inter epistolam ad Colossenses et priorem ad Thessalonicenses interponitur illa quoque apocrypha ad Laodicenses epistola, quam alius item vetustissimus codex habuit insertam inter epistolam ad Titum, et Iohannis primam. De hac nos ad italicae veteris fragmenta p. 74. locuti sumus. Nunc lectiones aliquot a textu differentes quem loc. cit. collocavimus, ex cavensi codice adscribere placet

Edit. nostr. p. 74. v. 3. *nostro*, deest in cavensi. V. 5. *destituit*, cavensis habet *destinavit*. V. 6. *se* deest in cavensi. V. 7. *faciet*, cavensis *faciat*. V. 9. *operum*, cavensis *operamque*. V. 10. *enim*, cavensis *mihi*. V. 11. *factum*, cavensis *fletum* ut in cod. vat. V. 12. *enim vere*, cavensis *enim mihi vere*. V. 13. *et ipsum*, cavensis *et id ipsum*. Pag. 75. v. 1. *audistis*, cavensis *auditis*. *Meam* cavensis *mei*. *Ita* deest in cavensi. V. 2. *cum timore*, cavensis *in timore*. V. 7. *et quae*, deest *et* in cavensi. Denique in epistolae fine post verba *cum spiritu vestro*, sequitur in cavensi *et facite legi Colossensium vobis*. (Nimirum ex ep. ad Coloss. IV. 16.)

DE ITALICAE VETERIS FRAGMENTIS

ADMONITIO.

1. Vetus iam inde a Flaminii Nobilii temporibus observatio est, priscam italam divinorum librorum latinam translationem, superveniente nova, paulatim e manibus hominum excidisse, ita ut nullum eius exemplar integrum superesse in codicibus videatur. Etenim praedictus Nobilius in praef. ad sixtinam LXX. interpretum latinam editionem sic loquitur. « Huius editionis » integrum corpus, quod sciamus, non extat; partes multae » ex plerisque libris apud latinos patres habentur. » Pergit deinde Nobilius dicere, quod vetus itala in psalterio, libris sapientiae, ecclesiastici, et Machabaeorum, itemque in nonnullis Estheris ac Danielis partibus, in epistola item Hieremiae, et in Baruch propheta, in quibus videlicet S. Hieronymus non egit interpretem, utcumque superfuerit, non sine tamen multis, ut pronum creditu est, diversitatibus. « In ceteris vero par» tibus vulgata, qua nunc utimur, est interpretatio sancti Hie» ronymi (in vet. test.) ex hebraico, quam beatus Gregorius » novam appellavit: quae quamvis optima sit, ac iustissimis » de causis edita, summamque habeat auctoritatem, magno ta» men docti ac pii homines desiderio afficiebantur, illam etiam » quam latini patres ante beati Gregorii tempora privatim publi» ceque ad fidei doctrinam moresque formandos adhibuissent, » integram legendi: sine qua praeclarae illorum lucubrationes » vix aut ne vix quidem percipi interdum possent; et ex qua » eae saepenumero sententiae elicerentur, quarum pulchritudi» nem et efficacitatem vel ipse sanctus Hieronymus admiratur, » quaeque ad animos hominum permovendos atque inflamman» dos maximam vim haberent. Ac nonnullae etiam interdum » voces et querelae audiebantur, ecclesiae nutricem, postquam » consenuisset, parum grate despici nullamque eius rationem » haberi: praesertim cum eius restitutio, multum iis partibus, » quae ex ipsa in vulgata nostra remanserunt, emendandis es» set profutura. » Hoc iustissimo prolato iudicio, ait se in translatione latina ·LXX· interpretum, quam auspiciis iussuque Sixti V. P. M. adornabat, veterem illam quae ex iisdem manaverat italam restituisse, quantum sparsa fragmenta ferebant. « Quod ad latinam, inquit, pertinet, diligenter operam dedi» mus, ut quae ipsius sanctae scripturae partes a latinis patri-

» bus alicubi recitantur, eas eodem modo atque ab ipsis sunt » recitatae, nisi aut illorum inter se, aut nostri exemplaris va» rietas obstaret, poneremus: in reliquis, quas citatas non in» venimus, eadem verba, easdem locutiones, quantum res ipsa » ferret, retineremus. »

2. Reapse Nobilius inter primarios italae veteris restitutores merito habetur, tum in sua interpretatione latina, tum in attextis patrum occidentalium testimoniis: quod tamen quantum a rei integritate adhuc absit, paucis dici non potest. Interim Sixti V. P. M. sapientiam, incorruptamque et nullis partium studiis restrictam iustitiam, dilaudare opus est, qui etsi latinam vulgatam bibliorum editionem, ex hebraico abs Hieronymo sumptam, tantopere adiuvit, strenuoque nisu typis vaticanis imprimi voluit, nihilo tamen minus graecae quoque ·LXX· interpretum editioni, pari animi aequitate ac magnitudine favit. Immo de graecis antea bibliis, quam de latinis cogitavit: graeca enim sixtina editio anno ·M·D·LXXXVII· Romae apparuit, sequente autem Nobilii translatio: latina vero ex hebraico vulgata nonnisi anno ·M·D·XC· lucem aspexit, Sixto iam e vivis prope excedente; ita ut illam successor Clemens biennio post supremis curis expolitam, per catholicum orbem demum disperserit. Profecto fieri non poterat, ut magistra veritatis romana ecclesia de ·LXX· virorum graeco textu aliter constitueret. Illo enim et apostoli, et vetustissimi quique religionis nostrae doctores usi sunt: indidemque manarunt celeberrimae aliae Christianorum translationes, gothica temporis constantiniani (cuius nos grandem partem Mediolani in palimpsestis sepultam cum ineffabili gaudio reperimus), armeniaca, arabica, syriaca, slavica, aethiopica, coptica, atque in primis latina vetus, primo vel altero ecclesiae saeculo ab apostolorum, ut credere dignum est, discipulis in Italia, unde et nomen contraxit, fidelissime elaborata: quamquam postea per infinitas manus interpretesque perlapsa, verborum varietati, salva rei veritate, patuit. Ergo textum ·LXX· viralem passim olim christianae gentes suis quaeque linguis loquentem audierunt, vel potius adhuc audiunt. Post Nobilium magno rursus labore ac studio Petrus Sabaterius ex inclyto Benedictinorum ordine (1), et Iosephus Blanchinius ex Oratorii item clara familia (2), suscitandis italae priscae reliquiis

(1) Bibliorum versionis antiquae tomi tres.

(2) Evangelium quadruplex T. II. Vindiciae canonicarum scripturarum T. I. Psalterium duplex T. I.

vigilaverunt: quorum veluti socii laboris vel potius antesignani fuerunt Faber Stapulensis, Iosephus Carus, Iohannes Martianaeus, Andreas Iricus, B. Cardinalis Thomasius; qui omnes catholicae ecclesiae alumni ad restituendam pro viribus antiquam bibliorum translationem incubuerunt. Quamvis enim ex heterodoxis quoque nonnulli, veluti Hearnius, Kiplingius, atque Munterus, hanc sacrae criticae partem docte attigerunt, nostrorum tamen erga italam priscam merita multo potiora sunt.

3. Postremam ac minimam ego quoque symbolam huic mihi videor operi contulisse: etenim italicae veteris permultos locos in Victorini commentariis ad Pauli epistolas (Script. vet. T. III.) iam legere licet. Item in arrianis fragmentis, sive commentarii in Lucam sive tractatuum dogmaticorum, quae cum amplis refutationibus eodem tomo complexi sumus, nil nisi ex vetusta versione est. Quin etiam paene totum Matthaei evangelium versionis antehieronymianae ex codice olim claromontano extulimus. (Etenim aliud a Martianaeo vulgatum exemplar, e corbeiensi et sangermanensi diversae saepe lectionis codicibus sumptum fuit.) Utique et Nicetas aquileiensis a nobis editus (Script. vet. T. VII.) prisca omnino translatione utitur, quam rem ibi in adnot. p. 314. lectorem sedulo iam monuimus. Vulgatae quoque a nobis atque in posterum vulgandae homiliae, quotquot certe saeculum sextum antecedunt, priscum de graeco alexandrino derivatum textum in biblicis testimoniis sequuntur. Iam vero partim ex palimpsestis, partim quoque ex aliis non dubiae antiquitatis scriptis, par reliquiarum numerus coacervandus, ut puto, superest. Est mihi in manibus priscus quoque ad biblicos omnes libros commentariolus, typis postea tradendus, in quo veterum translationum permultae lectiones notantur. Ceteroqui vix amplior italicae veteris occurrit seges, quam in vetustissimo quodam rom. codice, quem ego olim alieni catalogi sententia vel potius coniectura fretus, longobardicum dixi, saeculi ferme noni, sed deinde inspectum quadratis ferme litteris scriptum agnovi, et sexto potius vel certe septimo saeculo addicendum iudico. Codicis titulus diversis manibus ac temporibus repetitus variusque est. « 1. De testimoniis scripturarum Augustini contra Donatistas. 2. Libri de speculo. 3. Beati Augustini de testimoniis scripturarum contra Donatistas et idola. » Tractatum reapse de testimoniis scripturarum contra Donatistas et idola scripsisse Augustinum, bis dicit in catalogo eius operum contemporaneus Possidius. Ipse porro Augustinus in retracta-

tionum libro II. cap. 27. libelli sui probationum et testimoniorum contra Donatistas meminit.

4. Verum enimvero in codice, de quo loquimur, nequaquam ipsum Augustini speculum contineri, docte demonstrare videtur Card. Besutius in ms. sua de hoc opusculo dissertatione a me studiose perlecta, quia nimirum nihil est in universo libello, quod contra Donatistas et idola diserte scribatur; nihil item documentorum de ecclesiasticis vel publicis gestis contra Donatistas pro catholica veritate, quae tamen Augustinus loc. cit. in id opusculum a se inserta fuisse narrat. Adde, inquit Besutius, quod horum testimoniorum e sacris bibliis petitorum textus saepe nimis a textu differt, qui in aliis Augustini operibus legitur. Etenim romanum hoc speculum nihil est aliud, quam tituli ·CXLIV· de moralibus et quandoque etiam dogmaticis rebus, quae subiectis bibliorum testimoniis illuminantur vel comprobantur. Iam vero hi ipsi tituli abs Hieronymo Vignerio in supplemento operum Augustini T. I. editi olim fuerunt ex pari codice gallicano; testimoniorum tamen nonnisi priora et postrema verba, mediis omnibus intercisis: et haec ipsa quidem non secundum veterem de graeco translationem, sed secundum novam quam ex hebraico expresserat sanctus Hieronymus; sive hanc mutationem Vignerius fecerit, ut credibile est, sive alius ante ipsum quilibet: etenim hic mos substituendi interdum novam veteri translationem in biblicis testimoniis, aliâs quoque observatus fuit. Quamquam igitur romanum speculum cum Augustini et Possidii definitionibus satis non conspirat, congruit tamen (quod Besutius non animadvertit) cum Cassiodori descriptione inst. div. litter. cap. 16, ubi sic: « liber eiusdem (Augustini) quasi » philosophiae moralis, quem pro moribus instituendis atque » corrigendis ex divina auctoritate collegit, speculumque nominavit, magna intentione legendus est. » Prorsus in his Cassiodori verbis speculum nostrum vides; sive reapse Augustini foetus sit, sive id nomen codex iam tempore Cassiodori mentitus fuerit: etenim hoc exemplar ab aetate Cassiodori parum oppido aut vix abest. Hanc itaque controversiam alio tempore, ut auguror, prolixius ego tractaturus sum. Certe vero illud, quod in maurina Augustini editione T. III. speculum extat, (diversa confectum methodo, id est ordine sacrorum librorum servato) Augustini credi omnino non potest, quicquid Maurini doctissimi contra adfirment, ut idem verissime censet Besutius: nam et hoc aeque duplici illa difficultate laborat, qua

noster de quo loquimur, argumenti scilicet, et textuum biblicorum diversitatis. Praeter quam quod haud verisimile est, ab Augustino librum quem ad populi usum scribebat, ex nova potius et adhuc insolita, quam ex vetere et usitata bibliorum editioue fuisse contextum. Atqui maurinum speculum mera vulgati translatio est: atque idcirco Sabaterius eo parcissime utitur.

5. Quid ergo superest, quidve adhuc emolumenti in romano codice inest? Multum oppido, immo perplurimum. Etenim quum haec tam numerosa scripturarum testimonia ex itala vetere omnia sumpta fuerint, nulla prorsus admixta vulgati novitate, insignis horum videbitur in biblica archaeologia usus; nec in latina solum re, verum etiam in graeca. Etenim quum Augustinus de doctr. christ. lib. II. cap. 15. hac ingenti italam veterem laude mactaverit: « in ipsis interpretationibus itala ceteris prae» feratur; nam est verborum tenacior, eum perspicuitate sententiae » sequitur ut ad ipsum ·LXX· viralem textum, ab amanuensium ac temporum varietatibus discernendum, recteque constituendum, et qualis iis saeculis fuerit coguosceudum, fragmenta haec latina valde couferant: praesertim quia graecis verbis tantopere inhaerent, et mira quadam facilitate sermonis fluunt. « In graecis, inquit loc. cit. Augustinus, septuaginta interpre» tum, quod ad vetus testamentum adtiuet, excellit auctori» tas. » Atque hoc testimonium cum superiore copulatum, singularem quodammodo efficit auctoritatem: heic enim graecum ·LXX· interpretum graecis reliquis praefert Augustinus, illic latiuum ex hoc ipso graeco derivatum latinis aliis, quae suo tempore extabant, anteponit. Quae quum ita se habeant, nihil tamen vetuit, quin doctissimus Christianorum Hieronymus novam ex hebraica veritate translationem postea curaret, praesertim ob amputandam tot aliorum interpretum, et graecorum latinorumque codicum, varietatem et confusionem; quam egregiam summi viri ceterisque praestantiorem lucubrationem, catholica ecclesia et tunc laudavit, et pedemptim deinde admisit, ac peremptorio deuique decreto adprobavit. Quin adeo Arabes atque Syri, Latinos veluti imitati, ex hebraico quoque exemplari alias sibi confecerunt interpretationes, quas usui saltem critico adhibent. Haec, inquam, eruditis notissima, simpliciorum tamen in gratiam recinere non recusavimus.

6. Atque ut ad speculum revertamur, quoniam in eo nihil est aliud quam moralia, vel de aliis rebus, paucorum verborum in titulis lemmata, quae ipsa iamdiu, ut diximus, Vigne-

rius edidit, et deinde biblica testimonia; id unum superest, ut operis continentia longe maxima et pretiosissima, fragmenta inquam biblica, ob augendas italicae veteris reliquias, in lucem denique proferantur. Quam rem molienti mihi, visum est utilius factum iri (omisso quidem morali testimoniorum usu, qui per Vignerium iam nobis innotuit, quemque tot aliis huiusmodi operibus compensare facile possumus) visum est, inquam, concinnius fore si fragmenta per dictos titulos late in speculo dispersa ac perturbata, prout tunc argumenti scopus postulabat, nunc rursus ad suos singula libros, unde fuerant divulsa, seriatim revocarentur: sic enim brevius atque ordinate licebit cognoscere, quid quantumve ex singulis scripturae sanctae libris nacti simus: quae res sacrarum litterarum studiosis valde erit, ut puto, iucundior et compendiosior. Attamen quod commodum aliis accidet, mihi multo, et supra quam verbis dici potest, fuit molestissimum, operaeque ac temporis indigentissimum. Etenim quum speculi auctor sacrorum nomina librorum tantum adscripserit (et quidem haud semel pessumdata, et in sapientialibus praesertim libris permutata) nullis capitulis, nedum sectionibus aut stichometriis, adnotatis, grave sane fuit atque operosissimum tot textus dignoscendi negotium, atque ad suas quemque sedes retrahendi: quam ad rem concordantiae vulgati latinae, ob verborum ab italica vetere diversitatem, saepe non proderant: graecae Trommii concordantiae melius adiuvabant; ita tamen ut graecum antea vocabulum imaginandum mente esset, ad quod latinum translationis huius referendum esse videretur. Nam et Vignerius raro profuit, quem hac in re fallacem passim mendosum et oscitantem cognovi. Quare et illud monendum superest, rudiorum certe causa, ne latina haec fragmenta ex graeco sumpta, ad vulgatum latinum ex hebraicis fontibus haustum, exigere semper velint; sed cum graeco ·LXX· virorum textu, vel cum illo latino comparare malint, quem Nobilius primus Romae impressit, cui haec fragmenta conformia, ad sententiam saltem quod adtinet, plerumque comperient. Sane non est dubitandum, quin si olim Nobilius codicem hunc fragmentorum prae manibus habuisset, perlibenter illum cum interpretatione sua miscuisset. Secus autem, codice veteris translationis ut ipse ait carens, graecum textum recte quidem, sed tamen verbis suis necessario repraesentavit, locis iis exceptis, ubi modicis latinorum patrum laciniis adiutus fuit: modicis inquam, quia tot evolvere atque expi-

lare patrum volumina, unius hominis et quidem properantis vires excedebat. Utique et Sabaterius si nostro forte fortuna codice potitus fuisset, totum prorsus cum pulvisculo, ut dicitur, in tomos suos transtulisset. Interim non est quod quemquam, modo sit cordatus, offendat translationum priscarum varietas; sanctus enim Augustinus de doctr. ch. II. 12. diserte ait: « multitudinem varietatemque interpretum plus adiuvare intelligentiam (ss. bibliorum) quam impedire, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias, plurium codicum saepe manifestavit inspectio; alter enim ex altero exponitur: difficile est enim ita diversos a se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. » Augustino consonat lugdunensis diaconus Florus, cuius nos opusculum de psalterii emendatione Script. vet. T. III. part. 2. p. 252. seqq. edidimus. Ibi enim duplici interdum diversorum codicum aut interpretum lectione recitata, utramque admitti posse, non semel adfirmat. Porro et malivolorum hac in re calumniis satis iam occurrit in suis prolegomenis Sabaterius ff. 200. Denique nova quoque vocabula latinis lexicis hinc accedunt: ego enim fragmentorum horum gratia, glossarii novi instruendi cepi consilium, quod deinde aliis subsidiis valde ampliavi.

7. Equidem non ignoro quaestionem inter eruditos iamdiu ventilatam, quinam demum, post tot latinos bibliorum interpretes, quos innumeros fuisse aiunt hyperbolice Augustinus de doctr. chr. lib. II, cap. 11, et Hieronymus praef. in Iosuam, quinam inquam genuinus italicae veteris textus, in tanta fragmentorum lectionumque varietate iudicandus sit. Hic enim mos percrebuit, ut quicquid ante aetatem Hieronymi scriptum fuisse creditur, immo quicquid ab Hieronymi translatione differt, id italicae veteris nomine denotetur. Ceteroquin ea rectior tutiorque sententia est, quae censet, reapse in italicis praesertim codicibus, ut quique antiquiores sunt, italam illam potius ab Augustino celebratam, quam aliam quamlibet contineri translationem, multis tamen varietatibus, ut fieri solet, refertam. Ecce enim (quod mirum merito videatur) in hoc ipso codice testimonia eadem saepe repetita, quia diversis titulis erant idonea, aliquando dissident inter se, ut nos in adnot. criticis vocabulo *al.* id est *aliter*, indicavimus; quae res vel amanuensium arbitrio, vel diversorum codicum naturae tribuenda est. Porro et Matthaei testimonium, de quo mox dicam, verbis satis differt ab illo, quod nosmet olim ex alio codice edidimus (Script. vet.

T. III.) versionis sine dubio antehieronymianae. Igitur hac in re sapienter concludebat Besutius: « varias lectiones legere, » idem mihi semper visum est, ac tres vel quatuor alicuius » linguae peritos, de sensu verborum eiusdem linguae disseren- » tes audire. »

8. De conservato feliciter in his fragmentis (aeque ac in cavensi codice) celebri Iohannis ep. I. 5. circa divinas trinitatis personas testimonio, (quod infeliciter, ὁμοιοτελεύτου culpâ, a codice amiatino excidit, Bandin. diss. cap. XX.) suo infra loco p. 71. disserui. Sed enim Matthaei quoque additamentum cap. XX. 28, ex parallelo Lucae XIV. 10. derivatum, quod supra memoravimus, in his quoque speculi testimoniis ita se habet. « Vos autem quaeritis in modicis extolli, et de maximis minui. Cum » autem introieritis ad caenam vocati, nolite recumbere in ho- » norificis locis; ne forte dignior te superveniat, et accedens » invitator dicat tibi: adhuc infra accede; et confundaris. Si » autem recubueris in inferiori loco, adveniet inferior te, et » tibi (dicet) qui te ad caenam invitavit: accede adhuc in su- » periori loco; et erit tibi hoc utilius. Quia omnis qui se exal- » tat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. » Ordo denique ipse evangelistarum in hoc codice summam sapit antiquitatem: ut enim sequax testimoniorum series demonstrat, primus Matthaeus scribitur, secundus Iohannes, tertius Lucas, Marcus postremus: qui ordo in vetustissimo quoque et celebri cantabrigiensi observatur. Secus autem in codice amiatino (uti nos monet Bandinius dissert. de ipso, cap. X.) hodiernum ordinem evangelistae tenent: praeter quam quod non italicam veterem in amiatino, sed vulgatam contineri, compertum est. Neque vero his prolixius fragmentis praefari volumus; sed, quod superest, gratias duobus illis agimus egregiis benignisque viris, quos iam Spicil. T. V. p. 237. et alibi, honoris gratique animi causa appellavimus; et praesertim docto bibliothecario, qui manu sua codicis apographum, unde nos postea fragmenta biblica sumpsimus atque ordinavimus, patienter admodum, sed ob rei dignitatem libenter, exaravit: cui deberi, quicquid hinc sacris litteris boni accesserit, sponte fatemur.

EX ANTIQUA VERSIONE

SEU ITALICA VETERE

DIVINORUM LIBRORUM

FRAGMENTA.



EX LIBRO GENESEOS.

Cap. I. 1. In principio fecit Deus caelum et terram. 2. Et spiritus Dei superferebatur super aquam. 6. Et dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquae, et sit dividens inter aquam et aquam. Et factum est sic. 7. Et fecit Deus firmamentum. Et divisit Deus inter aquam quae est sub firmamento et inter aquam quae est super firmamentum. 26. Et Deus · faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. 27. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.

VI. 2. Videntes autem angeli Dei filias hominum quod essent formosae, acceperunt sibi mulieres ab hominibus quas eligerunt (*a*). 3. Et tunc dixit Deus, non permanebit spiritus meus in istis hominibus in aeternum, propter quod sint carnales.

VII. 4. Et locutus est Dominus ad Noe dicens: post septem dies inducam diluvium aquae per dies quadraginta totidemque noctes, et deleam (*b*) omnem generationem quam feci a facie terrae. 11. Et eruperunt omnes fontes abyssi, et cataractae caeli apertae sunt, et factae sunt pluviae diluvii super omnem terram.

VIII. 1. Et tunc misit Dominus spiritum, et abstinuit aquam.

IX. 6. Qui effunderit (*c*) sanguinem hominis, pro sanguine illius fundetur anima hominis illius; quia ad imaginem Deí feci (*d*) hominem.

XII. 1. Et dixit Dominus ad Abraham: exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram quam tibi ostendero. 2. Et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum; et benedictus eris. 3. Et benedicam qui te benedixerit, et maledicam qui te maledixerit.

XIV. 20. Et dedit ei Abraham decimas ab omnibus suis.

XV. 5. Eduxit autem Abraham foras, et dixit illi: respice in

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. Nolo autem scribere *ut deleam*, quia graece est καὶ ἐξαλείψω. (*c*) Ita cod. (*d*) Cod. *fecit*.

caelum, et numera stellas si potes numerare eas. Sic erit semen tuum.

XVI. 8. Et dixit ei angelus Domini: Agar ancilla Sarrae, unde venis et quo vadis? Et dixit: a facie dominae meae Sarrae ego recedo. 9. Dixit autem ei angelus Domini: revertere ad dominam tuam, et humilia te sub manibus eius. 10. Et dixit ei angelus Domini: replens replebo semen tuum, et non numerabitur a multitudine: 11. quia exaudivit Dominus humilitatem tuam. (*a*) 13. Et vocavit nomen Dei, qui ad eam loquebatur: tu Deus, qui respexisti me.

XVIII. 1. Paruit autem ei Deus ad ilicem Mambrae sedenti illi ad ostium (*b*) tabernaculi eius medio die. 2. Adlevatis autem oculis suis, vidit: et ecce tres viri stabant super eum. Et ut vidit, adcurrit obviam eis ab ostio (*c*) tabernaculi sui, et adoravit super terram. 3. Et dixit: : domine, si inveni gratiam ante te, ne praetereas puerum tuum. 4. Sumatur autem aqua, et laventur pedes vestri, et refrigerate sub arborem. 5. Et sumam panem et manducabitis, et postea transietis, propter quod declinastis ad puerum vestrum. Et dixerunt: sic facito ut dixisti.

XIX. 17. Ad Loth. Postquam eicierunt (*d*) eos foras, dixerunt: servans serva animam tuam, et noli respicere post te, neque stes in hac universa regione, sed in montem vade, et ibi salvaberis. 23. Et ut sol ortusest super terram, et Loth intravit in Segor, 24. Dominus plovit (*e*) super Sodomam et Gomorram sulphur (*f*) et ignem de caelo a Domino.

XXII. 11. Et vocavit Abraham angelus Domini de caelo, et dixit: Abraham, Abraham. Et ille dixit: ecce ego. 12. Et dixit illi: ne inicias manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam; nunc enim cognovi quia times Dominum, et non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me.

XXVIII. 20. Et vovit Iacob votum dicens: si fuerit dominus Deus mecum, et custodierit me in hac via, qua ego iter facio, et dederit mihi panem manducare, et vestimentum quod (*g*) cooperiar; 21. et reduxerit me cum sanitate in domo patris mei, et erit Dominus in Deum, 22. et lapis quem statui erit mihi domus Dei, et omnium quaecumque mihi dederit Dominus decimas decimabo illa (*h*) tibi.

XXXI. 11. Et dixit mihi angelus Domini in somnis: Iacob.

(*a*) Deesse intermedia nemo miretur, quia sunt haec excerpta fragmenta, pro argumenti qualitate. (*b*) Cod. *hosteum*. (*c*) Cod. *hosteo*. (*d*) Ita cod. (*e*) Ita cod. (*f*) Cod. *sulfur*. (*g*) Ita cod. (*h*) Cod. *ex illa*.

Et ego dixi : quid est? 12. Et dixit : vidi quanta tibi Laban fecerit. 13. Ego sum Deus qui visus sum tibi in loco Dei, ubi unxisti mihi lapidem, et vovisti mihi ibi votum.

XXXII. 24. Et luctatus est angelus cum Iacob usque in mane. 25. Et vidit quia non potest adversus eum, et tetigit latitudinem femoris (*a*) eius, et obstipuit latitudo femoris Iacob cum luctaretur cum eo. 26. Et dixit ei : demitte (*b*) me, ascendit enim oriens. Et Iacob dixit : non te dimitto, nisi me benedixeis. 27. Dixit autem ei : quod nomen est tibi? Et ille dixit : Iacob. 28. Dixit autem ei : non vocabitur nomen tuum Iacob, sed Istrahel erit nomen tuum; quia convaluisti cum Deo, et cum hominibus potens factus eris. 29. Interrogavit eum Iacob, et dixit : indica mihi nomen tuum. Et ille dixit : ut quid interrogas nomen meum? et ipsud (*c*) est mirabile. Et benedixit eum ibi. 30. Et vocavit Iacob nomen loci illius visio Dei : vidi enim Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.

XXXV. 1. Dixit autem Deus ad Iacob : surge et ascende in locum Bethel, et habita ibi, et fac ibi altarem (*d*) Deo, qui visus est tibi cum recederes a facie Esau fratris tui.

XLIII. 22. Et produxit ad eos Simeon. 23. Et adtulerunt aquam, et lavaverunt pedes.

L. 15. Videntes autem fratres Ioseph quod defunctus esset pater ipsorum, dixerunt : ne forte reminiscatur malitiae nostrae Ioseph, et redditione reddat nobis omnia mala quae ostendimus ei. 16. Et venerunt ad Ioseph dicentes : pater tuus adiuravit nos priusquam moriretur (*e*) dicens : 17. dicite Ioseph, dimitte eis iniquitatem et peccatum, quia maligna tibi ostenderunt. Et nunc sume iniquitatem servorum patris tui. Et ploravit Ioseph loquentibus eis ad se. 18. Et venientes ad eum dixerunt : ecce nos famuli tui sumus. 19. Et dixit eis Ioseph : nolite timere, Dei enim sum ego. 20. Vos cogitastis adversus me mala, Deus autem cogitavit de me bona quemadmodum fierent sicut hodie, ut pasceretur populus multus. Et dixit eis : nolite timere, ego pascam vos et domos vestras. 21. Et rogavit (gr. παρεκάλεσεν) eos, et locutus est in corde eorum.

AB EXODO.

Cap. III. 14. Ego sum qui sum. 15. Sic dices filiis Istrahel : dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham et Deus Isaac et

(*a*) Cod. heic et mox *faemoris*. Sic in codd. interdum *faemina*. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita cod. (*e*) Ita scribi solet in codice.

Deus Iacob misit me ad vos. Hoc mihi nomen est sempiternum et memorabile in saecula saeculorum.

IX. 23. Et extendit Moyses manum in caelum, et Dominus dedit voces et grandinem, et percurrebat ignis super terram Aegypti.

XII. 11. Sic autem comedetis eum. Lumbis vestris praecinctis, et calciamenta vestra in pedibus vestris sint, et bacula vestra in manibus vestris, et edetis illum (a) cum sollicitudine.

XV. 3. Dominus couterens bella, Dominus nomen est ei. 11. Quis similis tibi in diis, Domine? 26. Si audieris vocem domini Dei tui, et quae ei placent feceris coram ipso, et audieris praeceptis eius, et custodieris omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem, quam inportavi Aegyptiis, uon inportabo in te. Ego enim sum Dominus qui salvum facio te.

XVI. 8. Propter quod audivit Dominus murmurationem vestram, quam (b) murmurastis ad nos. Non enim ad nos est murmuratio vestra, sed adversus Deum.

XIX. 14. Discendit (c) autem Moyses de monte ad populum, et dixit illis, et santificavit eos, et laverunt vestimenta sua. 15. Et dixit ad eos: estote parati tribus diebus, et ne accesseritis ad mulierem. 16. Factum est autem die tertio cum mane factum esset, factae sunt voces et coruscationes et nubes caliginosae super montem Syna, et vox tubae sonabat magna. 18. Quia discenderat Dominus in montem in similitudinem ignis, et ascendebat fumus velut fumus camini magni. 22. Et sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne forte derelinquat eos Dominus. 25. Discendit autem Moyses ad populum, et dixit illis

XX. 1. Locutus est Dominus omnia haec verba dicens. 2. Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de Aegypto, de domo servitutis. 3. Non erunt tibi dii alii praeter me. 4. Non facies tibi idolum, nec cuiusquam similitudinem, quaecumque in caelo sunt sursum, aut quaecumque in terra deorsum. 5. Non adorabitis eos, neque servietis illis. Ego sum dominus Deus vester. 11. Quia sex diebus fecit Deus caelum et terram, mare, et omnia quae sunt iu eis. 12. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene tibi sit, et longinquis temporibus sis super terram bonam, quam dominus Deus tuus dabit tibi. 13. Non fornicaberis. 14. Non facietis furtum, et non mentiemini, nec calumniam faciet quisquam proximo suo. 15. Non dices falsum testimonium adversus proximum tuum. 16. Non concupisces uxorem proximi tui.

(a) Cod. *Illud*. (b) Cod. *quod*. (c) Ita cod.

22. Et dixit Dominus ad Moysen: haec dices domui Iacob, et testaberis filiis Istrahel, dicens: vos vidistis quoniam de caelo locutus sum ad vos. 23. Non facietis vobis deos argenteos, neque deos aureos, nec facietis vobis ipsis idolum.

XXI. 18 Si autem rixabuntur duo viri, et percusserit aliquis ex his proximum suum lapide aut pugno aut ferro, et non fuerit mortuus, decubuerit autem in lecto suo; 19. et si consurrexerit homo, et ambulaverit cum baculo, innocuus erit qui percussit: tantum quod cessationes eius dabit et curationes. 20. Si quis autem percusserit servum suum aut ancillam suam virga, et mortuus fuerit sub manu eius, iudicio vindicetur. 21. Si vero supervixerit diem unum vel duos, non vindicabitur: pretium enim eius est. 22. Si autem duo viri rixabuntur, et percusserint mulierem praegnantem, et abortaverit inmaturum, detrimentum patietur: quodcumque vir mulieris petit, dabit cum postulatione. 23. Quod si formatum fuerit, dabit animam pro anima, 24. oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, 25. conbustionem pro conbustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

XXII. 1. Quod si involaverit vitulum aut ovem, et occiderit eum aut vendiderit, quinque vitulos reddet pro uno vitulo, et quatuor oves pro una ove. 3. Quod si pauper est, et non habet unde reddat, veniat pro furto. 4. Quod si praehensus fuerit, et inventum fuerit in manibus eius furtum, ab asino usque ad ovem viventem, dupla reddet. 20. Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli. 21. Advenam non nocebitis nec tribulabitis: fuistis enim et vos advenae in Aegypto. 22. Omnem viduam et orphanum (*a*) non nocebitis. 23. Si autem malitia (*b*) nocebitis eos, et cruciantes exclamaverint ad me, auditione audiam clamorem illorum, 24. et irascar animo, et occidam vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri orphani. 25. Si autem pecuniam faeneraveris populo pauperi de tuo, non eris illi instans, nec exiges ab eo usuram. 26. Quod si pignus tuleris vestimentum proximi tui, ante occasum solis reddes ei: 27. est enim ei hoc solum opertorium paupertatis eius ubi dormit. Quod si proclamaverit ad me, exaudiam illum, sum enim misericors. 28. Non maledices principem populi tui.

XXIII. 1. Non accipies auditionem vanam. Non consenties cum iniusto fieri testis iniustus. 2. Non eris cum pluribus in malitia, non adpones cum multitudine divertere se (*c*) cum pluribus ut ex-

(*a*) Cod. *orfanum*. (*b*) Cod. *malitiam*. (*c*) Ita cod.

cludaris. 4. Si obviaveris bovi inimici tui, aut iumento illius errantibus, reduces et reddes ei. 5. Quod si videris iumentum inimici tui cecidisse sub onere suo, non pertransies illum, sed potius diriges eum cum eo. 6. Non pervertes iudicium pauperis. 7. In iudicio eius ab omni verbo iniusto recede. Innocentem et iustum non occides. Non iustificabis iniustum. 8. Et munera non accipies, munera enim excaecant oculos videntium, et coinquinantur verba iusta. 9. Et advenam non tribulabitis: vos enim scitis animas advenarum: ipsi enim advenae fuistis in terra Aegypti. 13. Et nomina deorum alienorum non recordabitis, nec audiantur de ore vestro. 24. Non adorabitis deos eorum, neque servietis illis. Non facies secundum opera illorum, sed depones et exterminabis et confringes simulacra eorum. 25. Et servietis domino Deo vestro. Et benedicam panem tuum, et aquam tuam, et avertam infirmitatem a vobis.

XXVIII. 42. Et facies illis bracas lineas, ut tegant inverecundiam corporis a lumbis usque ad (*a*) genicula.

XXIX. 37. Omnis qui tetigerit altare sanctificetur.

XXXIV. 12. Adtende tibi ne casu disponas testamentum [his], qui sedent super terram, in quam intraturus es, ne sit offensio eorum in vobis. 13. Aras illorum destruetis, et titulos illorum conminuetis, et lucos eorum excidetis. 14. Non enim adorabitis Deo alio; ego enim sum dominus Deus tuus, zelo[tes] nomen, Deus zelans est. 15. Ne casu disponas testamentum his qui sedent super terram, et forniceris post deos eorum, et invitent te, et manduces de sacrificiis eorum. 16. Et sumatis ex filiabus illorum filiis vestris, et filias vestras detis filiis illorum, et fornicentur filiae tuae post deos eorum. 17. Et deos fusiles non facietis vobis.

EX LEVITICO.

VIII. 33. Ab ostio (*b*) tabernaculi testimonii non exies septem diebus, donec inpleatur dies consummationis vestrae. 35. Ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem diebus die et nocte. Custodite observationes Domini, ne moriamini.

X. 1. Et obtulerunt in conspectu Domini ignem alienum Nadab et Abiud filii Aron, quod non praecepit eis Dominus. 2. Et processit ignis a Domino, et consumpsit eos, et mortui sunt in conspectu Domini. 8. Et locutus est Dominus ad Aron dicens: 9. vinum et sicera non bibetis tu et filii tui tecum, quando in-

(*a*) Cod. *t.* pro *d.* (*b*) Cod. *osteo*, sic et mox *osteum*, et alibi cum adsp. *h*.

troibitis in tabernaculo (*a*) testimonii, vel cum accedetis ad altare, ne moriamini. Estote sancti quia sanctus sum ego dominus Deus vester.

XIV. 43. Si autem iterum supervenerit macula, et orta fuerit in domum, postquam evolsi fuerint lapides, et postquam rasa fuerit domus, et postquam defricata est; 44. introibit (*b*) sacerdos et videbit. Si diffusa est macula leprae in domum, et perseverans est in ea domo, inmunda est. 45. Et demolient ipsam domum, et materiam eius, et lapides eius et omnem pulverem domus eicient foras civitatem in locum inmundum.

XIX. 3. Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat. 4. Non servietis idolis, et deos fusiles non facietis vobis. 9. Et metentibus vobis messem terrae vestrae, non consummabitis messem agri tui permetere. Et quae cadent ex messe tua non colliges. 10. Et vineam tuam non racimabis, nec acinum (*c*) vineae tuae colliges: pauperi et advenae relinques ea. Ego sum dominus Deus vester. Non declinabis iudicium advenae et orphani et viduae. 12. Non iurabitis nomine meo iniuste, et non profanabitis nomen sanctum. Ego sum dominus vester 13. Non nocebis proximum tuum, et non facies rapinam, et non manebit mercis (*d*) mercennarii aput te usque in mane. 14. Non maledices surdum, et ante caecum non pones offendiculum. Et timebis dominum Deum tuum; ego sum dominus Deus vester. 15. Non facies iniquitatem in iudicio, non accipies personam pauperis, neque admiraberis personam potentis, iustitia iudicabis proximum tuum. 16. Non ambulabis subdole in gente tua, non facies aggressuram in sanguinem proximi tui. Ego sum dominus Deus vester. Non loqueris cum fratre tuo aut sorore tua ficte, sed ex corde loqueris, et non erit in te peccatum. Ego enim sum dominus Deus vester. 17. Non habebis odio fratrem tuum in animo tuo: arguendo argues proximum tuum, et non accipies pro illo peccatum. 18. Et non vindicabit manus tua, et non irasceris filiis populi tui, et diliges proximum tuum tamquam te (*e*). Ego sum dominus Deus vester. 19. Legem meam custodite. 17. Non eris consentaneus cum derogantibus adversus proximum tuum, et non accipies pro eo peccatum. 18. Pecoribus tuis non facies admissuram adverso genere. 19. Et in vinea tua non seminabis (al. vineam tuam) ob duplicem fructum, et vesti-

(*a*) Ita cod. (*b*) Cod. *v.* pro *b.* *introivit.* (*c*) Cod. fortasse *acinam.* (*d*) Ita cod, ut alibi *plebis* in primo casu. (*e*) Al. *sicut te ipsum*, citato deuteronomio (puta VI. 5.)

mentum ex duplici textura exsecrabile nou cooperies te. 26. Nolite manducare in montibus, non auspicabitis, non augurabitis. 31. Non sequemini ventriloquos, et incantatoribus non adhaerebitis, ut coinquinemini in eis. Ego sum dominus Deus vester. 32. A facie canitiam habentis exurges, et honorabis faciem presbyteri, et timebis dominum Deum tuum Ego sum dominus Deus vester. 33. Si quis autem ad vos accesserit advena in terra vestra, non tribulabitis eum. 34. Sicut conterraneus inter vos erit advena qui accesserit ad vos: diligetis eum tamquam vos, quia et vos advenae fuistis in terra Aegypti. Ego sum dominus Deus vester. 35. Non facies quod iniustum est in iudicio, in mensuris, in ponderibus, et in stateris. 36. Statera aequalis, et pondus iustum, et mensura iusta erit vobis. Ego sum dominus Deus vester.

XX. 6. Et anima quae secuta fuerit ventriloquos aut incantatores, ita ut fornicetur sectando eos, et constituam vultum meum super animam illam, et perdam illam ex populo suo. 7. Et eritis sancti, quia sanctus sum ego dominus Deus vester. 10. Homo quicumque moechatus fuerit uxorem proximi sui, morte moriatur qui moechatus fuerit et quae moechata fuerit. 20. Quicumque dormierit cum cognata sua, turpitudinem cognationis suae retexit; sine filiis morientur. 21. Quicumque acciperit (a) uxorem fratris sui, inmunditia est, turpitudinem fratris sui detexit; sine filiis morientur.

XXI. 6. Sancti erunt Domino suo, et non coinquinabunt nomen domini Dei sui, et dona ipsi offerent, erunt sancti. 7. Mulierem meretricem et coinquinatam non accipient, mulierem eiectam a viro non accipient, quia sancti sunt domino Deo suo. 8. Et sanctificabis eos: dona enim domini Dei vestri hii offerunt. Sancti erunt, quia sanctus sum ego Dominus qui sanctifico eos.

XXV. 37. Pecuniam tuam non dabis in usuram, et in additamentum recipiendi gratia non dabis ei escas tuas. 38. Ego sum dominus Deus vester. 46. Ex fratribus autem vestris filiis Istrahel unusquisque fratrem suum non deprimat in suspiriis (gr. ἐν τοῖς μόχθοις.)

XXVI. 1. Non facietis vobis idola manufacta, neque sculptilia, neque stantes lapides constituetis vobis, neque lapidem sculptum perspicuum ponetis in terra vestra.

XXVII. 30. Omnis decima terrae, a semine terrae, et a fructibus arborum, sanctum est Domino. 31. Quod si redimens re-

(a) Ita cod.

dimet homo decimam, quod adiectum fuerit (gr. τὸ ἐπίπεμπτον) adiciet ad ipsum, et erit ei. 32. Et omnis decima boum et ovium, et omne qnodcumque transiet sub virga in numero, decimum quodcumque erit sanctum Domino. 33. Non mutabis illud bonum malo, neque malum bono.

EX LIBRO NUMERORUM.

X. 35. Exsurge, Domine et dispargantur inimici tui, et fugiant omnes qui oderunt te, et confringantur. 36. Et converte, Domine, in milia Istrahel.

XII. 3. Et erat Moyses mansuetus prae omnibus hominibus qui sunt super terram. 6. Et dixit Dominus ad Aron et Mariam: audite verba mea. Si fuerit propheta Domini in vobis, in visu ei innotescam, et in somno loquar ei. 7. Non sicut famulo meo Moysi, qui in tota domo mea fidelis est. 8. Os ad os loquar ei; in specie, et non per aenigmata, et honorem Domini vidit. Et quare non timuistis detrectare de famulo meo Moysi (*a*)? 9. Et ira indignationis Domini super vos erit (*b*).

XV. 19. Primitias consparsurae vestrae, panem oblationis, separabitis eum. 20 Sicut oblationem de area, sic auferetis eum, primitiam (*c*) consparsionis vestrae. 30. Scitote autem, quia omnis anima, quae superbiens dispexerit mandata Domini, sive ab indigenis sive a proselytis sit in civitate, periet de populo suo: 31. quoniam verbum Domini contempsit, et praecepta eius neglexit. Et ideo in tribulatione contribulabitur anima ipsa, et peccatum eius in ipsa erit.

XVI. 26. Separamini a tabernaculis istorum durissimorum, et nolite tangere ab omnibus quae sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum.

XVIII. 12. Et dixit Dominus ad Aron: omnes primitiae vini et tritici, primitias illas quascumque dabunt Domino: tibi dedi ea. 20. In terra eorum non possidebitis, et portio non erit tibi aput eos, quia ego sum portio tua, et hereditas tua. 22. Et filiis Levvi (*d*) ecce dedi omnem decimationem in sortem pro deservitionibus eorum, quibus deserviunt ipsi in tabernaculo testimonii. 30. De initio areae tuae et lacus non fraudabis, initia omnium fructum terrae tuae inferens in domum domini Dei tui.

XXIII. 21. Non erit labor in Iacob, neque videbitur dolor

(*a*) Ita pro *Moyse* est *Moysi*, ut heic gr. Μωυσῇ. (*b*) Legebat noster in gr. ἐπῆλθεν pro καὶ ἀπῆλθεν. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita cod. heic et alibi.

in Istrahel. Dominus Deus eius cum eo est, et illud praeclarum principium cum ipso.

XXXIII. 52. Et auferetis speculas eorum, et omnia simulacra eorum conflatilia perdetis, et omnes lapides statutos eorum auferetis.

EX DEUTERONOMIO.

I. 17. Non sumes personam in iudicio: adversum minorem et adversus maiorem iudicabis. Non sumes personam hominum, quoniam iudicium Dei est.

IV. 2. Non adicietis ad verbum hoc quod ego praecipio vobis, neque inminuetis (a) ex eo. 5. Ecce ostendi vobis iudicia et iustitias, sicut mandavit mihi Dominus facere sic in terra, in qua vos introibitis ibi possidere eam. 6. Et servate et facite: quia haec est prudentia vestra et intellectus coram omnibus gentibus, quaecumque audierint iustitias istas. Et dicent: ecce populus prudens et sciens, gens tam magna haec. 7. Quia quae est tam magna gens, cui sit Deus adpropinquans, sicut dominus Deus noster in omnibus in quibuscumque invocaverimus eum? 8. Et quae alia gens est tam magna, quae habeat iustitiam et iudicia iusta secundum omnem legem istam, quam ego trado vobis coram vos (b) hodie? 9. Adtende tibi, et serva animam tuam, ne obliviscaris omnia verba quae viderunt oculi tui. Et ne recedant de corde tuo omnibus diebus vitae tuae, et instrues filios tuos et filios filiorum tuorum. 16. Videte ne faciatis iniquitatem, neque faciatis vobis ipsis sculptile simulacrum masculi neque feminae. 17. Aut simulacrum omnis pecoris quae sunt super terram, aut similitudinem avium volantium sub caelo. 18. Aut similitudinem serpentium super terram, aut simulacrum piscium quae (c) sunt in aquis sub terra. 19. Et ne respicientes in caelum, et videntes solem et lunam aut stellas et omnia ornamenta caeli, exerretis, et adoretis ea, et servlatis illis quae disposuit Deus omnibus gentibus quae sunt sub caelo. 20. Vos autem adsumpsit Deus, et eiecit de fornace ferrea ex Aegypto, ut essetis populus in sortem in hunc diem. 23. Adtendite vobis ne obliviscamini testamentum domini Dei vestri, quod disposuit ad vos, et faciatis vobis ipsis sculptile simulacrum omnium quae praedixit vobis dominus Deus vester. 24. Quia dominus Deus vester ignis concremans est, et zelans.

V. 18. Non moechaberis.

(a) Cod. fortasse *neque investigetis*. (b) Ita cod. Confer infra I. Regn. XII. 2. (d) Ita cod.

VI. 4. Audi Istrahel, dominus Deus tuus, (al. noster) Deus
unus est. 5. Et diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. 6. Et erunt verba
haec, quaecumqne praecipio tibi hodie, in corde tuo et in ani-
ma tua. 7. Et demonstrabis ea filiis tuis; et loqueris eis (a) se-
dens in domo tua, et cum iter facies in via, et in quiete, et in
vigiliis. 8. Et obligabis ea in signo super manum tuam, et erunt
mobilia (b) ante oculos tuos. 9. Et scribes (c) ea super limina do-
mus tuae et in (d) ianuis tuis. 11. Et cum manducaveris et sa-
tiatus fueris, 12. fave (e) tibi ne obliviscaris dominum Deum tuum
qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis. 13. Dominum
Deum tuum timebis, et illi soli servies, et ad (f) illum haerebis, et
nomine eius iurabis. 17. [Custodiens custodies] praecepta domini
Dei tui, testimonia eius, et iustitias quascumque praecepit tibi.
18. Et facies quod bonum et placitum est ante dominum Deum
tuum, ut bene tibi sit.

VII. 5. Aras eorum deponetis, et titulos eorum comminuetis, et
lucos eorum excidetis, et sculptilia eorum cremabitis igni. 6. Quia
plebs sancta domino Deo tuo, et te sibi elegit dominus Deus
tuus, ut esses ei populus aeternus super omnes gentes quae sunt
super faciem terrae. 25. Sculptilia deorum cremabis igni. Non
concupisces argentum vel aurum ex illis, et non accipies tibi
ipsi; ne delinquas propter illud, quia abominatio est domino
Deo tuo. 26. Nec inferes spurcitiam in domo tua: eris anathema,
sicut et illud est. Odio odietis, et abominatione abominabitis illa,
quia anathema est.

VIII. 2. Et in mentem (g) habebis omnem viam quam (h) addu-
xit te dominus Deus tuus in deserto, ut omnia [mala] experire-
ris, et temptaret te, et ut dinosceretur cor tuum, an vere cu-
stoditurus esses mandata illius, an non. 3. Et ideo omnia ma-
la expertus es, et esuristi, et dedit tibi escam mannam quam
non noverant patres tui: ut adnuntiaret tibi, quod non in pane (i)
vivit homo tantum, sed in omni verbo quod exierit de ore Dei (k)
vivit homo. 4. Vestimenta tua non sunt extrita, pedes tui non
incallaverunt, ecce qnadraginta anni sunt. 5. Et scies corde tuo,
quia sicut homo docet filium suum, sic dominus Deus tuus eru-
divit te. 6. Et custodies mandata domini Dei tui, ambulare in
viis eius, et timere illum. 19. Et erit, si oblitus fueris domi-

(a) Al. sine *eis*. (b) Al. *movilia*. (c) Al. *scribe*. (d) Al. sine *in*. (e) In marg. recenti manu *cave*. (f) Cod. *ab*. (g) Ita cod. (h) Graecismus est. (i) Al, addil *solo* pro *tantum* (k) Al. *Domini*.

num Deum tuum, et abieris post deos alienos, et servietis illis, et adoraveritis eos; ecce testor vobis hodie caelum et terram, quia perditione peribitis. 20. Sicut et ceterae gentes quas dominus Deus perditurus est a facie vestra, sic perietis si non audieritis vocem domini Dei vestri.

X. 12. Et nunc, Istrahel, quid dominus Deus postulat aliud a te, quam ut timeas dominum Deum tuum, et ambules per omnes vias eius, et diligas eum, et servias domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua? 13. Custodire praecepta domini Dei tui, et iustitias eius quas ego mando tibi hodie, ut bene tibi sit.

XII. 11. Et erit locus, quem eligerit (*a*) dominus Deus vester invocari nomen suum ibi, adferetis omnia quae praecipio vobis hodie, holocausta (*b*) vestra et sacrificia, et decimas vestras et primitias et dona vestra, et omnia quae eligerit de manibus vestris, quaecumque voveritis domino Deo vestro.

XIII. 4. Post dominum Deum vestrum pergite, et hunc timete, et praecepta eius custodite, et vocem eius audite, et adquiescite ei.

XIV. 21. Si fili (*c*) estis Dei, non timebitis et non vacillabitis. 23. Decimas decimabis omnis seminis tui, (*d*) quod natum est in agro tuo. 23. Ab anno in annum adferes decimas tritici tui et vini tui et olei tui, et primitiva boum tuarum et ovium tuarum, ut discas timere dominum Deum tuum omnibus diebus vitae tuae. 29. Et [veniet] levvites (*e*), quia non est illi (*f*) portio neque sors tecum, et advena, et orphanus, et vidua quae est in civitatibus tuis, et manducabunt, et satiabuntur. Et benedicet te dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis quaecumque facies.

XV. 11. Non deerit egens a terra tua. Propter hoc praecipio tibi facere hoc verbum, dicens: aperiens aperies manus tuas fratri tuo pauperi et egenti in terra tua.

XVI. 17. Unusquisque pro viribus manuum suarum, secundum benedictionem domini Dei tui, quam dedit tibi. 18. Iudices et doctores legis constitues tibi in omnibus civitatibus tuis, quas dominus Deus tuus dabit tibi per singulas tribus, et iudicabunt plebi iudicio iusto. 19. Non declinabunt iudicium, non accipient munera: munera enim excaecant oculos sapientum, et subtrahunt sermonem iustum. 20. Iustitiam sequimini, ut vivatis.

() Ita cod. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. (*d*) cod. *de quod*. (*e*) Cod. *levvitis*. (*f*) Cod. *illis*.

XVII. 12. Et homo (al. omnis) quicumque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem qui adstat ministrare in nomine domini Dei tui, aut iudices qui fuerint in diebus illis, morietur homo ille, et auferes malum ex Istrahel. 13. Et omnis populus cum audierit timebit, et non faciet (*a*) iniustitiam.

XVIII. 10. Non invenietur in te lustrans filium suum aut filiam in igne, et divinans divinationem, augorans (*b*) et arospicans (*c*) et medicaminibus infuscans, 11. incantator, ventriloquus, et portenta inspiciens, et interrogans mortuos: 12. est enim abominandus domino Deo tuo, et omnis qui facit haec. Propter has enim abominationes Dominus eradicabit eos a te. 13. Tu autem consummatus eris coram domino Deo tuo. 14. Gentes enim istae, quas tu possidebis, auguria et divinationes audiunt; tibi autem non ita dedit dominus Deus tuus.

XIX. 15. Non inminebit (*d*) testis unus qui testimonium det adversus hominem secundum omne (*e*) peccatum et contra omne delictum, quodcumque peccaverit: in ore duorum testium aut in ore trium testium stabit omne verbum.

XXII. 5. Non erunt res viriles super mulierem, nec induetur vir vestimentum muliebre (*f*), quia abominatio est Domino et qui fecerit haec.

XXIII. 9. Si autem exieris committere bellum adversus inimicos tuos, et custodies te ab omni re mala. 15. Non tradetis servum domino suo, qui confugit ad vos. 16. Sed vobiscum habitabit in omni loco, quocumque placuerit ei, nec tribulabitis eum. 17. Non erit fornicarius a filiis Istrahel, et non erit fornicaria a filiabus Istrahel. 19. Non exiges a fratre tuo usuram pecuniae, et usuram escarum, et usuram omnium rerum quaecumque faeneraveris. 21. Si autem voveris votum domino Deo vestro, non tardabis reddere illud, quia exquirens exquirit dominus Deus tuus a te, et erit in peccatum. 22. Si autem nolueris vovere, non erit in te peccatum. 23. Quae exeunt per labia tua, custodies, et facies quemadmodum voveris Deo tuo votum quod locutus es ore tuo.

XXIV. 10. Si tibi debitum fuerit a proximo tuo quodcumque, non intrabis in domum eius pignerare pignus. 11. Foris stabis, et homo debitum suum quod est aput ipsum proferet tibi pignus tuum foras. 12. Si autem homo pauper erit, non dormies in pignere eius. 13. Reddens reddes ei pignus eius circa solis occa-

(*a*) Al. *facient* (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. (*d*) Num mendum pro *immanebit*? Nam gr. *ἐμμενεῖ*. (*e*) Cod. *omnem* hic, et mox bis. (*f*) Cod. *muliebrem*.

sum, et dormiet in vestimento suo; et benedicet te, et erit in te misericordia Domini in conspectu Dei tui. 14. Non fraudabis mercedem pauperis et egentis ex fratribus tuis, aut ex advenis qui sunt in civitatibus tuis. 15. Cottidianam mercedem eius reddes: non occidet sol super eum; quia pauper est, et in ea habet spem: et non proclamabit adversus te ad Dominum, et erit in te peccatum. 16. Non morientur parentes pro filiis, et fili (*a*) non morientur pro parentibus. Unusquisque in suo peccato morietur. 17. Non accipies pignus vestimentum [viduae. 18. Quia famulus eras in Aegypto, et] liberavit te dominus Deus tuus inde. Propter hoc ego mando tibi facere verbum hoc.

XXV. 14. Non erit in domo tua pondus grande aut pusillum, et non erit in domo tua mensura grandis aut pusilla. 15. Pondus verum et iustum erit tibi, ut multorum dierum sis super terram, quam dominus Deus dabit tibi in sortem. 16. Quia abominandus est Domino omnis qui facit iniusta.

XXVII. 15. Maledictus homo qui fecerit sculptilem aut conflatilem abominationem Deo, et opus manuum artificum, et posuerit illud in absconso. Et respondens dicit omnis populus, fiat fiat. 16. Maledictus homo qui non honorificat patrem suum aut matrem suam. Et dicit omnis populus, fiat fiat. 18. Maledictus qui seduxerit caecum in via. Et dicit omnis populus, fiat fiat. 19. Maledictus qui declinaverit iudicium advenae et orphano et viduae. Et dicit omnis populus, fiat fiat. 25. Maledictus qui acceperit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicit omnis populus, fiat fiat.

XXXII. 2. Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et discendant (*b*) sicut ros verba mea, sicut imber super gramen, et sicut nix super faenum. 6. Haec Domino retribuistis sicut plebis (*c*) fatua et non sapiens? Nonne hic ipse pater tuus possidet te, et creavit te, et fecit te? 8. Statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei. 12. Dominus solus ducebat eos, et non erat cum eis Deus alienus. 17. Sacrificaverunt daemoniis et non Deo, diis (*d*) quos non noverunt. Novi venerunt, quos nescierunt patres eorum. 18. Dominum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Deum qui te nutrivit. 22. Quia ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum. Comedit terram et nascentia eius, et concremat fundamenta montium. 32. Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, et propago illorum ex Gomorra: uva eorum uva fellis, botrus amaritudinis in ipsis. 34. Ecce haec

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod (*d*) Cod. *deos*.

collecta sunt in thensauris meis. 35. In die iudicii reddam in tempore cum lapsus fuerit pes eorum. Quia prope est dies perditionis eorum, et adveniet parata vobis. 36. Quia iudicavit (v. pro b.) Dominus plebem suam, ei in servis suis consolabitur. 39. Videte quoniam ego sum, et non est Deus praeter me. Ego occidam, et vivere faciam; percutiam, et ego sanabo, et non est qui eripiat de manibus meis. 41. Et retribuam iudicium inimicis, et odientibus me restituam.

XXXIII. 9. Qui dicit patri et matri, non novi te, et fratres suos non cognovit, et filios suos non scivit, custodivit verba tua, et testamentum observabit (b. pro. v.)

EX LIBRO IESU NAVE.

Cap. X. 11. Et factum est, cum fugirent (*a*) a facie filiorum Istrahel in discensu (*b*) Beth Oron, disiecit Dominus super illos lapides grandinis de caelo, et persecuta est eos ira Domini usque ad Zecchaea. Mortui sunt plures lapidibus grandinis, quam quos interficerunt (*c*) filii Istrahel gl: diis in bello.

XXIII. 5. Et ipse Dominus exterminavit (v. pro b.) illos a facie vestra. 6. Et ideo invalescite vehementer custodire et facere omnia quae scribta sunt in libro legis Moysi, ut non egrediamini dextera vel senestra (*d*). 7. Et ne intrantes ad gentes istas conmunicetis; et nomina deorum illorum nec nominentur in vobis; neque deserviatis illis, aut adoretis illos. 8. Sed adhaerebitis domino Deo vestro, sicut fecistis usque in hunc diem.

XXIV. 19. Et dixit Iesus ad populum: si servieritis diis alienis, non poteritis servire Domino, quia Dominus sanctus est: et cum zelaverit vos, non sustinebit patienter peccata vestra. 20. Sed in qua die reliqueritis Dominum, superveniens ira vexabit vos, et exterminabit vos. Quare diis alienis serviatis, cum ille in omnibus bene fecerit vobis? 21. Et respondit ad populus Iesum dicens: non adorabimus diis alienis, sed serviemus Deo 22. Et dixit Iesus ad populum: testes ergo estis vos ipsi, quia vos elegistis servire Domino. 23. Et nunc auferte deos alienigenarum (*e*), qui sunt in vobis, et dirigite cor vestrum [ad dominum Deum] Istrahel. 24. Et respondit omnis populus ad Iesum dicens: Domino serviemus, et vocem eius audiemus.

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita cod. (*e*) Cod. heic et infra constanter *alieniginarum*.

EX LIBRO IUDICUM.

Cap. V. 20. Stellae ex ordine expugnaverunt Sisaram.

VI. 24. Factum est autem cum adhuc esset Gedeon in Gufera (a) patris sui filii Hesdri, 25. locutus est illi in nocte illa Dominus dicens: sume duos vitulos, unum pastum patris tui, et alium septem annorum, et vade, everte aram Babal, quam aedificavit pater tuus; et lucum, qui est super ipsam, excide. 26. Et aedificabis altarium (b) domino Deo tuo, qui visus est tibi in verticem (c) Maoch.

XIII. Et dixit Manoe ad angelum: quod tibi nomen est? ut cum venerit verbum tuum, honorificemus te. 18. Et dixit illi angelus Domini: quare interrogas nomen meum, et illud est mirabile?

XV. 4. Et abiit Samson, et conpraehaendit [trecentas vulpes, et] alligavit illis cauda ad caudam invicem binis. 5. Et posuit lampadas singulas inter duas caudas in medium. 6. Et succendit lampadas igni, et dimisit in manipulis alienigenarum: et succendit spica eorum, et quae metita erant, sed et vineas et oliveta.

XIX. 20. Et dixit senior hospiti, pax; et omnia quae desunt tibi, a me erunt: solummodo ne in plateis hic maneas. 21. Et induxit virum in domum suam, et misit cibum inmentis eius, et laberunt (d) viri pedes suos, et manducaverunt et biberunt.

EX LIBRO I. REGNORUM.

VII. 3. Et locutus est Samuhel ad omnem domum Istrahel dicens: si in toto corde vestro vos convertitis ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestrum, et excidite lucos eorum, et praeparate corda vestra ad Dominum, et ipsi servite soli, et liberabit vos de manu alienigenarum. 4. Et his auditis, abstulerunt filii Istrahel Bahalim, et averterunt (e) lucos Astaroth, et servierunt Domino soli.

VIII. 7. Dominus ad Samuhelem: non te spernunt sed me, ne regnes super illos.

XI. 15. Et cum epulatus fuisset Samuhel cum omnibus viris Istrahel usque ad satietatem;

XII. 1. Dixit ad omnem virum Istrahel: ecce audivi vocem vestram per omnia, quaecumque dixistis mihi, et constitui regem super vos. 2. Et nunc ecce quia rex praecedit ante vos; et ego

(a) Apud Sabaterium *Copher*. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. non *ev*.

senui; oportet ut requiescam; filii autem mei vobiscum sunt. Et quoniam conversatus sum coram vos (*a*) a iuventute mea usque in hodiernum diem. 3. Ecce ego sum: respondi te (*b*) contra me coram Domino et coram Christo eius; si vitulum alicuius accepi, aut si asinum alicuius abstuli, aut si quemquam potentia nocui, aut si aliquem pressi, aut si ex alicuius manu accepi pro exoratione vel corrigiam calciamentorum; dicite adversum me, et reddam vobis. 4. Responderunt ad Samuhelem dicentes: neminem nocuisti per potentiam, et [non] pressisti nos, nec accepisti quicquam de manu cuiusquam. 5. Et dixit Samuel ad populum: testis est Dominus in vobis, et testis est Christus eius in hodierna die, quia non invenistis in manu mea nihil. Et illi dixerunt: testis est. 18. Et invocavit Samuhel dominum Deum, et dedit voces et pluvias in illa die. [Et] timuerunt omnes populi dominum Deum vehementer et Samuhelem.

XV. 22. Numquid vult Deus holocausta et sacrificia magis quam exaudire (*c*) vocem suam? Quia dicto audientia melior est, quam sacrificium; et audientia mandatorum, quam adeps arietum. 23. Quoniam peccatum inproperium est, dolor et gemitus ad te adducentur. Pro quibus sprevisti verbum Domini, spernet te Dominus ne regnes in Istrahel.

XVI. 7. Non quomodo videt homo, sic videbit Deus; quia homo videt in facie, Deus autem in corde. 14. Et spiritus Domini recessit a (*d*) Saule, et conpraehendit eum spiritus malus a Domino, et subfocabat eum.

EX LIBRO II. REGNORUM.

Cap. XVI. 9. Et audiena Abessa filius Sarviae Semei maledicentem regem David, dixit ad regem: ut quid maledicit canis hic maledictus (*e*) dominum meum regem? Permitte, et transeam, et auferam caput eius.

EX LIBRO III. REGNORUM.

VIII. 33. Tu enim solus, Domine, qui cadentem populum tuum Istrahel in conspectu inimicorum suorum erigaa dextera tua. Quoniam si peccaverint tibi, revertentur et confitebuntur nomini tuo, et orabunt, deprecabunt (*f*) in hac domo. 36. Et tu exaudies de caelo, et propitiaberis (*g*) peccatis populi tui Istrahel. 37. Et si

(*a*) Ita cod. Confer retro Deuter. IV. 8. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. activa forma, ut gr. ἀκοῦσαι. (*d*) Cod. *ad*. (*e*) Gr. τεθνηκώς. (*f*) Cod. *depraecadunt*: (*g*) Cod. *propitiaveris*.

humiliaverit inimicus quamlibet unam civitatem eorum, tu aderis tuis in omnem occursum, et mitigabis omnem dolorem. 38. Quoniam in omnem orationem et deprecationem paratus est Dominus; ut si conversus fuerit homo, et cognoverit unusquisque admissa cordis sui, statim ut expanderit manus suas in domum hanc, 39. tu exaudies ex praeparata habitatione, et propitiaberis (*a*), et facies iustificationem secundum omnes vias rogantium te, et secundum quod cognoveris cor hominis. Quoniam tu solus scis corda filiorum hominum. 40. Ut timeant te omnibus diebus, quibus vixerint super terram.

XI. 1. Et rex Solomon erat diligens mulieres. 4. Et per haec factum est, ut in tempore senectutis eius, non esset cor illius directum a Domino. 9. Et iratus est Dominus super Solomonem, quoniam declinaverat cor suum a domino Deo Istrahel. 14. Et suscitavit Dominus satanam super Solomonem, et erat satanas super Istrahel omnibus diebus Solomonis.

XVII. 8. Et dixit Dominus ad Heliam: 9. exsurge, et vade in Sarapta (*b*) Sidonis. Ecce praecepi (*c*) ibi mulieri viduae ut pascat te. 10. Et surrexit, et abiit in Sarapta Sidonis. Et ut venit ibi, ecce ad portam civitatis ipsius mulier vidua colligebat ligna. Et exclamavit depost illam Helias, et dixit ei: eice mihi pusillum in vas ut bibam. 11. Et cum abisset illa ut acciperet, et deferret aquam; exclamavit iterum depost illam Helias, et dixit: adfer mihi panem ut edam. 12. Et illa dixit: vivit dominus Deus tuus, si est mihi focacium, nisi pusillum farinae in hydria et modicum oleum in vase (*d*). Et ecce ego ideo colligo duo ligna ut introeam, et faciam illum (*e*) mihi et filiis meis: et edemus, [et] moriemur. 13. Et dixit Helias: aequo animo esto; intra, et fac secundum verbum tuum: sed fac mihi inde focacium pusillum in primis, tibi autem et filiis tuis facies postea. 14. Quoniam haec dicit Dominns: fidelia farris non deficiet, et capsaces olei non minnetur, usque in diem quo dabit Deus pluviam super terram. 15. Et abiit, et fecit, et manducavit ipse et illa et filii eius. 16. Hydria pulentae (*f*) non defecit, neque vas olei, secundum verbum Domini quod locutus est in manu Heliae.

XVIII. 1. Et factum est verbum Domini ad Heliam in anno tertio, dicens: vade, et appare ad Achab, et dabo pluviam super terram.

XIX. 19. Et invenit Helias Helisaeum filium Saphath, et hic

(*a*) Cod. denuo *v.* pro *b.* (*b*) Ita cod. (*c*) Cod. *praecipi.* (*d*) Cod. *vas.* (*e*) Ita cod. pro *illud*, id est focacium. (*f*) Ita cod.

arabat in duodecim paria boum coram se. Et ut venit ad eum, iactavit melotem super eum, et cooperuit illum. 20. Et ille relinquens boves suos, cucurrit post Heliam. Et dixit: osculabor patrem meum, et sequar te. Et dixit Helias: vade, et revertere, quoniam feci tibi. 21. Et reversus est post eum. Et deiunxit boves a iugis, et occidit, et coxit eos in vasis, et dedit plebibus, et manducaverunt. Et exsurrexit, et abiit (a) post Heliam, et ministrabat ei.

EX LIBRO IV. REGNORUM.

Cap. IV. 8. Et abiit inde Helisaeus in Carmelum, et inde venit in Somam, et factus est dies. Et erat ibi mulier magna quae cum detenuisset (b) eum ut manducaret panem, et cum frequenter introiret et exiret, 9. dixit mulier ad virum suum: ecce scio quia homo Dei est hic qui venit ad nos, et sanctus est. 10. Et ideo omnibus modis faciamus ei domum in superioribus de parietibus pusillis, et ponemus ibi mensam et lectum et sellam et candelabrum; et cum venerit ad nos, divertet ibi. 11. Et facto die, venit Helisaeus, et ascendit in superiora, et recubuit ibi. 12. Et postea residens dixit ad Giezi puerum suum: voca Somaniten (c) istam; et ille vocavit eam. Et ut stetit in conspectu eius, 13. dixit ad eam: ecce honorificastis omni honore, et praeparastis nobis habitationem. Quid retribuemus tibi? 14. Et dixit Helisaeus ad Giezi puerum suum: quid ergo faciemus ei? Et dixit Giezi: manifeste non est ei filius, et vir eius senex (d) est. 15. Et ille dixit: voca illam. Et vocavit eam ad ianuam. 16. Et dixit Helisaeus: in testimonio erit sermo hic, quia secundum tempus hoc vives, et tu concipies filium. Et dixit mulier: noli homo deridere ancillam tuam. 17. Et concepit mulier, et peperit filium in eodem tempore. 29. Et dixit Helisaeus ad Giezi: praecinge lumbos tuos et accipe baculum meum in manu tua, et vade. Et si inveneris obvians aliquem, non benedicas eum: sed et si quis benedixerit te, non respondebis ei. Et cum veneris, inpone baculum meum super faciem pueri eius.

IX. 1. Vocavit Helisaeus unum ex filiis prophetarum, et dixit illi: praecinge lumbos tuos, et accipe lenticulam olei, et vade in Regmath galaditide. 2. Et cum intraveris (e) ibi, ecce ibi est Ieu filius Namessi. Ingressus autem segregabis eum de medio fratrum illius, et induces illum de cubiculo in cubicu-

(a) Cod. *habiit.* (b) Ita cod. (c) Ita cod. ut gr. *Σωμανίτιν.* (d) Cod. *senes*, ut alibi *senia* pro *xenia*. (e) Cod. *intraberis*, *b* pro *v*.

lum. 3. Et accipies lenticulam, et infundes in caput illius, et dices: haec dicit Dominus, uncxi (*a*) te in regem Istrahel. Et aperies ostium (*b*), nec restabis ibidem.

EX PRIMO PARALIPOMENON.

Cap. XV. 11. Et vocavit David Saddoc et Abiathar sacerdotes, et levitas Ariel, Osea, Ioel, Aminadab. 12. Et dixit illis: vos, principes familiarum levvitarum, purificamini vos et fratres vestri, et reportate arcam domini Dei Istrahel ubi paravi ei. 14. Et purificati sunt sacerdotes et levvitae, ut portarent arcam Domini Istrahel.

XXVIII. 9. Et nunc, Solomon, scito Deum patrum tuorum, et servi illi in corde perfecto, et anima volente; quoniam omnia corda scrutatur Dominus, et omnem cogitationem novit.

EX SECUNDO PARALIPOMENON.

Cap. XV. 2. Dominus Deus vester vobiscum est, quamdiu vos estis cum eo. Quod si derelinqueritis (*c*) eum, derelinquet vos.

XIX. 5. Et statuit Iosaphath iudices in omnibus civitatibus Iuda munitis, et per singulas civitates. 6. Dixit Iudicibus: videte quid vos facietis; non enim homini iudicabitis sed Domino, et vobiscum est in verbo iudicii. 7. Nunc sit timor Domini super vos, et servetis, et faciatis. Neque enim est cum domino Deo nostro iniquitas, neque personae acceptio, neque munerum acceptio (gr. λαβεῖν δῶρα.) 9. Ad sacerdotes. Ita facietis in timore Domini, in fide et corde perfecto. 10. Et omne iudicium quod acceptum fuerit super vos a fratribus vestris, qui habitant in civitatibus suis, inter medium sanguinis et Inter medium legis, in mandatis ad iustificationes et ad iudicia; et destinguetis (*d*) (gr. διαστελεῖσθε), et non peccabunt Domino.

XXIII. 19. Ioadas sacerdos. Et statuit ostiarios super portas domus Domini, et non intrabit Inmundus in omni re.

EX LIBRO ESDRAE. (1)

Flumina autem erant gentes, quae convenerunt perdere genus Iudaeorum.

(*a*) Cod. fortasse *uncxit*. (*b*) Cod. *osteum*, ut alibi. (*c*) Ita cod. (*d*) Cod. *detinguetis*.

(1) Ita in codice; sed fortasse pertinet potius ad Isaiam cap. XXIX. 7.

EX PRIMO ESDRAE.

IV. 38. Veritas autem permanet et invalescit in aeternum, et vivet et perseverat in saecula saeculorum: 39 et non accipit personam hominis nec differentias, sed iusta iudicat et facit: ab omnibus iniquis dolosis et impiis discedit: et omnes iusti sperant in eam. 40. Et non est in iudicio illius iniustitia: et eius est fortitudo et regnum, et potestas illius in saecula saeculorum. Benedictus est enim Dominus veritatis.

EX SECUNDO ESDRAE.

IX. 6. Tu Deus domine fecisti caelum et terram, et caelum caeli, et virtutes eorum. Tu fecisti terram et omnia quae sunt in illa, maria et quae in eis sunt, et tua virtute vivificantur universa. Virtutes etiam caelorum te adorant semper, Domine.

Ante vulgatam sancti Hieronymi authenticam libri Tobiae interpretationem, extitisse aliam multo antiquiorem cognoscimus ex testimoniis patrum, et ex notissima Sabaterii editione. Nunc codex noster vetustissimus, nempe saeculi VI. aut VII., aliam continet ab illa ipsa Sabaterii satis differentem, cuius nos fragmenta, quotquot in dicto codice manebant, heic recitamus.

EX LIBRO TOBI (*a*).

Cap. I. 6. Ego ibam in Hierusalem in diebus festis, servans quod scribtum est fieri oportere ab omni Istrahel, et custodiens praeceptum sempiternum constitutum a Deo. Primitias et decimas armenti (*b*) et pecorum, et initia tonsurae ovium mearum portabam mecum, 7. et dabam sacerdotibus filiis Aron. Et secundum morem legis de tritico et vino et ficis et ceterorum fructuum primitivis deferebam levvitis et omnibus quotquot (*c*) ministrabant in Hierusalem Domino. 8. Et secundum legem decimationis, quod conmutandum erat conmutabam, et congregabam pretium redemptorum per sexennium, et postea ibam, et conputabam uniuscuiusque anni fructum, adnumerabam pecuniam in loco sancto; 9. ita ut tertii anni decimationem darem proselytis et orphanis et viduis, faciens omnia quae praecepta sunt a Domino Istrahel.

II. 8. Omnes proximi mei deridebant me, dicentes: quomodo non timet hic, qui iam quaesitus est ut occideretur huius rei causa, et fugit? Quomodo iterum coepit sepelire mortuos? Ego autem intentus in mandatis Dei, non timebam quid loqueretur homo.

(*a*) Ita semper *Tobi* in codice. (*b*) In cod. fortasse *argenti*. (*c*) Cod. *quodquod*.

IV. 3. Honorem habe matri tuae, et non derelinquas eam, sed consolare eam omnibus diebus vitae tuae, et non contristes vel in modico spiritum eius; sed quod illi placet, hoc facito. 4. Et conmemorare enim, fili, quanta pericula viderit cum te pareret: novem mensibus in utero portavit te: et gemitus parturientis eius ne obliviscaris, quoniam nisi per illam non fuisses. Et ideo honora illam in vita sua. 6. Dirigens (*a*) autem ad iustitiam in diebus omnibus vitae tuae, bene facito coram ipso, et noli ambulare in viis (*b*) iniquitatis. Nec avertas faciem tuam ab aliquo (*c*) egeno et paupere, quoniam eleemosyna (*d*) liberat (*e*) a morte. Et vide, fili, ne sequaris vias (*f*) iniquorum, et multitudo peccantium non studeat te (*g*). Quoniam stipendia eorum confusio est, finis eorum mors est. Tu autem si operatus fueris veritatem, erit respectus Dei in operibus tuis, et cum omnibus qui faciunt iustitiam hereditabis vitam aeternam. Non tardes autem de substantia tua eleemosynam porrigere, nec avertas faciem tuam a paupere. Hoc enim faciente te, non avertet (*h*) a te facies Dei, quia restituet unicuique secundum opera eius. Tu autem secundum quod habuerit manus tua, porrige illam. Et si fuerit tibi copiosa substantia, facile tribuens, bene fac, et dives esto in operibus bonis. Sed et si exigua fuerit substantia tua, ex hac ipsa sine tristitia conmunica. Et ne timueris paupertatem faciens eleemosynam, quia indeficiens est in suis Deus. Et tu praemium bonum repones tibi, praeparans praesidium eius in diem necessitatis. Quoniam eleemosyna eruet a morte, et non patitur ire in tenebras facientem bene. Eleemosyna enim acceptabile munus Dei est, et adest omnibus qui faciunt eam coram Domino. Et de pane tuo conmunica esurienti, et tege nudos de vestimentis tuis. Ex omni quod superhabundaverit tibi, fac eleemosynam, et non invideat bonae voluntati tuae oculus tuus. Et noli conmoveri fili quod pauperam (*i*) vitam gessimus; habes enim multa bona si custodieris hereditatem praeceptorum meorum. Quoniam perfecta est oratio cum ieiunio, et eleemosyna cum iustitia. Et in his omnibus etiam modicum cum iustitia melius est, quam plurimum cum iniquitate, et potius est dethensaurizare (*k*) eleemosynam misericordiae quam habundantia pecuniarum: quoniam eleemosyna liberat a

(*a*) Tribus in locis codicis extat hoc Tobiae testimonium usque *studeat te*. (*b*) Alio in loco *vias*. (*c*) *Aliquo* deest in al. (*d*) Ubique cum unica *e elemosyna*. (*e*) Al. *liberabit*. (*f*) Al. *iter*. (*g*) In alio codicis loco corruptum est vocabulum. (*h*) Sic pro *avertetur*, ut in aliis auctoribus. (*i*) Ita cod. (*k*) Ita est apud me in apographo, essetque novum vocabulum; nisi potius est legendum *te thensaurizare*.

morte, et non patitur ire in tenebras: et ipsa est quae purificat peccata; et qui faciunt eleemosynam operantur iustitiam, saturabuntur in vitam aeternam. 13. Adtende autem tibi ab omni fornicatione. 14. Propter quod et tu, fili, dilige fratres tuos, et noli superbo corde agere cum filiabus filiorum populi tui. Nec accipias quemquam ex his in subiectione causa inopiae et necessitatis. Quoniam in superbia habundat perdicio et infidelitas, nec consistit fortiter, cui gradus in tabulis figitur. Quia fructus stellionatus (*a*) decoloratio vitae est; et in tempore angustiae captatio exiguitatis, mater est totius nequitiae; et emolumentum turpis lucri in fame, adquisitio aeterni ignis est. Et haec devitans, redde mercedem omni homini in die operationis laboranti aput te. 15. Adtende autem tibi, fili, in omnibus operibus tuis, et esto sapiens in universis sermonibus tuis. 16. Et quod nolueris tibi fieri, alio (*b*) ne feceris. 20. Tu autem in omnibus diebus vitae tuae, fili, time Deum tuum, et ne velis peccare, vel praeterire praecepta eius, quoniam misericordia et ira ab ipso est. Diligens autem iustitiam in omnibus diebus vitae tuae, bene placito (*c*) coram ipso, et noli ambulare in viis iniquitatis.

VIII. 7. Benedicant te caeli et omnes creaturae totius terrae; quia dixisti et facta sunt omnia, et confirmans universa verbo tuo. 8. Tu fecisti Adam, et dedisti ei adiutorium Evam.

XI. 13. Benedictus dominus Deus noster, quia ecce video te, fili; et benedictum nomen illius quod est magnum; et benedicti omnes sancti angeli eius; et sit nomen illius sanctum et benedictum in omnia saecula saeculorum. 14. Quoniam ipse flagellavit me in redargutione mea, et ipse misertus est mei; et reddidit lumen oculis meis, ut viderem filium meum.

XII. 12. Et cum orares tu et Sarra norus (*d*) tua, ego obtuli memoriale orationis vestrae ante Dominum.

XIII. 6. Convertimini itaque peccatores, et facite iustitiam coram ipso. Quis enim scit an veiit (*e*) vos, ut faciat misericordiam vobis?

XIV. 10. Et nunc, hoc filioli, hoc est quod mando vobis, ut in quo instituo vos: serviatis Deo, et faciatis coram illo quod placeat illi. 11. Sed et vos mandate filiis vestris, ut operentur iustitiam; et facientes eleemosynam, memores sint Dei in omnibus viis suis. 12. Et benedicant nomen iliius in omni tempore in veritate et in tota virtute sua. (*f*).

(*a*) Cod. *stillionatus*. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. pro *placeto*. (*d*) Ita cod. pro *nurus*. Gr. νύμφη. (*e*) Cod. *vellit*. (*f*) Cod. fortasse *tua*.

EX LIBRO IUDITH.

Cap. VIII. 4. Et erat Iudat (*a*) vidua in domo sua annis tribus et mensibus sex. 5. Et fecit sibi tabernaculum super tectum domus. 6. Et inposuit super lumbos suos cilicium, et ieiuuabat omnibus diebus vitae suae, praeter sabbatis et neomeniis (*b*) et gaudimoniis domus Istrahel. 7. Erat bona facie valde, et non erat qui inferret ei verbum malum, quoniam timebat Dominum valde.

EX LIBRO IOB.

Cap. V. 17. Beatus homo quem arguet Dominus, quia correptio omnipotentis Dei salus est. 21. Et ideo a nequissima lingua absconde, et non timebis a supervenientibus malis. 22. Deride iniustos, et infrena os scelestorum. * Et si iu multiloquio extollamur, coram Domino non absolvetur * (1). 23. Et dissolve, quod cum lapidibus agri testamentum tuum est. 25. Fili tui erunt sicut viridia agri. 26. Et in consummatione saeculi exsurgens de sepultura, reverteris ut triticum maturum quod ad tempus suum secatur, et ascendit in massa areae, quae omni hora adcumulatur. Nam suscitabit (*c*) eum de terra, qui sine malitia est, nec obliviscetur illum.

VI. 30. Conscius enim mihi sum, quia non protulit lingua mea quicquam, et numquam non guttur meum intellectum meditatur.

VII. 1. Probatio enim hominis in terra vita eius est, et actus illius sicut mercis cotidiana. 20. Si ego peccavi, quid possum tibi facere? Tu, qui scis sensum humanum.

XI. 11. Ipse enim perspicit opera hominum, nec latet eum quicquam eorum quae faciunt. 14. Quoniam si conversus humiliaveris te coram ipso, et longe feceris omnem iniustitiam a via tua; 15. tunc erit omnipotens adiutor tuus, et liberabit te (*d*) ab inimicis, et ab omni iniquitate mundum restituet te, et suscipiet sicut argentum probatum igne. 16. Et habebis fiduciam coram ipso, respiciens in caelum cum hilaritate. 17. Et orantem te exaudiet cum laetitia, et dabit tibi ut reddas vota tua, et in viis tuis erit splendor.

XIV. 4. Quoniam si fuero iustus, non dubito quod os meum

(*a*) Ita cod. (*b*) Cod. *numiniis*. Et animadverte *praeter* cum sexto casu. (*c*) Cod. *suscitavit*, *v*. pro *b*. (*d*) Cod. *liberavit*.

(1) Haec pericope praecedentem subsequitur in codice: mihi vero non satis otii est ad huius versiculi stationem propriam diutius indagandam.

admiserit iniquitatem. Et si dixero, sine querella sum, aeque difficilia locutus sum. Quis enim hominum vel virorum ab operibus suis mundus et inmaculatus est coram Deo? Quia nemo mundus a sorde, nec unus quidem, etiam si una die fuerit vita eius super terram. 14. Quoniam scio quod etsi mortuus fuerit homo consummans dies vitae suae, non periet coram te, sed vivet. Propter quod et ego sustinebo quousque iterum fiar. 15. Et cum vocaveris me, obaudiam. Opera manuum tuarum [ne reiicias, μὴ ἀποποιοῦ].

XV. 14. Quis enim hominum est sine querella? aut quis poterit iustus esse, qui natus est ex muliere. 15. Nam si nec caelum mundum est ante conspectum Domini, quanto magis exsecrabilis et inmundus sit? 20. Et quia anni dinumerati sunt superbiae; 21. et sic sunt dispositi iu aures Domini; et cum videbuntur pacificari, eveniet illis eversio. 34. Testimonium enim impii mors, et ignis comburet domos eorum qui munera accipiunt. 35. Concipiet in ventre gemitus, et venieut ei vana, et venter eius portablt dolum.

XXII. 12. Quia qui in altis habitat, videt iniuriam facientem et humiliat superbos.

XXIII. 10. Dominus scit viam meam, et ipse iudicat me tamquam aurum, quod probatur igne. 11. Ut procedam in mandatis, ut custodiam iter eius: et non declinabo a praeceptis eius. 12. Nec egrediar vias eius, et non movebor, sed in sinu meo abscondam verba illius. 13. Quod enim susteneo (a), scio, quod sicut voluit, iudicavit. 14. Et quis est qui contradicat illi? Quod enim voluit, hoc fecit. 15. Et propter hoc correptus festinabo ad ipsum, et sollicitus intendam in eum qui cunctorum est Dominus. 16. Et ipse emollivit cor meum, et ipse circumdedit me.

XXVI. 13. Praecepto autem peremit draconem desertorem.

XXIX. 12. Salvabam enim pauperem de manu potentis, et adiuvabam pupillum cui non erat adiutorium. 13. Os viduae benedixit me. 14. Et indutus eram iudicio, et circumdatus aequitate. 15. Ego eram oculus caecorum, ego pes claudorum, ego inpotentium pater. 16. Examinabam causas sine exceptione, 17. et confringens iniustorum molas, auferebam rapinam de mediis dentibus eorum.

XXX. 23. Mors enim viro iusto requiem dat. Numquid non sciet quod mors conteret domum terrenam, et omne quod est mortale dissolvetur?

(a) Ita cod.

XXXI. 7. Vel si oculum meum subsecutum est cor meum, vel si palpavi munus manibus meis; 8. dispargar et non congreger. 9. Aut si secutus est sensus meus uxorem alterius viri, vel si frequentavi in concupiscentia ianuas eius; 10. auferatur uxor mea, et detur alii. 16. Viduae oculum non feci flere super me. 17. Vel si unquam panem meum solus manducavi, et non tradidi pupillo ex ipso. 19 Si dispexi nudum transeuntem, et non vestivi. 20. Si infirmorum non me benedixerunt umeri; si de tonsura ovium mearum non calefacti sunt. 21. Si non aperui ad pupillum manum meam, aut non fui adiutorium illis. 22. Discedat umerus ab iugulo meo, et brachium meum a iugulo meo disrumpatur. 23. Haec enim facientem timor Domini continebat me. 34. Si permisi minimum et inpotentem vacuo gremio exire ianuam meam, 35. non respiciat me manus Domini. Dirigens enim in hoc cor meum, timebam Deum.

XXXIII. 4. Spiritus divinus qui fecit me, et Inspiratio omnipotentis quae docet me. 31. Intuere itaque Iob haec, et tace correptus virtute Domini, qui ordinavit opera sua, faciens lumen de tenebris.

XXXVI. 13. Simulatores et callidi provocant Iram Dei. 19. Non te avertat voluntas animi a precibus Infirmorum cum in necessitate fuerint.

XL. 1. Et haec audiens Dominus dixit de nube ad Iob. 2. Ideo magis adcingere sicut vir lumbum tuum, et ego interrogabo te, et tu responde mihi. 3. Nec putes alienum esse iudicium meum, et non aestimes me aliter decrevisse, nisi ut tu minus appareas iniustus. 5. Suscipe in te altitudinem et virtutem, et claritatem et honorem induere. 6. Dimitte angelos irae, et omnem Iniuriosum et superbum extingue. 7. Separa a te impios confestim. 8. Et absconde eos a me in terra, et confunde facies eorum ignominia, et redde illis sua. Si autem sint aput te sine honore; 9. Et tunc videbis et confiteberis quoniam potens est dextera mea salvare te.

EX PROVERBIIS.

Cap. I. 2. Scire sapientiam et disciplinam, et intellegere sermones prudentiae, 3. ac percipere versutias sermonum, adque (a) intellegere iustitiam veram, et iudicium dirigere iustum, 4. ut det innocentibus astutiam, puero autem iuniori sensum et peritiam. 5. His enim auditis sapiens sapientior erit. 10. Fili, non

(a) Ita cod.

te seducant viri impii neque velis, 11. si te rogaverint dicentes: veni, comunica nobiscum sanguinem, abscondamus autem in terra virum iustum iniuste. 12. Devoremus autem eum sicut infernus vivum, et tollamus memoriam eius a terra. 13. Possessionem autem eius pretiosam possideamus. 15. Fili, ne abieris vias cum illis; 16. declina autem pedem tuum a semitis eorum. 17. Non enim iuste (*a*) tenduuntur retia avibus. 18. Ipsi enim qui homicidii participes sunt, congregant sibi mala. Eversio autem virorum iniquorum mala. 21. Super cacumina montium praedicatur, in portis autem potentium adsistit.

II. 16. Fili non te conpraehendat mala cogitatio, 17. quae dereliquid (*b*) doctrinam adulescentiae, et testamentum divinum oblita est: 18. posuit enim aput mortem domum suam, et aput infernum cum terregenis sunt cursus eius. 19. Omnes qui vadunt per illam, non revertentur, sed in paenitentiam venient.

III. 3. Misericordia et fides non te derelinquat, et veritas possideat te: conpraehende eas ex animo tuo diligenter, et invenies gratiam. 4. Et provide bona coram Deo, et hominibus. 5. Èsto confidens toto corde in Domino. Tu autem sapientia noli extolli. 7. Noli esse sapiens aput te. Time autem Dominum, et declina ab omni malo. 8. Tunc sanitas erit corpori tuo, et diligentia ossibus tuis. 13. Beatus homo qui invenit sapientiam, et inmortalis qui invenit prudentiam. 14. Melius est enim illa mercari, quam auri et argenti thensauros. 21. Fili, ne deficias, serva autem meum consilium et cogitationem. 22. Ut vivat anima tua semper, et gratia sit circa tuam cervicem. Tunc sanitas erit carnibus tuis, et diligentia ossibus tuis. 27. Noli abstinere benefacere pauperi, cum quando (*c*) habeat manus tua adiuvare. 28. Et ne dicas vade et redi, cras dabo (al. cras do); cum possis statim benefacere. Non enim scis quid contingat sequenti die. 34. Dominus superbis resistet, humilibus autem dat gratiam. 35. Gloriam sapientes possidebunt, et insipientes contumeliam.

IV. 14. Vias impiorum noli ingredi, neque aemuleris vias iniquorum. 15. In quocumque loco castra constituerint, non eas illuc, diverte autem ab eis et declina. 21. Non deficiant a te fontes Domini, sed custodi eos in toto corde tuo. 23. Omni custodia serva cor tuum: ex his enim exitus sunt vitae. 24. Aufer a te pravum os, et iniqua labia longe expelle a te. 25. Oculi tui recta videant, palpebrae autem tuae adnuntient iusta. 26. Re-

(*a*) Ita est in apographo, pro *iniuste*. Vulgatus *frustra*. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita in cod. *cum quando*, et quidem hic locus bis ibi legitur.

cta itinera fac tuis pedibus, et vias tuas dirige. 27. Nec declines in dextram vel in senestram (*a*), averte autem pedem tuum a via mala.

V. 3. Noli intendere fallaci mulieri: mel enim destillat a labiis mulieris meretricis, quae ad tempus inpinguat tuas fauces. 4. Novissime tamen amarius felle invenies, et acutiorem magis quam gladium ex utraque parte acutum. 5. Vestigia enim eius non conveniunt vitae. 6. Vias enim vitae non exsequitur: fallaces enim viae eius, et non bene cogitautes. 8. Longe fac ab ea viam tuam: noli adpropinquare ad ianuas domus eius. 9. Ut non derelinquas aliis vitam tuam, et substantiam his qui sine misericordia sunt. 15. Bibe aquam (*b*) de tuis vasis, et de puteorum tuorum fonte. 16. Supereffundantur tibi aquae de tuo fonte: in tuis autem plateis circumeant aquae tuae. 17. Fons aquae tuae sit tibi proprius, 18. et nemo extraneus communicet tibi. 19. Cervus amicitiae et pullus gratiarum tuarum confabulentur tecum. 20. Noli nimius esse ad alienam, neque coniungaris amplexibus eius quae non est tua. 22. Iniquitates virum capiunt, restibus autem peccatorum suorum unusquisque constringitur. 23. Hic moritur cum innumerabilibus, quoniam sine disciplina est; de multitudine autem vitae suae proiectus est, et periit propter stultitiam.

VI. 2. Laqueos enim fortes sunt viro sua labia, et capitur verbo oris sui. 3. Fac, fili, quae ego mando tibi, et salvus eris. Venisti enim in manus malorum. Propter amicum tuum esto infaticabilis: adtende autem amicum tuum quem spopondisti. 4. Ne dederis somnum oculis, neque dormites palpebris tuis, 5. ut evadas sicut dammula ex retibus, et sicut avis ex laqueo. 6. Vade ad formicam, o piger, et aemulare videns vias eius, et esto illa sapientior. 7. Illa enim cum agrum non possideat, neque conpellentem se habeat, neque sub domino sit, 8. quomodo parat aestate alimenta (*c*), copiosam autem facit in messe repositionem. Vel vade ad apem, et disce quam laboriosa est, operationem etiam quam sanctam mercatur. Cuius labores reges et mediocres ad sanctitatem offerunt. Grata est autem omnibus et gloriosa; et cum sit viribus infirma, sapientiam praedicans producta est. 9. Usquequo piger iacebis? Quando autem de sompno surgis? 10. Modicum quidem dormis, modicum autem manibus conplecteris pectus. 11. Deinde adveniet tibi sicut malus viator paupertas, inopia autem sicut bonus cursor. Si autem inpiger fue-

(*a*) Ita cod. (*b*) Al. *bibes aquas.* (*c*) Cod. *elimenta.*

ris, veniet tibi sicut fons messis tua; inopia autem sicut bonus cursor refugiet te. 12. Vir stultus et iniquus vadit vias non bonas: ipse autem adnuit oculo, et significat pede. 16. Abominatio est Domino deficiens oculus (*a*), et indocti incontinentes sunt lingua. 19. Accendit falsa testis iniustus, et inmittit iudicia inter fratres: testis autem velox linguam habet iniquam. 23. Quia lucerna est mandatum legis, et lux vitae, et increpatio, et disciplina. 25. Fili, non te vincat formae desiderium, neque capiaris oculis tuis, neque rapiaris palpebris tuis. 26. Pretium enim meretricis quantum est? unus panis: mulier autem virorum pretiosas animas capit. 27. Alligabit quis in sinu ignem, vestimenta autem non conburet? 28. Aut ambulabit (*b*) supra carbones ignis, pedes vero non conburet? 29. Sic qui intrat ad uxorem proximi sui non erit inpunitus, neque omnis qui tangit eam. 32. Adulter autem propter inopiam sensus interitum animae suae adquirit. 33. Dolores et turpitudines sufferet, obprobrium autem eius non delebitur.

VIII. 13. Timor Domini odit malitiam, contumeliam et superbiam et vias malorum. 22. Dominus creavit me initio viarum suarum in opera sua, et ante saeculum fundavit me. 23. Initio ante quam terram faceret, 24. et ante quam abyssos constitueret, prius quam produceret fontes aquarum. 25. Prius quam montes statuerentur, ante omnes colles genuit me Dominus. 26. Fecit regiones et deserta et cavernina, quae habitantur sub caelo. 27. Cum praepararet caelum, cum illo eram; et cum segregabat sedem suam. 28. Quando super ventos fortes faciebat in summo nubis. 29. Et cum stabiles fontes poneret sub caelo; et cum firmissima faceret fundamenta terrae; 30. eram aput illum conponens.

IX. 8. Argue sapientem, et amabit (*c*) te: insipientem, et adiciet odisse te. 9. Da sapienti occasionem, et sapientior erit: notum fac iusto, et adiciet percipere. 11. Recede ergo ab aqua aliena, et a fonte alieno noli bibere, et multo vives tempore, et adicientur tibi anni vitae. 13. Mulier stulta et pandax (*d*) inops prudentia efficitur, quia nescit ruborem.

(*a*) Cod. *oculum*. Ceteroqui hic versiculus vix respondet editionibus. (*b*) Cod. *ambulavit*, *v* pro *b*. (*c*) Cod. *amavit*, *v* pro *b*. (*d*) In apographo est *paudax*, quod puto esse *pandax*. Iam *pandax* in Isidori glossario (Areval. T. VII. p. 479. adn.) explicatur *qui semper pandit ora ad potandum*. In meo autem thesauro lat. AA. Class. T. VIII. p. 478. *pandox* est *ebriosus* vel *gulosus*, *qui semper pandit ora ad escas*. Ceteroquin heic est gr. θρασεῖα, lat. *audax*.

X. 2. Non prodeerunt thensauri iniquis, iustitia autem eripit de morte. 4. Qui fidet in falsis, hic ventos pascit; idem autem ipse sequitur, aves volantes * Dereliquid enim viam vineae suae, et orbita culturae (*a*) agri sui erravit. Perambulat autem per arida et deserta et terram constitutam in siccitatibus. Congregat autem manibus suis sterelitatem (*b*) *. 8. Sapiens corde percipiet mandata. 11. Fons vitae in manu iusti. 12. Odium suscitat contentio: omnes autem non contendentes protegit amicitia. 14. Sapientes celabunt intellectum. 19. Ex multiloquio non effugies peccatum; parcens autem labiis, sapiens eris. 22. Vir sapiens sedis est intellectus. 23. In risu stultus agit nefaria. 27. Timor Domini adicit dies: anni autem impiorum minuentur. 29. Munitio eius timor Domini, contritio autem operautibus mala.

XI. 1. Statera iniqua abominatio est coram Domino, pondus autem aequum acceptum est ei. 4. Non prodeerunt divitiae in die irae: iustitia autem liberat a morte. 12. Vir autem sapiens quiete agit. 22. Sicut inaures in auribus porci, ita mulieri malae pulchritudo. 25. Anima benedicta, omnis simplex: vir autem animosus vel iracundus, non honeste agit. 26. Qui continet triticum in angustia, relinquet illud inimicis. Pretio gravans triticum in populo, maledictus erit: benedictio autem super caput participantis. 28. Qui confidet in divitiis, hic cadit: qui vero adiuvat iustos, hic exorietur. 29. Serviet autem stultus prudenti.

XII. 1. Qui diligit disciplinam, diligit sensum: nam qui odit arguentes se, stultus est. 16. Stultus ipsa eadem die pronuntiat iram suam, occultat autem suam contumeliam astutus. 20. Qui volunt pacem, laetabuntur.

XIII. 3. Qui custodit os suum et linguam, conservat de angustiis animam suam. 8. Redemptio animae hominis, divitiae ipsius. 14. Lex sapienti fons vitae. 24. Qui parcit baculo, odit filium suum: nam qui diligit, diligenter erudit.

XIV. 3. Ex ore stultorum baculus contumeliae, labia autem sapientium custodiunt eos. 7. Omnia contraria sunt viro insipienti, arma vero intellectus labia sapientiae. 15. Filio doloso nihil erit boni, servo autem sapienti prosperi erunt actus. 16. Sapiens timendo declinat a malo, stultus vero sibi confidens miscetur iniquo. 17. Iracundus agit sine consilio, vir autem prudens multa sustinet. 21. Qui contumeliam facit pauperibus, peccat; qui autem miseretur pauperem, beatus est. 24. Non desi-

(*a*) In apographo *sculpturae*. (*b*) Horum quaeratur statio propria. Namque in codice sunt continua. Confer cap. II. 13.

derat sapientiam, cui deest sensus: magis enim ducitur inprudentia. 25. Eripiet de malis animam testis fidelis, incendit autem falsa dolosus. 27. Praecepta Domini fons vitae, faciunt autem declinare a laqueo mortis. 29. Patiens vir, copiosus in sapientia; pusillianimis autem, vehementer insipiens. 30. Mansuetus vir, cordis medicus est: tinea autem ossibus, cor intellegens. 31. Qui honorat Dominum, miseretur pauperem. (Al. pauperi.) 31. Qui calumniam facit pauperi, inritat eum qui fecit illum. 33 In corde viri boni invenietur patientia: nam in corde insipientium non agnoscitur.

XV. 1. Ira perdet etiam sapientes, responsum autem humile avertit iram. 3. In omni loco oculi Domini speculantur bonos adque malos. 11. Mors et infernus manifesta sunt aput Deum; quomodo non etiam corda hominum? 12. Non diligit indisciplinatus arguentes se: cum sapientibus autem non conloquitur. 16. Melior est modica pars cum timore Domini, quam thensauri magni sine timore. 18. Vir iracundus parat lites, patiens autem etiam futuras mitigat. 25. Domos superborum destruet (*a*) Dominus. 26. Abominatio est Domino cogitatio iniqua, sanctorum autem sermones pudici sunt. 27. Perdit semetipsum qui munera accipit: nam qui odit munerum acceptionem, vivit. 27. Eleemosynis et fide mundantur peccata: qui autem miseretur, misericordiam consequetur. 31. Qui excipit disciplinam, in bonis erit: nam qui custodit increpationes, sapiens fiet. 32. Qui repellit disciplinam, odit semetipsum: nam qui servat obiurgationem, adquirit prudentiam. 33. Timor Domini disciplina et sapientia. 34. Humilitas exaltat gentes.

XVI. 2. In conspectu enim Dei sunt viae viri: in omnes autem cursus eius speculatur Deus. Omnis opera humilis manifesta aput Dominum: impii in die malorum cadebunt (*b*). 5. Inmundus apud Dominum omnis qui exaltat cor suum. 8. Melior est modica adquisitio cum iustitia, quam multi fructus eum iniquitate. 19. Melior est mansuetus cum humilitate, quam qui dividit praedam cum contumeliosis. 22. Fons vitae est cousilium possidenti illud. 27. Vir stultus mala sibi fabricat, in suis autem labiis thensaurizat ignem. 32. Melior est vir patiens, quam fortis: nam qui retinet iram, melior est quam qui civitatem capit.

(*a*) Al. *distruet*. (*b*) Ita cod. Heic autem collocatur in ed. gr. vat. *οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται.*

XVII. 1. Melior est panis pusillus cum suavitate in pace, quam domus plena multorum bonorum iniquis inmolationibus, cum rixa. 2. Servus prudens obtinebit dominorum inprudentiam, et inter fratres dividit partem. 3. Sicut probatur argentum in camino, et aurum, ita electa corda apud Deum. 6. Non conveniunt stulto labia fidelia, neque iustis labia mendacia. 9. Qui celat iniuriam, quaerit amicitiam: nam qui odit celare, disiungit amicos et domesticos. 10. Contribulant minae cor sapientis, stultus autem flagellatus non sentit. * Qui docet puerum stultum, contumeliam facit aequitati (*a*) *. 15. Qui iustum iudicat iniustum, iniustum autem iniustum, abominabilis est aput Deum. 16. Ut quid habundant divitiae stulto? Possidere enim sapientiam insensatus non poterit. Qui altam facit domum suam, quaerit ruinam. 20. Vir mutabilis lingua incadet (*b*) in mala. 21. Non laetatur pater [filio] non erudito. 22. Cor laetum bonam valitudinem facit, viri autem tristis arescunt ossa. 23. Accipientis munera in sinum inique, non prosperabuntur viae. 25. Ira est patri filius insipiens, et dolor matris eius. 27. Qui parcit verbum proferre durum, prudens est; patiens autem vir, sapiens est. 28. Mutum te faciens, videris sapiens esse.

XVIII. 2. Non desiderat sapientiam cui deest sensus: magis enim ducitur inprudentia. 4. Flumen autem manat et fons vitae. 5. Mirari faciem impii non est bonum; nec sanctum est declinare iustum in iudicio. 6. Qui multis utitur verbis, laedit animam suam. 7. Os hominis stulti, contritio est: labia autem eius, laqueus animae ipsius. 8. Pigrum deicit timor: animae autem effeminatorum esurient. 13. Qui respondit verbum prius quam audiat, stultitia est illi et opprobrium. 14. Iram viri mitigat servus prudens; pusillianimem autem virum quis sufferet? 15. Sensus bonus accedit ad eos qui noverunt eum; vir autem prudens inveniet eum. 15. Cor sapientium possidebit sensum. 18. Contradictiones sedat tacitus; inter potentes autem definit. 21. Mors et vita in manibus linguae: qui autem continens est, edet fructus eius.

XIX. 3. Stultitia viri exterminat vias eius, Dominum autem causatur corde suo. 5. Testis falsus non erit inpunitus: qui autem accusat iniuste, non evadet. 17. Faenerat Domino (al. Dominum) qui miseretur pauperem: secundum autem datum eius retribuetur ei. 23. Timor Domini viro in vitam: qui autem sine timore est, conmorabitur in locum (*c*) quem non visitat scientia.

(*a*) Quaerendus locus. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod.

25. Pestifero castigato, insipiens astutior fit: si autem arguas virum prudentem, iutelleget sensum. 26. Qui non honorificat patrem suum, et repellit matrem suam filius, confundetur et in opprobriis erit. 27. Filius qui omittit custodire disciplinam patris, meditabitur eloquia malitiae.

XX. 1. Proterva res est vinum, et iniuriosum ebrietas: omnis autem stultus his coumiscetur. 4. Increpatur piger, non erubescit. Similiter autem qui mutuatur triticum in messe. 9. Quis gloriabitur purum se habere cor? aut quis sudebit dicere mundum se esse a peccato? 10. Pondus magnum et minimum, et mensurae duplices, inmunda ante Dominum utraque; et qui facit ea, in studiis suis inpedietur. 11. Iuvenis, qui cum sancto directa est via eius, auris audit et oculus videt. 12. Opera Domini utraque. 13. Adaperi autem oculos tuos, et iusta videbis. 20. Maledicentis patri aut matri, extinguetur lumen: pupillae autem oculorum eius videbunt tenebras. 23. Abominatio est Domino duplex pondus, et statera dolosa non est bonum ante eum. 29. Ornamentum adulescentibus sapientia, gloria autem seniorum cani.

XXI. 3. Facere iusta et veracem esse placet Deo magis, quam hostiarum sanguis. 13. Qui obdurat aures suas ut non audiat infirmum, ipse invocabit (*a*) Dominum, et non erit qui exaudiat eum. 20. Thensaurus desiderandus requiescit in ore sapientis. 23. Qui custodit os suum, servat animam suam: nam qui protervus est labiis, tenebit (*b*) semet ipsum. 24. Temerarius et superbus pestilentia vocatur. 25. Desideria pigrum occidunt: non enim destinant manus eius facere aliquid. 28. Testis mendax peribit, vir autem oboediens caute loquetur.

XXII. 1. Melius est nomen bonum quam divitiae multae: super argentum autem et aurum gratia bona est. 2. Dives et pauper obviaverunt invicem, fecit autem ambos Dominus. 4. Generatio sapientiae timor Domini, divitiae, et gloria, et vita. 9. Qui miseretur pauperi (al. pauperem) ipse enutrietur; de suis enim panibus dedit pauperi. 13. Occasiones quaerit piger, et dicit: leo in viis est; in plateis autem homicidae. 15. Stultitia inest cordi iuvenis, virga autem et disciplina longe est ab eo. 22. Noli violentus esse pauperi; inops est enim. Nec contumeliam feceris infirmo in portis. 23. Dominus enim iudicat iudicium eius, et tu liberabis animam tuam innocentem. 24. Noli esse

(*a*) Cod. *invocavit*. (*b*) Ex graeco διατηρεῖ.

amicus viro animoso: cum amico autem iracundo noli conmorari. 25. Ne forte discas vias eius, et sumas laqueum animae tuae.

XXIII. 12. Da in disciplina cor tuum, et aures tuas para verbis prudentiae. 13. Noli cessare parvulum emendare, quoniam si percusseris eum virga, non morietur. 14. Tu quidem percuties eum virga, animam autem eius liberabis a morte. 17. Non aemuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die. 20. Noli esse vinolentus, neque extendas te ad emendam carnem. 21. Omnis enim ebriosus et fornicarius mendicabit, et vestiet conscissos pannos omnis somniclosus.

XXIV. 3. Cum sapientia aedificatur domus, et cum intellectu erigitur. 4. Cum sensu inplentur horrea plena omnibus divitiis pretiosis et bonis. 8. Indisciplinatis obviat mors: moritur autem insipiens peccatis. 11. Erue eos qui ducuntur in mortem, et redime qui interficiuntur; ne parcas. 12. Si autem dixeris non novi hunc, scito quid Dominus corda omnium novit; et qui finxit spiritum omnium, ille scit omnia, qui reddit unicuique secundum opera eius. 17. Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulare; et in subplantatione eius noli extolli. 18. Ne forte videat Dominus et non placeat ei, et avertat iram suam ab eo. 19. Noli gaudere super male facientes, nec aemuleris peccatores. 20. Non enim erunt nati maligno, lumen autem impiorum extinguetur. 23. Haec autem vobis dico sapientibus cognoscere: revereri personam in iudicio non est bonum. 24. Qui dicit iustum impium esse, maledictus erit populis, et odibilis gentibus. 25. Nam qui arguunt, meliora sperabunt. 27. Praepara in exitu opera tua, et praeparare (παρασκευάζου) in agro, et veni retro me, et aedificabis domum tuam. 28. Noli esse testis mendax in civem tuum, neque delateris labiis tuis. 30. Tamquam ager vir insipiens, et sicut vinea homo cui deest prudentia. 31. Si reliqueris eum inplebitur spinis, et in foenum fiet, et erit desertus, et maceriae parietum eius effodientur.

XXV. 6. Noli superbire ante conspectum regis, neque in locis potentium subsistas. 7. Melius est enim tibi dici, ascende ad me, quam humiliari in conspectu potentis. 8. Noli procedere in rixam cito, ne postmodum paeniteat te. 9. Cum tibi maledixerit amicus tuus, recede retro. 10. Noli contendere, cum te exprobrabit amicus. Gratia et amicitia liberant; quam serva tibi, ne in opprobriis sis: sed custodi vias tuas bene conservando. 11. Malum aureum in monile sardio, 12. inauris aurea in sardino pretioso, ita sermo sapiens in aure oboedientis. 18. Clava

et gladius et sagitta perniciosa sunt; sic et vir qui adversus amicum suum testimonium falsum dicit. 20. Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viro nocet cor. (Al. ita virum perdet mulier maligna.) 21. Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. 22. Hoc enim faciendo, carbones ignis coacerbas (*a*) super caput eius. Deus autem retribuet tibi.

XXVI. 2. Sicut aves volantes passeres, ita maledictum vanum non superveniet ulli. 9. Spinae nascuntur in manibus ebriosi. 11. Sicut canis cum convertitur ad vomitum suum odibilis efficitur, sic stultus malitia sua conversus in peccatis suis. 12. Vidi virum aestimantem se sibi sapientem esse, spem autem habuit magis insipiens quam ille. 14. Sicut ostium (*b*) in cardine vertitur, ita piger in lecto suo. 16. Sapientior piger sibi videtur, quam qui in plenitudine perfert nuntium. 22. Verba callidorum mollia sunt, feriunt autem interiora viscerum. 28. Lingua mendax odit veritatem, os autem incontinens facit seditiones.

XXVII. 3. Gravis est lapis, et vix portabilis harena; ira autem stulti gravior ambobus. 22. Si flagellaveris stultum in medio concilio contumeliam faciendo, non auferes stultitiam eius.

XXVIII. 7. Custodit legem filius sapiens: nam qui pascitur luxoria (*c*) dehonestat patrem. 14. Beatus qui metuit omnia per timorem: nam qui duro est corde incidet in malo (*d*). 23. Qui arguit hominem vias suas, gratiam habebit magis quam qui adolatur (*e*). 24. Qui repellit patrem suum aut matrem suam, et existimat se non peccare, hic particeps est viro impio. 26. Qui ambulat sapienter, salvus erit. 27. Qui dat pauperibus, non egebit: qui autem avertit oculum suum, in magna inopia erit.

XXIX. 1. Melior est vir arguens, quam vir dura cervice: subito enim ardenti illi non erit sanitas. 3. Viri amantis sapientiam laetatur pater: qui autem pascit meretrices, perdit divitias. 7. Novit iustus iudicare pauperibus, nam impius non intelleget scientiam, et inopi sensus non est intellector. 11. Totam iram suam profert stultus, sapiens autem per partes. 14. Regis in veritate iudicantis pauperibus, sedis eius in testimonium resurget. 15. Plagae et increpationes dant sapientiam, puer autem errans confundit patrem. 17. Erudi filium tuum, et exhilarabit te, et dabit decorem animae tuae. 20. Si videris virum velocem in verbis, scito quia spem habet magis insipiens, quam ille. 21. Qui in deliciis est a puero, servus erit: novissime autem dolebit super se. 22. Vir animosus fodit contentionem, vir autem

(*a*) Ita cod. *b* pro *v*. (*b*) Cod. *osteum*. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita cod. (*e*) Ita cod.

iracundus exobruet peccata. 24. Qui partitur cum fure, odit animam suam. 26. Sua enim impietate suam animam auferunt.

XXX. 6. Noli adicere ad mandata eius, ne arguaris et mendax sis. 10. Noli tradere servum in manus Domini, ne forte maledicat te et extermineris. 11. Filius malus patrem maledicit, matrem autem non benedicit. 12. Filius malus iustum se iudicat, exitum autem suum non abluet. 13. Filius malus superbos oculos habet, palpebris autem suis extollitur. 14. Filius malus gladios dentes habet, et cultros molares, ut occidat et devoret humilis (*a*) a terra, et pauperes eorum ex hominibus. 17. Oculum inreverentem patri, et contumeliosum senectae matris, effodiant illum corvi de convallibus, et comedant illum pulli aquilorum.

XXXI. 3. Qui est iucundus in vini conmorationibus, relinquet contumeliam. 4. Potentes, iracundi sunt: vinum non bibant, 5. ne cum biberint, obliviscantur sapientiam, et rectum non possint iudicare infirmibus (*b*). 8. Aperi os tuum verbo Dei, et iudica omnibus integre. 9. Aperi os tuum, et iudica iuste: discerne autem pauperem. 17. Succincta fortiter lumbos suos, firmavit bracchia sua in opus.

XXXIII. 29. Cui vae? cui tumultus? cui iudicia, lites, et rixae? cui contritiones supervacuae? cuius lividi oculi? 30. Nonne eorum qui conmorantur in vino? nonne eorum qui investigant ubi convivia fiant? 31. Nolite ergo vos inebriari vino, sed loquimini cum viris iustis, et fabulamini in deambulationibus. Si enim in phialas (*c*) et calices dederitis oculos vestros, novissime ambulabitis (*d*) nudiores pilo.

XIX. 1. Melior est pauper ambulans in veritate, quam dives mendax (1).

EX ECCLESIASTE.

Cap. V. 1. Noli festinare in ore tuo, et cor tuum non adceleret ut proferas verbum ante faciem Dei: quia Deus in caelo est, et tu in terra: propterea pauca sint verba tua. 3. Statim voveris votum Domino, non tardabis reddere illud. Tu itaque quae voveris redde. 4. Bonum est non vovere, quam vovisse et non solvere. 5. Noli dare os tuum ut peccet caro tua: et ne dicas

(*a*) Ita cod. pro *humiles*. (*b*) Ita cod. (*c*) Cod. *fialas*. (*d*) Cod. *ambulavitis*.

(1) Versiculum hunc perperam in codice adscriptum Hieremiae, pertinere ad Proverbia cognovimus.

ante faciem Dei, quia ignorantia est: ut non irascatur Dominus in verbis tuis, et perdat opera manuum suarum. 9. Qui diligit pecuniam, non satiabitur pecunia. 12. Est calamitas, quam vidi sub sole, divitias custodiri in malum possidentis eas, aput quem sunt in perniciem ipsius. 15. Sicut venit, *ita* vadet, et nihil accipiet ex labore suo.

VI. 3. Dixi: melior est super hunc abortivus (*a*): requies magis huic quam illi.

VII. 3. Optimum est ire in domum luctus, quam ire in domum potationis. 4. Melior est Indignatio, quam risus; quia in vultu oblectabitur cor. 5. Cor sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo luxoriae (*b*). 7. Sicut strepitus spinarum sub olla, sic qui audit risum insipientium. 10. Noli festiuare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit. 27. Et dicam amariorem morte mulierem: retia et captio est cor eius, et laqueus in manibus eius.

IX. 17. Verba sapientium in requiem audientium.

XI. 9. [Laetare] adulescens in iuventute tua et bene disponas cor tuum in diebus adulescentiae tuae. Ambula in via cordis tui sine macula, et non in audaci (*c*) aspectu oculorum tuorum. Et scito quod super haec omnia adducet te Deus in iudicium. 10. Repelle iram a corde tuo, et remove nequitiam a carne tua; quia adulescentia et stultitia vanitas est.

XII. 1. Et memor esto eius, qui te creavit, in diebus adulescentiae tuae. 13. Finis omnis verbi audiatur (*d*): Dominum time, et mandata eius custodi: quoniam hoc est omnis homo. 14. Quia omne hoc opus adducet Deus in iudicium, in omni dispecto (gr. *παρεωραμένῳ*), sive bonum sive malum.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. II. 8. Ecce hic venit saliens super montes, et exiliens super colles. 13. Vineae in odorem floruerunt, et omni loco odor. 15. Capete (*e*) vobis vulpis pusillas exterminantes vineam. 17. Similis est frater meus cervae vel hinnulo (*f*) cervorum super montes sucorum.

VIII. 5. Quaenam est haec quae discendit a deserto? Sicut vitis propago fumo iucensa odorificatur. (1)

(*a*) In apographo *ortum*. (*b*) Ita cod. (*c*) Cod. *audacia*. (*d*) Cod. *auditur*. (*e*) Ita cod. (*f*) Cod. *innulo*.

(1) Comparatis quatuor his fragmentis cum illis quae sunt apud Aponium

Omittimus fragmenta librorum Sapientiae, et Ecclesiastici, nec non Psalterii; quia in his libris versio vetus, etsi non sine aliquot varietatibus, retenta fuit ab iis, qui vulgatum textum, id est hieronymianam ex hebraeo interpretationem, in Bibliis communibus posuerunt.

EX ISAIA.

Cap. I. 17. Inquirite iudicium, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, et iustificate viduam. 18. Et venite disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra ut phoenicium, ut nivem dealbabo: si autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam.

III. 14. Vos autem qui succenditis vineam meam, et rapina pauperum in domibus vestris est. 15. Ut quid vos iniuriam facitis populo meo, et personam inopum confunditis?

V. 5. Nunc autem nuntiabo vobis quid faciam vineae meae: auferam maceriam eius, et erit in direptionem; et distruam parietem eius, et erit in conculcationem. 6. Et in nubibus mandabo ne pluant super eam pluviam. 7. Vinea enim Domini Sabaoth, domus est Istrahel: et homo Iuda, novellum dilectum: sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas. 20. Vae his qui dicunt quod malum est, bonum; et quod bonum est, malum: qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras: qui ponunt amarum dulce, et dulce amarum. 21. Vae his qui prudentes sunt aput se, et in conspectu suo sapientes. 23. Vae his qui iustificant impium propter munera, et quod iustum est iniuste auferunt. 26. Itaque tollet signum in nationes, in eas quae longe, et in eas quae prope sunt: et trahet eas ab extremo terrae, et ecce cito leviter venient. 27. Non esurient neque laborabunt, [non] dormitabunt neque dormient, neque solvent zonas suas a lumbis suis, neque rumpentur corrigiae calciamentorum eorum.

VI. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus sabaoth: pleni sunt caeli et omnis terra maiestate eius.

VII. 18. Et erit in illa die [sibilabit Dominus muscis quae] dominantur partes fluminis Aegypti, et apes (a) quae sunt in regione eorum.

X. 1. Vae scribentibus nequitiam. 2. Declinantes iudicium

in Cantic. ed. rom. pp. 71. 81. 84. 88. 216. prorsus fit exploratum, Aponium seculum esse vulgatum textum, non illum veteris italicae, qui in huius codicis fragmentis genuinus purusque est. (a) Ita cod.

inopum, et rapientes iudicium pauperum plebis meae, ita ut sit illis vidua in rapinam, et pupillus in depraedationem; et quid facient in die visitationis? 33. Et qui supersunt, contumelia conterentur, et humiliabuntur, 34. et cadent excelsi gladio.

XI. 1. Et exiet virga de radice Iesse, et flos de radice ascendet. 2. Et requiescet in eo spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiae et pietatis. 3. Replebit eum spiritus timoris Dei.

XIII. 6. Ululate; prope est enim dies Domini, et contritio a Deo veniet. 9. Ecce enim dies Domini sine refrigerio adveniet, indignationis et irae: ponere orbem terrae desertum, et peccatores perdere ex eo. 10. Nam stellae caeli, et lucifer, et omne ornamentum caeli, lumen non dabunt, et obscurabuntur, sole oriente, et lunae non permanebit lumen. 11. Et mandabo universo orbi mala, et impiis peccata eorum, et perdam contumeliam iniquorum, et contumeliam superborum humiliabo: erunt qui derelicti sunt pretiosi magis quam aurum, 12. et homo pretiosus magis quam lapis ex saphphir.

XIV. 12. Quomodo cecidit de caelo lucifer qui mane oriebatur?

XXIV. 23. Et effluent lateres, et cadet murus: quoniam regnavit Dominus in Sion et in Hierusalem.

XXV. 12. Altitudinem refugii parietis tui humiliabit, et discendit usque ad pavimentum.

XXVI. 5. Et civitates munitas deiciens, et deducens usque ad pavimentum. 6. Et conculcabunt eos pedes mansuetorum et humilium. 9. De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux praecepta tua sunt super terram.

XXIX. 4. Et a pavimento vox tua infirmabitur. 6. Visitatio enim erit cum commotione, et tonitruis, et terrae motu, cum voce maxima tempestas decidens, et flamma ignis consumens. 8. Sicut qui in somnis esuriunt, et manducant, et cum surrexerint vanum est somnium eorum; et quemadmodum somniat qui sitit tamquam bibat, et surgens adhuc sitiat, anima autem eius in vacuum laboravit; ita erunt divitiae omnium gentium. 9. Defecite (a), amentes estote, et crapulamini non a sicera neque a vino. 10. Quoniam potionavit vos Deus spiritum conpunctionis. 13. Populus hic labiis me diligit, cor autem eorum longe est a me: sine causa enim colunt me, docentes doctrinam mandata hominum. 14. Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. 20. Omnis autem deficiet iniquus, et

(a) Ita cod.

peribit superbus, et dispericrunt qui inique agunt in maestitia, 21. Et qui faciunt peccare homines in sermone.

XXX. 1. Vae fili (*a*) apostatae! Haec dicit Dominus: fecistis consilium [non] per me, et factum non per spiritum meum, adponendo peccata super peccata. 6. In tribulatione et angustia leo, et catulus leonis, inde et aspides, et progenies aspidum, qui ferebant in asinis et camellis (*b*) divitias ad gentes quae non prodeerunt (*c*) illis. 15. Sic dicit Dominus sanctus Istrahel: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fueris: cum confidebas in illis, vana virtus vestra facta est, et nolebatis audire. 22. Et abominabis simulacra inargentata et inaurata, minutata facies, et ventilabis tamquam aquam mulieris inmundae, et ut stercus auferes ea. 23. Tunc erit pluvia semini terrae tuae, et panis generationis terrae tuae, et erit in saturitate et pinguedine.

XXXII. 1. Ecce enim rex iustus regnavit, et ego suscitavi regem cum iustitia, et principem cum iudicio: 2. imperabit, et erit homo abscondens sermones suos, et abscondit se sicut ab aquae ictu (*d*): et apparebit in Sion sicut fluvius praeclarus in terra sitienti. 6. Stultus enim stulta loquetur, et cor eius vana intellegit: ut consummet iniqua, et loquatur ad Dominum errorem, ad dispargendas animas esurientes, sicut animas sitientes inanes faciat. 7. Consilium enim malorum iniqua cogitavit, disperdere humiles in sermonibus iniquis, et dissipare verba humilium in iudicio. 8. Nam pli iustitiam cogitaverunt, et hoc consilium manebit.

XXXIII. 2. Domine miserere nobis, in te enim confidimus: factum est semen nostrum in perditionem non credentium: salus autem nostra in tempore tribulationis, propter vocem timoris tui. 15. Qui ingreditur in aequitate, loquitur rectam viam. Qui odit iniquitatem et iniustitiam, et manus abstinet a muneribus, gravat aures ut non audiat iudicium sanguinis, cludit oculos ut non videat iniquitatem. 16. Hic habitabit in alta spelunca petrae firmae, fortis: (*e*) panis illi dabitur et aqua eius fidelis. 20. Tabernacula tua non conmovebuntur, neque fatigabuntur pali tabernaculi eius in aeternum tempus, neque funes eius disrumpentur; 21. quoniam nomen Domini magnum vobis (*f*).

XXXIV. 4. Et convolvetur caelum, ut liber, et omnia sidera eius cadebunt (*g*) ut folia de vite, et ut folia de ficu. 8. Dies enim

(*a*) Ita cod. pro *filii*. (*b*) Ita cod. (*c*) Cod. *prodeerit*. (*d*) Cod. *hictu*. Gr. ἀφ' ὕδατος φερομένου. (*e*) Ita interpungendum videtur. (*f*) Cod. fortasse *vocabis*. (*g*) Ita cod.

iudicii Domini et annus retributionis. 15. Illic occurrent cervi,
et videbunt faciem suam invicem. 16. In numero transierunt,
et una earum non periit: altera ad alteram non quaesibit (b. pro
v.), quoniam Dominus mandavit illis, et spiritus eius congregavit eas. 17. Et ipse mittit in eas sortem, et manus eius divisit
pasturam. In aeternum tempus hereditatem possidebitis, et in saecula saeculorum requiescetis in ea.

XXXV. 3. Convalescite manus dimissae, et genua dissoluta
consolamini. 4. Qui pusillo animo estis convalescite corde, ne
timeatis, convertimini, et salvi eritis. 6. Quoniam erupit in deserto aqua, et rivi in terra sitienti. 7. Et quae sine aqua est,
erit in paludes, et in sitienti terra erit fons aquae. 9. Nec erit
illic amplius leo, nec ulla bestiarum malarum.

XL. 6. Omnis caro foenum, et omnis gloria hominum ut flos
foeni aruit. 7. Foenum et flos decidit, 8. verbum autem Domini manet in aeternum.

XLI. 17. Et non derelinquam illos, 18. sed aperiam in montibus flumina, et in medio camporum fontes: faciam desertum in
stagna, et sitientem terram in flumina aquarum. 18. Quae sine
aqua est, erit in padule (*a*); et in sitienti terra erit fons aquae.
22. Adproprient, et adnuntient vobis quae ventura sunt, aut priora
quae fuerunt dicite, et intendemus mente, et cognoscemus quae
erunt novissima, et quae ventura sunt sitienti novissimo; 23. et
scimus quoniam dii estis. 23. Benefacite vel nocete, et mirabimur, et videbimus. 24. Etenim unde estis vos? et unde fabricatio
vestra? De terra abominationis eligerunt (*b*) vos. 28. Nam ex gentibus ecce nemo est, nec a simulacris eorum, qui nuntient. Et si
interrogavero unde estis, non respondebunt mihi. Sunt enim qui
vos faciunt, et qui vane seducunt vos.

XLII. 15. Ponam flumina in insulis, et stagna arefaciam.
16. Et adducam caecos in via, quam (*c*) ignorabant, et semitas quas
nesciebant faciam illos calcare: et faciam illis tenebras in lucem,
et quae prava sunt dirigam. Haec verba faciam, et non derelinquam illos. 17. Erubescite rubore qui confiditis in sculptilibus,
qui dicitis conflatilibus, vos estis dii nostri. 18. Surdi audite,
et caeci respicite, ut videatis. 19. Et qui caeci, nisi pueri mei?
et qui surdi, nisi qui dominantur eorum, et excaecati sunt servi Dei? 24. Quis dedit in rapinam Iacob et Istrahel depraedan-

(*a*) Ita cod. Manet autem id vocabulum in hodierna Etruscorum lingua, ut dixi in glossario. (*b*) Ita cod. (*c*) Cod *quia*.

XLIX. 13. Erumpant montes iucunditatem, quia misertus est Deus populo suo.

LI. 6. Quoniam caelum ut fumus solidatus est. 21. Ideo audi humilitate ebria, non a vino.

LIV. 14. Abstine te ab iniquitate, et non timebis ea : mors non adpropriat tibi.

LV. 6. Quaerite dominum, et mox inveneritis eum, invocate eum. Statim vero cum adpropinquaverit vobis, 7. relinquat impius vias suas, et vir iniquus consilia sua, et convertentur ad Dominum, et misericordiam consequantur, quia relinquet multum (*a*) peccata vestra. 12. Nam montes et colles exilient, expectantes vos in gaudio, et omnia ligna agri plaudent ramis.

LVI. 1. Haec dicit Dominus: custodite iudicium, facite iustitiam, adpropriavit eim salutare meum advenire, et misericordia mea revelari. 2. Beatus vir qui facit haec, et homo qui amplectitur ea, et custodit ne sabbata mea violet, et servat manus suas ne faciat iniqua. 10. Videte quoniam omnia excaecata sunt, non cognoverunt sapere, omnes canes muti qui non poterunt latrare, somniantes in cubile. 11. Et canes inprobi animi, nescientes satietatem; et sunt nequam, nescientes intellectum : omnes vias secuti sunt, unusquisque in id ipsum.

LVII. 14. Mundate a conspectu eius vias, et auferte offendicula de itinere populi mei. 21. Non est gaudere (*b*) impiis, dicit Dominus.

LVIII. 1. Exclama vehementer, et ne parcas; sicut tuba exalta vocem tuam, et nuntia populo meo peccata eorum. 2. Me de die in diem quaerunt, et cognoscere meas vias desiderant; tamquam populus qui iustitiam fecerit, et iudicium Dei non dereliquerit. Postulant a me nunc iudicium iustum, et adpropriare Deo concupiscunt. 3. Dicentes: quid quod ieiunavimus, et non vidisti? humiliavimus animas nostras, et non scisti? In diebus enim ieiuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestrae, et omnes subditos vobis conpungetis 4. An in iudicia et lites ieiunatis, et percutitis proximum inique? Et ut quid mihi ieiunatis, ut hodie audiatur in clamore vox vestra? 4. Non hoc ieiunium elegi, dicit Dominus, ut humiliet animam suam. Nec si flectas ut circulum cervicem tuam, et cilicium et cinerem substernas, nec sic vocabis ieiunium acceptum. 6. Non tale ieiunium ego elegi, dicit Dominus: sed solve omne vinculum iniquitatis, dissolve obligationes potentium conmutationum, dimitte

(*a*) Ex graeco ὅτι ἐπὶ πολὺ ἀφήσει. (*b*) Al. *gaudium*.

isti sacrificant in hortis, et incendunt super lateres daemoniis, quae nihil sunt. 4. Et in monumentis et speluncis dormiunt propter somnia. Qui edunt carnes suellas (*a*), et ius sacrificiorum. Inquinata sunt omnia vasa eorum. 24. Cum clamare coeperis, extraham te de pressura tua.

LXVI. 2. Et ad quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad humilem et quietum et trementem verba mea? 5. Audite verbum Domini, qui pavetis nomen eius: dicite, fratres nostri estis hiis qui vos oderunt, et abominantibus vos, ut nomen Domini magnificetur, et appareat ipsis in iucunditate eorum, et illi confundentur. 15. Ecce enim Dominus ut ignis veniet, et ut tempestas currus eius, reddere in ira vindictam, et interitum flammae ignis. 16. In igne enim Domini iudicabitur omnis terra, et in rhomphaea omnis caro. 24. Et exibunt sancti, et videbunt membra hominum qui praevaricati sunt in me: vermis enim eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: erunt in aspectu omni carni.

EX HIEREMIA.

Cap. I. 17. Et tu adcinge lumbos tuos, et exsurge, et dic omnia quaecumque mandavero tibi: nec timeas faciem eorum, nec formides in conspectu eorum.

II. 8. Et sacerdotes non dixerunt: ubi est Deus. Et cultores legis meae nescierunt me, et pastores impie egerunt in me. 12. Exhorruit caelum super haec vehementer, dicit Dominus. 13. Quoniam haec duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi lacus detritos qui non poterunt aquam continere. 18. Et nunc quid tibi est et viae Aegypti, ut bibas aquam Geon? Et ut quid tibi et viae Assyriorum, ut bibas aquas fluminum? 21. Ego te plantavi vitem universam fructiferam veram; quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienae? 30. Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non recepistis. 35. Et ego iudico adversus te in eo quod dicis non peccavi: 36. quia contempsisti nimis iterando vias tuas. Quia reppulit Deus spem tuam, et non proficies in ea.

III. 22. Convertimini, fili (*b*), revertentes et sanabo contritiones vestras.

IV. 3. Innovate vobis novitatem, et nolite serere in spinis. 4. Circumcidemini Deo vestro, et circumcidite praeputium cordis vestri, viri Iuda, et qui habitatis in Hierusalem, ne quando exeat

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod.

sicut ignis indignatio mea, et exardescat, et non erit qui extinguat a facie nequitiae cogitationum vestrarum. 8. Cingite vos ciliciis, et plangite, et ululate, quoniam non avertit ira Domini a vobis. 14. Ablue a malitia cor tuum, Hierusalem, ut salveris. Usquequo erunt in te cogitationes dolorum tuorum?

V. 8. Vae qui insanientes in feminas facti sunt! Unusquisque in uxorem proximi sui hinnibat. Numquid in his non visitabo, dicit Dominus? aut in natione tali non vindicabit anima mea? 25. Et peccata vestra amoverunt bona a vobis, quoniam inventae sunt in populo meo impietates. 30. Horrebilia (*a*) facta sunt super terram. 31. Prophetae prophetant inique, et sacerdotes plauserunt manibus suis, et populus meus dilexerunt eos. Quid facietis in futurum?

VI. 13. A sacerdote usque ad pseudo prophetam omnes fecerunt mendacium, 14. dicentes pax, pax. Et ubi est pax? 16. State in viis Domini, et videte, et interrogate semitas Domini aeternas, et videte quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis sanctificationem animabus vestris.

VII. 3. Avertatur iam nunc unusquisque a via sua mala, et meliora facite studia vestra. 8. Nolite confidere vobis in falsis sermonibus, quia in totum non prodeerunt vobis. 28. Haec dicit Dominus: haec gens quae non audivit vocem Domini, neque exciperunt (*b*) discipliuam: defecit fides de ore ipsorum.

VIII. 4. Haec dicit Dominus: numquid qui cadet non resurget? aut qui avertit se, non convertetur? 5. Quare convertit populus iste conversionem malignam, et tenuerunt praesumptionem suam, et noluerunt converti? 6. Praebete ergo aurem et audite: non est homo paenitentiam agens a malitia sua, dicens quid feci? Defecit qui currebat a cursu suo, sicut equus sudans in hinuitu (*c*) suo. Et asida in caelo cognovit tempus suum: turtur et hirundo (*d*), cui cellae agri, custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini sui. 8. Quomodo dicitis: sapientes sumus nos, et lex Domini nobiscum? In vanum facta est metatio (*e*) vestra. 9. Scribae confusi sunt, sapientes territi sunt, quia verbum Domini reprobaverunt, sapientia quae est in illis?

IX. 3. Mendacium et non fides invaluit super terram, quia a malis mala exierunt, et me non cognoverunt. 8. Ferrum vulnerans lingua eorum, dolosa verba oris eorum, proximo suo lo-

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. (*c*) Cod. *innitu*. (*d*) Cod. *erundo*. (*e*) Cod. fortasse *metatur*. Gr. σχοῖνος.

quuntur pacifica, et in semet ipsos habent inimicos. 9. Ergo non visitabo, dicit Dominus? Aut in populum talem non vindicabit anima mea? 10. Non audierunt vocem substantiae: a volatilibus caeli usque ad pecora mente exciderunt et perierunt. 23. Haec dicit Dominus: non glorietur sapiens in sua sapientia, et non glorietur fortis in sua fortitudine, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et intellegere quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam super terram. Quia in his est voluntas mea, dicit Dominus.

X. 2. Haec dicit Dominus: secundum vias gentium nolite ambulare, et a signis caeli nolite timere, timentes a conspectu facies eorum: 3. quia legitima gentium vana sunt, lignum de silva excisum, opus fabri, et conflatum, argento et auro exornata sunt, et malleis et clavis confirmant ea; 5. et non movebuntur, quia fixa sunt. 12. Dominus qui fecit terram in virtute sua, et in sua prudentia extendit caelum: 13. et multitudinem aquae in caelo, et eduxit nubes ab extremo terrae, et fulgura et coruscationes in pluviam fecit, et eduxit lumen de thensauris suis. 14. Et evanuit omnis homo ab scientia sua. 20. Tabernaculum tuum miserum factum est, periit, et omnes pelles eius ruptae sunt. 21. Quia pastores insipienter gesserunt, et Dominum non inquiviserunt; ideo non intellexerunt.

XI. 20. Domine iudicans iusta et provans (*a*) renes et corda.

XII. 10. Pastores multi exterminaverunt vineam meam, et contaminaverunt portionem meam, dederunt partem meam concupiscivilem (*b*) in desertum.

XIII. 16. Date domino Deo vestro gloriam ante quam obscuret, prius quam offendant pedes vestri in montibus tenebrosis.

XIV. 14. Et dixit ad me: falsa prophetae [prophetant] in nomine meo: non misi illos, et non mandavi illis, neque locutus sum ad eos; quia visiones falsas, et divinationes cordis sui ipsi prophetant vobis. 22. Numquid est in idolis gentium qui ploat (*c*)? Et si caelum dabit satietatem suam, nonne tu es ipse, et sustinebimus te Domine? quia tu fecisti haec omnia.

XVI. 19. Domine fortitudo mea, et adiutorium meum, et refugium meum in die malorum. Ad te gentes venient ab extremo terrae, et dicent, quam falsa possiderunt (*d*) fratres nostri idola! nec est in illis utilitas. 20. Si faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii.

XVII. 5. Maledictus homo qui spem habet in homine, et con-

(*a*) Ita cod. *v*. pro *b*. At infra *probans*. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita cod.

firmaverit carnem brachii sui, et a Deo recesserit cor eius. Qui confidunt in homine, maledicti sunt: quoniam Deus nihil (*a*) fecit illos. 10. Ego Dominus scrutans corda et probans renes, ut dem unicuique secundum vias eius, et secundum fructum studiorum eius. 13. Domine, omnes qui te derelinquunt confundantur: discedentes a terra evertantur, qui dereliquerunt fontem vitae Dominum.

XVIII. 11. Corrigite vias vestras et incogitationes vestras.

XXI. 12. Iudicate mane iudicium, et recte agite, et liberate direptum de manu laedentis eum, ut non succendatur ut ignis ira mea, et ardeat, nec erit qui extinguat.

XXII. 3. Et eripite direptum de manu iniuriantis eum, et advenam et pupillum et viduam nolite opprenere (*b*), et nolite impie agere, et sanguinem innocentem ne effunderitis (*c*) in loco isto. 13. O qui aedificat domum suam non cum iustitia, et superiora caenaculi eius non cum iudicio!

XXIII. 1. O mali pastores! Conrupistis oves meas, docentes eas secundum voluntates vestras, et quae vera sunt non docuistis eas. 2. Propterea haec dicit Dominus in pastores qui regunt populum meum: vos dispersistis oves meas, et expulistis eas, et non visitastis eas. Ecce ego vindico in vos, secundum mala studia vestra. 4. Et suscitabo illis pastores, qui pascant eas, et ultra non timebunt neque terrebuntur, dicit Dominus. 16. Nolite audire sermones prophetarum, quia vani sunt, et visiones cordis sui loquuntur, et non ab ore Domini. 17. Dicunt his qui repellunt verbum Domini: pax erit vobis. 22. Quoniam quis stabit in substantia mea? Et si audissent verba mea et docuissent populum meum, avertissem illos a pessimis adinventionibus (*d*) suis. 23. Deus adpropinquans ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longinquo. Quod si absconditus fuerit homo in abditis, ego eum non videbo? Nonne caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?

XXXI. 29. In diebus illis non dicent: patres manducaverunt, uvam acervam (*e*) et dentes filiorum obstipuerunt; 30. sed unusquisque in peccato suo morietur: et qui manducaverit uvam acervam (*f*), dentes eius stupebant.

XLVI. 8. Aqua Aegypti dixit: ascendam, et operiam terram.

XLVII. 2. Ecce aquae ascendunt ab aquilone in torrentem inundantem, et inundabunt terram et plenitudinem eius, civi-

(*a*) Ita est in apographo. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod. (*d*) Cod. vel apogr. *adventionibus*. (*e*) Ita cod. *v.* pro *b*. (*f*) Ita cod.

tatem et inhabitantes in ea. Et clamabunt universi et ululabunt et omnes qui habitant terram a voce impetus eius, ab armis, et a pedibus eius, et a commotione curruum eorum, et a sono rotarum eius.

L. 17. Ovis errans Istrahel, leones expulerunt eum: primus comedit eum rex Assyriorum, et novissimus ossa eius rex Babylonis.

LI. 38. Sicut leones exsurrexerunt, et sicut catuli leonum: in calore suo dabo illis poculum, et inebriabo eos ut soporentur, ut dormiant somnum aeternum, et non surgant, dicit Dominus.

Compertum est, Threnos atque Baruchum in antiquis codicibus haud seorsum, sed sub uno Hieremiae nomine, cum eoque copulatos, legi solere. Nos tamen sequentes versiculos necessario separavimus, ut cum hodiernis libris congruerent, atque adeo possent dignosci.

EX THRENIS.

Cap. III. 24. Sors mea Dominus, dixit: ideo sustinebo ipsum. 25. Bonus est Dominus sustinentibus eum. 26. Anima quae quaesierit eum, bonum est sustinere et sperare in salutare Dei. 27. Bonum est viro cum portaverit iugum grave in iuventute sua. 28. Sedebit singulariter et silebit, quia tulit super se iugum grave. 29. Dabit in fossa (*a*) os suum., si tamen est spes patienti. 30. Dabit percutienti maxillam suam, et satiabitur in obprobriis. 31. Quia non repellit me in aeternum Dominus. 32. Quia cum humiliaverit, miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae. 40. Perscrutemus vias nostras, et convertamur ad Dominum. 41. Mundemus corda nostra cum manibus nostris, et respiciamus ad Dominum qui habitat in caelis.

IV. 5. Qui manducant iucunditates, interierunt in excessu. Qui volutant super coccinea, amplexi sunt stercora.

V. 17. Ideo factum est in dolore cor nostrum, et propter hoc obscurati sunt oculi nostri 18. super montem Sión, quia exterminatus est: vulpes transierunt per eum.

EX BARUCH.

Cap. I. 15. Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostrae. 17. Quia peccavimus in conspectu Domini, et non credidimus ei, 18. et non audivimus vocem domini Dei nostri, ut ambularemus in praeceptis eius, quae dedit nobis.

II. 8. Et non sumus deprecati Dominum, ut averteremus

(*a*) Ita cod.

unusquisque a cogitationibus cordis sui nequissimi. 12. Peccavimus, impie gessimus, iniquitatem egimus, domine Deus noster, in omnibus iustificationibus tuis. 16. Inclina, Domine, aurem tuam, et audi. 17. Aperi, Domine, oculos tuos, et vide: quia non mortui qui in inferno sunt, quorum accepisti spiritum de visceribus eorum, dabunt gloriam et iustificationem Domino. 18. Sed anima anxia in statu quod (*a*) ambulat inclinatum et infirmum: et oculi deficientes et anima esuriens dabunt tibi gloriam et iustificationem, Domine.

III. 1. Domine omnipotens Deus Istrahel, anima in angustia et spiritus anxius clamat ad te. 2. Audi me, Domine, quia tu Deus misericors: et miserere, quia peccavimus in conspectu tuo. 3. Quia tu es Deus in aeternum. 18. Quid argentum thensaurizant et aurum, in quo confidebant homines, nec est finis substantiae eorum? 19. Exterminati sunt, et in infernum discenderunt, et alii in locum eorum resurrexerunt pro eis: viam autem Domini non intellexerunt, 20. neque recordati sunt semitas eius. 34. Stellae autem lumen dederunt in vigiliis suis, et laetatae sunt. 35. Vocabis eas, et dixerunt, adsumus, et fulserunt cum laetitia.

IV. 6. Sed quoniam inritastis Dominum, traditi estis adversariis. 7. Exacerbastis enim eum qui vos fecit, dominum aeternum, sacrificantes daemoniis et non Deo.

EX EZECHIELE.

II. 2. Et venit super me spiritus Dei, et adsumpsit me, et elevavit me, et statuit me super pedes meos, et audiebam eum loquentem ad me. Et ait ad me: 3. Fili hominis, veni, mittam te ego ad domum Istrahel, qui me exasperant secundum dispectationem patrum suorum usque in hodiernum diem. 6. Et tu fili hominis ne timueris eos, neque paveas a facie eorum: quia insanient et convenient adversum te in circuitu. Verba eorum ne timeas, et a facie eorum ne paveas, quia domus exasperans est.

III. 7. Domus Istrahel nolunt audire te, quia nolunt audire me, quia universa domus Istrahel contentiosi sunt, et duro corde. 8. Ecce dedi faciem tuam potentem adversus facies eorum, et constantiam tuam confortabo adversus contentiones eorum: 9. et erit fortior petra constantia tua: et ne timueris ab eis, neque terrearis a facie eorum, quia domus exasperans est. 17. Et tu fili hominis, speculatorem te dedi domui Istrahel: et audies ex

(*a*) Ita cod. seu certe apographum.

ore meo verbum. 18. Ut dicas peccatori, morte morieris. Et si non fueris locutus, ut caveat impius de via sua, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. 19. Tu vero si praedixeris impio viam ipsius, ut avertat se a via, et non averterit se a via sua, hic in impietate sua morietur, et tu animam tuam eripuisti.

VI. 2. Fili hominis confirma faciem tuam super montes Istrahel. 3. Audite verbum Domini.

VII. 19. Argentum et aurum proicietur in plateis, et aurum eorum disperdetur, animae eorum non fruentur, et ventres eorum non inplebuntur: quoniam tormentum iniquitatium eorum factum est. 20. Electa mundi in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum fecerunt ex eis.

XI. 5. Haec dicit Dominus: sic dixistis domus Istrahel, et cogitationes spiritus vestri novi ego. 24. Et adsumpsit me spiritus, et adduxit me in terram Chaldaeorum in captivitate, in visu spiritus Dei.

XIII. 3. Haec dicit Dominus: vae his qui prophetant de corde suo, et omnino non vident! 4. Sicut vulpes in deserto prophetae tui, Istrahel. 5. Non steterunt in firmamento, et congregabant regem super domum Istrahel. Non surrexerunt qui dicerent in die Domini. 9. Et extendam manum meam super prophetas, qui vident mendacia, et loquuntur vana: In disciplina populi mei non erunt, neque in scriptura domus Istrahel scribentur, et in terram Istrahel non intrabunt. 10. Eo quod populum meum seduxerunt: pax pax, et non erat pax. Et instituent parietem, et ipse unguet eum, si cadet. 11. Dic ad unguentes eum: et cadet, et erit pluvia inundans, et dabo lapides glebas petrarum in alligamenta eorum, et spiritum extollentem, et rumpetur. 12. Et ecce cecidit paries, et dicent vobis: ubi est unctio vestra, quam unxistis? 13. Propterea haec dicit Dominus: rumpam spiritum extollentem cum ira, et pluvia inundans in ira mea erit, et lapides petrarum, et glebas in iracundia mea superducam in consummatione. 14. Et effodiam parietem quem unxistis, et cadet, et ponam illum ad terram, et revelabuntur fundamenta eius, et corruit, et consumam iniquum in increpationibus, et cognoscetis quia ego sum Dominus. 15. Et consummabo iram meam super parietem, et super unguentes eum, et cadet. Et dixi ad vos: non est paries, neque qui unguunt illum, 16. sed prophetae Istrahel, qui prophetant in Hierusalem, et qui vident ei pacem, et non est pax, dicit Dominus. 18. Vae qui adsu-

unt cervicalia sub omnem cubitum manus, et faciunt velamina super omne caput universae aetatis ad subvertendas animas! 19. Et contaminabant me, et populum meum seducebant ad occidendas animas quas non oportebat mori, et ad liberandum animas quas non oportebat vivere; dum loquemini populo exaudienti eloquia vana. 22. Eo quod evertebatis cor iusti, et confirmabatis manus iniqui, ne omnino se averteret a via sua mala, et viveret.

XVII. 3. Aquila illa magna, magnarum alarum, longa extensione, plena ugnibus, quae habet ducatum intrandi in Libanum et accipere electa caedri. 4. Summa teneritudinis evolsit, et adtulit in terra (*a*) Chanaam, in civitate murata posuit ea. 15. Si dirigit, si liberabitur qui facit adversa, ita et qui praeterit testamentum salvus erit. 22. Et accipiam ego mihi de electis caedri, et de vertice cordis eorum evellam plantationem. 23. Et plantabo illud in monte alto Istrahel, et plantabo illud, et producet propaginem, et faciet fructum, et erit in caedrum magnam, et requiescet sub ea omnis avis, et omne volatile sub umbra eius requiescet, et propagines eius restituentur. 24. Et cognoscent omnia ligna campi quia ego sum Dominus, qui humilio lignum altum et exalto lignum humile, et arefacio lignum viride et revirescere (*b*) facio lignum aridum. Ego Dominus locutus sum ut faciam.

XVIII. 7. Egenum et panperem non depressit, rapinam non rapuit, et pignus restituit, et in simulacra non posuit oculos suos, et iniquitatem non fecit. 8. Et pecuniam suam non dedit ad usuram. 9. Iustus est, vita vivet Domino. 20. Anima autem, quae peccaverit, morietur. Filius vero non acceperit iustitiam patris, neque pater accipiet Iniustitiam fili (*c*): iustitia iusti super ipsum erit, et iniquitas iniqui super ipsum erit. 21. Et iniquus si convertat se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, et custodierit omnia mandata mea, et fecerit iustitiam et misericordiam, vita vivet, et non morietur. 22. Et omnia delicta (*d*) quaecumque fecit non erunt in memoria: in sua iustitia quam fecit vita vivet, dicit Dominus. 23. Numquid enim volo mortem iniqui, quam ut avertat se a via sua maligna, et vivat? 30. Convertimini et avertite vos ab omnibus impietatibus vestris, et non erunt vobis in poenam iniquitatis. 31. Proicite a vobis omnes impietates vestras, quas impie fecistis in me, et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et ut quid moriemini, domus Istrahel?

(*a*) Ita cod. (*b*) Al. *reviviscere*. (*c*) Ita cod. (*d*) Cod. *delecta*.

XX. 38. Et eligam ex vobis impios vestros et desertores, quoniam ex incolatu eorum educam illos: in terram Istrahel non intrabunt, et cognoscetis quia ego sum Dominus.

XXII. 25. Principes in medio eius sicut leones rugientes, rapere animas hominum, devorantes in potentia sua. 27. Principes eius in medio eius sicut lupi rapientes rapinas ad effundendum sanguinem, ut avaritia possideantur.

XXVIII. 12. Tu es signaculum similitudinis, et corona decoris. 13. Et in deliciis paradisi Dei fuisti. 14. Cum Cherubin posui te in monte sancto Dei. 16. Et peccasti, et vulneratus es a monte Domini. 17. Corrupta est doctrina tua cum decore. 18. Propter multitudinem peccatorum tuorum in terram te proieci: in conspectu regum dedi te in traductionem propter multitudinem peccatorum tuorum.

XXXVI. 8. Vestri autem montes, Istrahel, facient uvam et fructum vestrum, quod (*a*) vos manducabitis populus meus qui adpropriant venire. 35. Terra illa quae erat exterminata, facta est ut hortus deliciarum.

XXXVII. 1. Et facta est super me manus Domini, et duxit me in spiritu Dominus, et posuit me in medio campo, et hic plenus erat ossibus humanis. 2. Et circumduxit me per gyrum super faciem eorum, et ecce multa nimis super faciem campi arida nimis. 3. Et ait ad me: fili hominis, si vivent ossa ista? Et ego respondi: Domine, tu scis haec. 4. Et ait ad me: fili hominis, prophetare super ossa ista, et dices illis: ossa arida, audite verbum Domini. 5. Haec dicit Dominus ossibus istis: ecce ego inferam in vobis spiritum vitae. 6. Et dabo in vos nervos, et adducam super vos viscera, et extendam super vos cutem, et dabo spiritum meum in vobis, et vivetis, et scietis quia ego sum Dominus. 7. Et prophetavi sicuti mandavit mihi Dominus. Et factum est dum propheto ego, et ecce terrae motus magnus, et accedebant ossa unumquodque ad conpaginem suam. 8. Et vidi et ecce nascebantur super illa nervi, et carnes et cutis, et extendebatur; et spiritus non erat in eis. 9. Et ait ad me Dominus: prophetare in spiritu, prophetare, fili hominis, et dic, spiritus: haec dicit Dominus: a quattuor ventis caeli veni, spiritus, et insuffla in mortuos istos, et vivant. 10. Et prophetavi, sicut mandavit mihi, et intravit in eos spiritus vitae, et vixerunt, et steterunt super pedes suos, congregatio multa nimis. 11. Et locutus est Dominus ad me dicens: fili hominis, ossa haec, do-

(*a*) Ita cod. ut p. 50.

mus Istrahel est. Et ipsi dicunt: arida effecta sunt ossa nostra, interiit spes nostra. 12. Propterea prophetare et dic: haec dicit Dominus: ecce ego aperiam monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, ut inducam vos in terra (a) Istrahel. 13. Et scietis quoniam ego sum Dominus, cum aperiam sepulcra vestra, et educam de monumentis populum meum. 14. Et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et ponam vos in terram vestram, et scietis quoniam ego sum Dominus, et locutus sum, et faciam, dicit Dominus.

XLIII. 7. Et dixisti: Deus sum ego, habitationem Dei habitavi.

EX DANIELE.

III. 16. Et responderunt Sedrac, Misac, et Abdenago Nabucodonosor: non habemus causam de hoc sermone respondere tibi. 17. Est enim Deus in caelo, cui nos servimus, poteus ad liberandos nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis eripere et salvos facere. 18. Scire itaque debes, rex, quia diis tuis non servimus, et imaginem quam statuistis, non adoramus. 60. Bedicite aquae omnes super caelum Dominum (1).

IV. 17. Dixit Danihel ad Nabucodonosor: arborem quam vidisti confirmatam et magnificatam, cuius altitudo perveniebat usque ad caelum, et latitudo eius in universa terra, 18. et folia eius lata, et fructus eius multus, et cibus omnium in ea, et subtus habitabant bestiae terrae, et in ramis eius aves caeli, 19. tu es rex, quoniam magnificatus es, et potentiam accepisti, et magnitudo tua magnificata est, et pervenit usque ad caelum, et dominatio tua usque ad fines terrae.

V. 11. Est enim vir in regno tuo, in quo est spiritus sanctus Dei.

VIII. 4. Vidi arietem cornibus percutientem secundum mare, et aquilonem, et austrum: et omnes bestiae non stabunt in conspectu eius, et non erat qui eriperet de manu eius.

XII. 2. Et multi de monumentis exsurgent in opertionem terrae, et exsurgent in vitam aeternam, et hii in opprobrium et confusionem aeternam. 13. Et exsurges in sorte tua in fine dierum.

(a) Ita cod.

---

(1) Animadverte testimonium codicis et operis antiquissimi pro cantico trium puerorum. Idem canticum extat etiam in latino cavensi pervetere, quem nos in usum bibliothecae vaticanae describendum curavimus. Pro huius cantici authentia olim quoque disputavimus ad Polychronii commentarios in Danielem Script. vet. T. I. repet. ed. part. 3. p. 5.

XIII. 45. Et cum duceretur Susanna ad mortem, suscitavit Dominus spiritum puero iuniori, cui nomen erat Daniel.

EX OSEA.

Cap. I. 7 Filios autem Iuda miserebor, et salvabo eos domino Deo ipsorum.

II. 18. Et disponam illis in illa die testamentum cum besteis agri, et cum volatibus (*a*) caeli, et cum serpentibus terrae, (*b*) et orietur sicut gramen iudicium in incultum.

VII. 3. 4. Principes adulteria committentes omnes, sicut clibanus ardens ad coquendum conbustio flammae. 7. Absconderunt sacerdotes viam Domini, et ignis comedit iudices eorum, et non fuit in eis qui invocaret me. 13. Vae illis, quoniam exierunt a me! Manifesti sunt, quia peccaverunt in me, et non clamaverunt ad me cordibus suis.

IX. 4. Sacrificia eorum tamquam panis luctus: omnis qui manducant ea contaminabuntur.

X. 1. Vinia (*c*) in maceria bona Istrahel, fructus eius uberrimus secundum multitudinem fructuum suorum. 12. Seminate vobis iustitiam, et vindemiate fructum vitae: exquirite vobis lumen scientiae: sustinete Dominum, donec veniat vobis fructus iustitiae. 13. Ut quid dilexistis impietatem, et iniquitates eius vindemiastis?

XIV. 2. Revertere, Istrahel, ad dominum Deum tuum, quia infirmatus es per iniquitates tuas. 3. Sumite vobiscum multos (*d*), et convertimini ad dominum Deum vestrum. Dicite illi: potens es dimittere peccata, ut accipiatis. 6. Floriet ut lilium, et mittet radices suas sicut thus. 7. Extendentur rami illius, et erit velut oliva fructifera, et odor eius sicut thuris. 9. Et ego confirmabo eum sicut iuniperum maturiscens: ex me inventus est fructus tuus.

Pecuniam interitus possidebit, honores eorum ex usuris et ex doloribus (1).

Ego autem dominus Deus tuus, qui firmo caelum et creo terram, cuius manus creaverunt omnem militiam caeli, et non ostendi tibi ut ires post illa.

(*a*) Ita cod. vel certe apographum. Sic Matth. VI. 26. *volatia* pro *volatilia* (*b*) Ita sequitur in cod. (*c*) Ita cod. (*d*) Si sana lectio codicis vel apographi est, lectum fuit in graeco πολλοὺς pro λόγους.

(1) Hoc et sequens fragmentum citantur in codice ex Osea, sed neutrius sedem adhuc deprehendi. Secundum tamen fragmentum conferatur cum Isaia (cum quo confusus videtur fuisse Oseas) XLII. 5, vel XLV. 12.

II. 9. Et abstulit Amorrhaeum a facie eorum, cuius erat altitudo ut altitudo caedri, et fortitudo eius sicut ilex: et abstulit fructus eius a summo, et radices eius ab imo.

V. 8. Qui evocat aquam maris et effundit eam super faciem terrae, dominus Deus omnipotens nomen est illi. 10. Hodio (*a*) habuerunt arguentem in portis, et verbum aequissimum abominati sunt. 18. Vae qui concupiscunt diem Domini! Et ut quid vobis hunc diem Domini? et hic est dies *, tenebrae et non lux. 19. Quemadmodum si fugiat homo a facie leonis, et incedat (*b*) ei ursus, et insiliat in domum suam, et infulciat manus suas in parietem, et mordeat eum serpens. 20. Nonne tenebrae sunt dies, illa Domini et non lux, et nebula sine lumine?

* ita gr.

VI. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et deliciamini super thoros eorum: qui manducatis haedos de gregibus, et vitulos de armentis lactantes: 5. qui plaudetis (*c*) ad sonum organorum: sicut sempiterna aestimaverunt ea, et non quasi fugientia. 6. Unguuntur, et non dolebant nihil in interitum Ioseph. 8. Quia iurabit Dominus per semetipsum, quia ego abominor omnem superbiam Iacob, et regiones illius odivi.

VIII. 4. Audite igitur haec qui opprimitis in mane pauperes, et violatis inopes in terra, 5. dicentes: quando transiet mensis ut vendentes adquiramus? et sabbata, ut aperiamus thensauros, et faciamus mensuram minorem, et ut adampliemus pondus, et faciamus stateram iniquam? 6. ut possideamus pecunia pauperes, et inopes pro calciamentis, et ab omni negotio mercabimur. 7. Iuravit Dominus adversus superbiam Iacob: si obliviscetur omnia opera eius. 8. Et pro his conturbabitur terra, et lugebunt omnes qui habitant in ea. 11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et inmittam famem super terram, non famem panis nec sitim aquae, sed famem ad audiendum verbum Domini. 12. Et movebuntur aquae usque ad mare, et ab aquilone usque ad austrum, quaerentes verbum Domini, et non invenient.

EX MICHAEA.

III. 8. Domus Iacob inritavit qui obaudiat (*d*). Si non ego implevero virtutem spiritu meo sancto, et iudicio, et potestate; ut renuntiem huic Iacob iniquitates, et huic Istrahel peccata sua.

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. pro *incidat*. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita ibi connexio in cod.

9. Audite itaque haec divites (*a*) domus Iacob, et reliqui domus Istrahel, qui abominatis aequitatem et omnia recta vertentes: 10. qui aedificatis Sion in sanguinibus, et Hierusalem in iniquitatibus. 11. Duces eorum cum muneribus iudicabant, et sacerdotes eorum cum mercedibus respondebant dicentes: nonne Dominus est in nobis? Non venient super nos mala.

VI. 8. Adnuntiatum est tibi, homo, quid sit bonum. Aut quid quaerat a te aliud Dominus, nisi ut facias aequitatem, et diligas miserationem, et paratus sis ut eas cum domino Deo tuo?

VII. 4. Vae! ultiones enim tuae venerunt: nunc erunt probationes eorum. 5. Nolite fidere in amicis, neque speretis in ducibus. (*b*) Adpropinquate montibus aeternis.

EX IOHELE.

Cap. I. 5. Subrii estote qui ebrii estis a vino vestro: plorate et ululate omnes qui bibitis vinum in ebrietate, quia ablata est de ore vestro iucunditas et gaudium. 6. Ascendit super terram meam gens valida et innumerabilis: dentes eius sicut dentes leonis, et molares eius sicut catuli leonum. 7. Posuit vineam meam in exterminium, et ficus meos in confractionem; scrutans scrutinavit, et proiecit, et exaltavit vites suas. 13. Praecingemini (*d*) et plangite vos sacerdotes, lugite (*c*) deservientes altario: introite, dormite in ciliciis qui deservitis Deo: quia cessavit de domo Dei vestri sacrificium et elibatio. 14. Sanctificate ieiunium, praedicate deservitionem, convocate seniores et omnes inhabitantes terram in domum domini Dei nostri, et clamate ad Dominum vehementer: 15. vae mihi, vae mihi, vae mihi in diem Domini! quia prope est dies Domini.

II. 2. Dies tenebrarum et caliginis dies nubis et nebulae. 10. Ante conspectum eius turbabitur terra, et movebitur caelum, et sol et luna contenebrabuntur, et sidera decident nec dabunt lumen suum. 11. Et Dominus dabit vocem suam ante conspectum exercitus sui: quia multus est nimium exercitus illius, et quia valida sunt opera sermonum eius, et magnus est dies Domini, magnus et manifestus nimium, et quis erit sufficiens illi? 12. Et nunc sic dicit dominus Deus vester: convertimini ad me ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra, in ieiunio et fletu et in planctu. 13. Et disrumpite corda vestra, et non vestimenta vestra: et convertimini ad dominum Deum vestrum, quia miseri-

(*a*) Cod. vel apograph. *dires*. (*b*) Sequentia tria verba reapse citantur in codice ex Michaea. (*c*) Ita cod. (*d*) Ita cod.

cors et patiens est, et magnianimus (a), et multum misericors et patiens in malignitatibus. 28. Et erit post haec, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii et filiae eorum.

III. 18. Et erit in illa die destillabunt montes dulcedinem et colles fluent lactem. Et fons de domo exiet, et adaquavit * agmen.

* v. pro b.

EX NAUM.

Cap. I. 5. Montes conmoti sunt ab illo, et colles tremuerunt, et formidavit universa terra, et petrae confractae sunt ab ante eum. 14. Haec dicit Dominus: principes aquarum multarum, exterminabo sculptilia tua, et fusilia tua in sepulturam. 15. Quia ecce veloces pedes super montes evangelizantes et adnuntiantes pacem.

II. 1. Considera viam, tene lumbos, viriliter age in virtute nimis.

III. 16. Multiplicasti negotiatores tuos sicut stellas caeli.

EX ABBACUM.

Cap. I. 3. Ut quid mihi ostendisti labores et dolores, ut viderem miseriam et impietatem? Adversus me ortum est iudicium, et iudex accepit. 4. Propter hoc disiecta est lex, et non perducitur in fine iudicium: quia impius per potentiam deprimet iustum, ideoque exiet iudicium perversum.

II. 4. Iustus autem ex fide mea vivit. 5. Sibi placens autem, contemptor, et vir superbus, nihil proficiet. 9. O qui adquirit avaritiam malam domui suae! 10. Cogitasti confusionem domui tuae, peccavit anima tua. 16. Circumdedit te calix dexterae Domini, et convenit in iniuria super honorem tuum.

EX SOPHONIA.

I. 11. Disperierunt omnes qui exaltantur in argento et auro. 14. Vox diei Domini amara et dura constituta. 15. Dies ille, dies tribulationis et necessitatis, dies infelicitatis et exterminii, dies tenebrarum et tempestatis, 16. dies nubis et caliginis, dies tubae et clamoris super civitates firmas et super angulos excelsos. 17. Et effundam sanguinem eorum sicut fimum, et carnes eorum sicut stercora boum. 18. Et argentum et aurum eorum non poterit liberare eos in die irae Domini.

II. 1. Convenite et congregamini populus indisciplinatus. 2. Prius quam efficiamini sicut flos praeteriens, prius quam super

(a) Ita cod.

vos dies iracundiae Domini. 3. Quaerite Dominum omnes humiles terrae, aequitatem operamini, et iustitiam quaerite, et respondete ea, ut protegamini in die irae Domini.

III. 4. Sacerdotes eius contaminant sanctum, et reprobant legem.

EX AGGAEO.

Cap. I. 6. Seminastis multa, et intulistis minima, et exsufflavi ea. 9. Haec dicit Dominus: propter quod domus mea deserta est, vos autem satisagitis unusquisque in domum suam, 10. ideo cessabit caelum a rore, et terra subtrahet fructus suos. 11. Et inducam gladium super terram, et super frumentum, et super oleum, et super omnes labores manuum eorum.

EX ZACCHARIA.

Cap. II. 7. In Sion fugite qui commoramini filiam Babylonis. 8. Quia haec dicit Dominus omnipotens: post honorem misit me super gentes quae spoliaverunt vos: quia qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi ipsius. 9. Ecce ego iniciam manum meam super eos: et erunt in praedam his qui serviunt illis: et scient, quoniam Dominus omnipotens misit me.

III. 2. Et dixit Dominus ad diabulum: imperet in te Dominus qui elegit Hierusalem.

V. 1. Et conversus ad te, levavi oculos meos, et vidi falcem (*a*) volantem, 2. statu cubitorum (*b*) viginti, et latitudo cubitorum decem. 3. Et dixit mihi: hoc est maledictum, quod exiit ad maleficos qui sunt super faciem totius terrae; quia omnis fur et periurus ex ea usque ad mortem punietur. 4. Et proferam illam, dicit Dominus omnipotens; et introibit in domum furis, et in domum periurantis in nomine meo, et mandabo, et requiescet in media domo eius, et consummabit eam, et materiam eius, et lapidem eius.

VII. 7. Et verba quae misit Dominus omnipotens per spiritum suum in manibus prophetarum pristinorum. 9. Haec dicit Dominus omnipotens: iudicium iustum iudicate, et misericordiam et pietatem facite unusquisque ad fratrem suum, 10. Et viduam et orphanum et prosilytum (*c*) et pauperem per potentiam nolite opprimere, et malitiam unusquisque fratris sui ne rememoremini in cordibus vestris.

VIII. 17. Et iuramentum falsum nolite diligere; quia haec omnia odivi, dicit Dominus omnipotens.

(*a*) Sic etiam apud Sabaterium. (*b*) Cod. *gub*. Sed mox *cub*. (*c*) Ita cod.

* ita cod. X. 12. Et confirmabat * eos in domino Deo ipsorum, et in nomine eius gloriabuntur, dicit Dominus.

EX MALACHIA.

Cap. I. 6. Vos sacerdotes qui fallitis nomen meum. Et dixistis: in quo refellimus nomen tuum? 10. Non est mihi voluntas, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. 14. Maledictus homo qui potens erat, et erat in grege eius masculus, et votum eius super illum, et immolat inquinatum Domino.

III. 1. Et subito venit in templo suo Dominus, quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis. 8. Si subplantabit homo Dominum, quia vos subplantastis me. Et dixistis: in quo subplantabimus * te? Quia decimae meae, et primitiae vobiscum sunt. 9. Et dissimulantes vos dissimulastis, et vos me subplantastis. 10. Et intulistis vos pignera in thensauris vestris, et erit rapina in domibus vestris.

* b. pro v.

II. 17. Quia inritastis Dominum in verbis vestris. Et dixistis: in quo lnritabimus * eum? In eo quod dicatis: omnis qui facit malum, bonum est coram Domino, et ipsi in eis placuit. Et ubi est Deus iustitiae?

* b. pro v.

EX LIBRO I. MACHABAEORUM.

Cap. II. 49. Et adproximaverunt dies Matthatiae, dies moriendi, et dixit filiis suis: nunc consummata est superviae * pressura, et tempus eversionis et iracundiae et indignationis. 50. Nunc, fili, aemulamini legi, et date animas vestras propter sponsionem paternam. 51. Memores estote patrum vestrorum, quae fecerunt temporibus suis, relinquentes exemplum posteritatibus suis, et suscipite gloriam magnam et nomen sempiternale. 52. Abraham nonne in temptationibus inventus est fidelis, et reputatum est illi ad iustitiam? 53. Ioseph in tempore angustiae custodivit mandatum, et factus est dominus in Aegypto. 54. Phinees pater noster cum zelatus fuisset zelum, accepit sponsionem sacerdotii aeterni. 55. Iesus cum conplesset verbum, factus est iudex super Istrahel. 56. Caleb dum testimonium diceret in ecclesia, accepit hereditatem. 57. David in sua misericordia consecutus est sedem regni aeterni. 58. Helias cum zelatus fuisset zelum legis, elevatus est iu caelum. 59. Annanias, Azarias, et Misahel credentes, liberati sunt de flamma. 60. Danihel in simplicitate sua liberatus est de ore leonum. 61. Propter quod et

* v. pro b.

Vos considerantes per generationes generationum, quia omnes sperantes in Deum non infirmabuntur, 62. a verbis viri peccatoris nolite timere, quia gloria eius in stercore et vermibus erit. 63. Hodie extolletur, et cras non invenietur, quia revertetur ad pulverem suum, et cogitatio illius periet. 64. Et fili mei, confortamini, et praevalete in lege, quia ipsa glorificavit* vos. * *v.* pro *b.*

EX LIBRO II. MACHABAEORUM.

Cap. VII. 6. Dominus ergo qui fecit caelum et terram et mare, qui fecit hominem, et omnium inquirit actum, ipse spiritum et animam nobis iterum restituet cum misericordia. 9. Tu quidem, scelerate et impie, de praesenti vita nos perdes; rex autem mundi, qui regnat in aeternum, et regni eius finis non est, mortuos nos pro suis sanctis legibus, in aeternae vitae conversationem resuscitavit.* 14. Melius est eligere mori ab hominibus, et a Domino spem denuo futurae resurrectionis habere. Tibi autem, tyranne, resurrectio in vitam non erit. 28. Oro te ergo, respice caelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt, et videns scito quoniam ex nihilo haec creata sunt a domino Deo, qui et hominum genus fecit similiter, et ipse iudicabit orbem terrarum. 29. Noli ergo timere carnificem hunc, sed dignus talium fratrum, suscipe mortem, ut in gentis (*a*) misericordia cum fratribus te recipiam. * *v.* pro *b.*

ACTUS APOSTOLORUM.

Cap. I. 24. Tu, Domine, qui nosti corda hominum, ostende nobis quem eligeris (*b*) ex his duobus.

III. 19. Paenitentiam agite et convertimini, ut deleantur peccata vestra.

IV. 32. Multitudinis vero credentium erat cor et anima una: et nemo eorum quae possidebant, quicquam suum proprium esse dicebant, sed erant eis omnia communia. 34. Omnis autem qui credebant, habebant in unum omnia communia, et possessiones et quaecumque habebant vendebant, 35. et dividebant cottidie omnibus, prout unicuique opus erat.

VII. 51. Dura cervice et incircumcisi corde, vos semper Spiritui sancto restitistis. 55. Stephanus vero cum esset plenus Spiritu sancto, intendit in caelum, et vidit gloriam Dei, et Iesum stantem ad dexteram Dei. 56. Et dixit: ecce video caelos apertos, et filium hominis stantem ad dexteram Dei. 59. Et lapidabant

(*a*) Ita cod. nisi est mendum pro *ingenti*, vel pro *in illa*. (*b*) Ita cod.

Stephanum invocantem et dicentem, domine Iesu accipe spiritum meum. 60. Ponens autem genua exclamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas eis hoc peccatum.

VIII. 37. Et respondens spado ait: credo filium Dei esse Christum Iesum.

IX. 20. Et ingressus Paulus statim in synagoga Iudaeorum praedicabat eis cum confidentia dominum Iesum dicens, quoniam hic est Christus filius Dei vivi. *Item.* Quibus praedicabat Paulus dicens: hic est Iesus Christus filius Dei vivi, per quem iudicabitur omnis orbis terrarum. 36. In Ioppe autem erat quaedam vidua nomina Tabitha, quae interpretata dicitur Dorcas. Haec erat plena operibus bonis et eleemosynis et misericordiis multis quas faciebat. 37. Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur: quam cum lavissent, posuerunt eam in superiori caenaculo. 38. Cum antem prope esset Lydda ab Ioppe, audierunt discipuli quod Petrus esset ibi. Miserunt duos viros ad eum rogantes et dicentes, ne pigeat te venire usque ad nos. 39. Exsurgens autem Petrus venit cum eis: quem advenientem duxerunt in superiora caenaculi. Et circumsteterunt eum viduae flentes et ostendentes tunicas et cetera vestimenta, narrabant ei quanta faciebat cum esset cum illis Dorcas. 40. Eiectis autem omnibus foris, Petrus ponens ienua (*a*) oravit, et conversus ad corpus dixit: exsurge in nomine domini nostri Iesu Christi. At (*b*) illa mox aperuit oculos suos suos, et cum vidisset Petrum sedit. 41. Dansque ei manum erexit carne vivam. Et convocans sanctos et viduas adsignavit eam viventem. 42. Notum autem factum est hoc per universam Ioppen et crediderunt multi in Domino.

X. 19. Dixit autem mihi Spiritus sanctus: ecce viri quaerunt te. 20. Sed surgens discende, et vade cum eis, nihil dubitans quia ego misi eos. 36. Verbum enim suum misit filiis Istrahel, adnuntians pacem per Iesum Christum: hic est Dominus omnium.

XII. 14. Nuntiavit Petrum stare ad osteum. 15. Dixerunt: non, sed angelus eius est.

XIII. 2. Dixit Spiritus sanctus: segregate mihi Barnabam et Paulum in opus quo vocavi eos.

XIV. 15. Nos similiter et vos passibiles sumus homines, evangelizantes vobis Deum, ut ab his vanis convertamini ad Deum vivum, qui fecit caelum et terram, mare et omnia qnae in eis sunt. 16. Qui in praeteritis generationibus reliquid (*c*) omnes gen-

(*a*) Ita cod. (*b*) Cod. *ad*. (*c*) Ita cod.

tes ingredi itinera sua. 17. Et quidem non sine testimonio semet ipsum reliquid, bene faciens e caelo, dans vobis pluviam ac terram fructiferam, inplens cibo et laetitia corda vestra.

XV. 28. Placuit enim Spiritui sancto et nobis.

XVI. 6. Prohibiti sunt autem a sancto Spiritu loqui verbum Dei omnino in Asia.

XVII. 24. Deus qui fecit hunc mundum et omnia quae in eo sunt, hic cum sit caeli et terrae dominus, non inhabitat in manufactis templis. 29. Cum igitur simus genus Dei, non devemus * aestimare auro, vel argento, vel lapidi, sculpturae artis, et concupiscentiae hominis divinum esse simile. 30. Tempora igitur ignorantiae despiciens Deus, denuntiat nunc hominibus omnibus ubique agere paenitentiam. 31. Eo quod statuit diem iudicare orbem terrae in aequitate.

* v. pro b.

XVIII. 2. Paulus autem agnitus erat Aquilae, 3. eo quod essent unius gentis et unius artis, et mansit aput eos opus faciens; erant enim arte fabri.

XX. 28. Adtendite igitur vobis et universo gregi, in quo sanctus Spiritus conlocavit vos esse episcopos ad pascendam ecclesiam Iesu Christi. 33. Argentum et aurum aut vestimentum nullius vestrum concupivi. 34. Ipsi scitis, quia ad ea quae mihi necessaria erant in omni usu meo et eorum qui mecum sunt, manus istae praesto fuerunt. 35. Omnibus vobis demonstravi, quoniam sic laborantes oportet auxiliari infirmis, et memores esse verborum domini nostri Iesu, quia ipse dixit: beatius est magis dare quam accipere.

XXI. 11. Haec dicit Spiritus sanctus: virum, cuius zona est haec, sic alligabunt in Hierusalem Iudaei.

XXIII. 3. Percutiet te Deus, paries dealbate.

EX PRIMA AD TIMOTHEUM.

Cap. I. 3. Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter doceant, 4. neque intendant fabulis iudaicis et genealogiis infinitis, quae quaestionem praestant magis, quam aedificationem Dei quae est in fide. 5. Finis autem praecepti est caritas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. 6. A quibus quidam excidentes, conversi sunt in vaniloquium, 7. volentes esse se legis doctores, non intellegentes neque quae loquuntur, neque de quibus adfirmant.

II. 3. Hoc enim bonum et acceptum coram salvatore nostro

Deo, 4. qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. 5. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, 6. qui dedit se ipsum redemptionem pro omnibus. 8. Volo igitur viros orare omni in loco, levantes sanctas manus sine ira et disceptione. 9. Similiter et mulieres in habitu ordinato (a), cum verecundia et castitate, ornantes se non intortis criuibus aut auro aut margaritis aut veste pretiosa, 10. sed quod decet mulieres promittentes castitatem per opera bona. 11. Mulier in silentio discat in omni subiectione. 12. Docere autem mulieri non permitte, neque dominari in virum, sed esse in silentio. 13. Adam enim primus formatus est, deinde Eva. 14. Et Adam non est seductus, sed mulier seducta in praevaricationem fuit. 15. Salva autem erit per filiorum generationem, si maneat in fide et veritate et sanctificatione cum sobrietate.

III. 1. Humanus (b) sermo: si quis episcopatum cupit, bonum opus desiderat. 2. Oportet enim episcopum inreprehensibilem esse, unius uxoris virum, subrium, prudentem, ordinatum (c), hospitalem, docibilem, 3. non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum (d), non cupidum, 4. domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni castitate. 5. Si quis autem suae domui praeesse nescit, quomodo ecclesiae diligentiam habebit? 6. Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incedat (e) diabuli. 7. Oportet autem eum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in obprobrium incedat (f) et laqueum diabuli. 8. Diacones similiter castos et pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpis lucri adpetitores, non cupidos, 9. habentes sacramentum fidei in conscientia pura. 10. Et hii quoque probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. 12. Diacones sint unius uxoris viri, qui filiis bene praesunt et suis domesticis. 13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi adquirunt, et multam fiduciam in fide quae est in Christo Iesu.

V. 3. Viduas honora, quae vere viduae sunt. 4. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum suam domum pie tractare, et remunerare parentes: hoc enim acceptum est coram Deo. 5. Quae autem vere vidua est et desolata, sperat in Deum, et instat orationibus die ac nocte. 6. Quae autem in deliciis agit, vivens mortua est. 7. Et haec praecipe, ut inre-

(a) Ita cod. (b) Sic etiam apud Sabaterium. (c) Ita cod. (d) Cod. vel apograph, *litigosum*. (e) Ita cod. (f) Ita cod.

praehensibilis sint. 8. Si qua autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. 9. Vidua eligatur non minus annorum sexaginta, quae fuerit unius viri uxor, 10. in operibus bonis habens testimonium, si filios enutriit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. 11. Adulescentiores autem viduas devita. Cum enim in deliciis egeriut in Christo, nubere volunt, 12. habentes damnationem quia primam fidem inritam fecerunt. 17. Qui bene praesunt presbyteri duplici honore honorentur, maxime qui laborant in verbo et in doctrina.

VI. 1. Quicumque sub iugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos habeant, et nomen Domini et doctrina non blasphementur. 2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant quod fratres sunt, sed magis serviant quoniam fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Haec doce et exhortare. 3. Si quis aliter docet, et non adquiescet (*a*) sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae, 4. inflatus est autem nihil sciens, sed aegrotat circa quaestiones et verborum pugnas: ex quibus nascuntur invidiae contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, 5. conflictationes hominum mente corruptorum et a veritate destitutorum, existimantium quaestum esse culturam Dei. Discede ab eiusmodi. 7. Nihil intulimus in hunc mundum, verum quia nec auferre possumus. 8. Habentes autem victum et vestitum, his contenti sumus. 9. Nam qui volunt divites fieri, incedunt (*b*) in temptationem et laqueum diabuli et desideria multa, quae nihil prosunt et nocent, quae dimergunt hominem in interitum et perditionem. 10. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. 11. Tu autem homo Dei haec fuge. 17. Divitibus huius saeculi praecipe non superbe sapere, neque sperare in incertum divitiarum, sed in Deum vivum, qui praestat vobis omnia ad favendum in voluntate bonorum. 18. Bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent. 19. Thensaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut adpraehendant veram vitam. 20. O Timothee mandatum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, 21. quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod

Cap. I. 19. Sit vero omnis homo citatus audire, et tardus loqui, piger in iracundia. 20. Iracundia enim viri iustitiam Dei non operatur. 26. Si quis putat superstitiosum (1) se esse, non refrenans linguam suam, sed fallens cor suum, huius vana religio est. 27. Sanctitas autem pura et incontaminata haec est aput Deum patrem, visitare orphanos et viduas in angustia ipsorum, et inmaculatum se servare a mundo.

II. 13. Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam, quoniam misericordia praefertur iudicio. 14. Quid prodeest (*a*), fratres, si fidem quis dicat in semet ipso manere, opera autem non habeat? Numquid potest fides sola salvare eum? 15. Si frater aut soror nudi fuerint, et defuerit eis cottidianus cibus; 16. dicat autem eis aliquis vestrum: ite in pace, et calefacimini, et satiemini; et non det eis necessaria corporis, quid prodeest haec dixisse eis? 17. Sic et fides, quae non habet opera, mortua est circa se. 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est.

III. 1. Nolite multiloqui (*b*) esse, fratres mei, quia maius iudicium accipietis. 2 Multa enim omnes delinquimus. Si quis in verbo non delinquid (*c*), hic perfectus vir est, potest frenare totum corpus et dirigere. 3. Quare ergo equis frena in ora mittuntur, nisi in eo ut suadeantur (*d*) a nobis, et totum corpus circumducamus? 4. Ecce et naves quae tam inmensae sunt, sub ventis duris feruntur, et circumducuntur a parvissimo gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. 5. Sic et lingua pars membri est, sed et magniloqua. Et sicut parvus ignis magnam silvam incendit; 6. ita et lingua ignis est, et mundus iniquitatis per linguam constat in membris nostris, quae maculat totum corpus, et inflammat rotam geniturae, et inflammatur a genitura (*e*). 7. Omnis enim natura bestiarum et avium et serpentium et beluarum maritimarum domatur et subiecta est naturae humanae; 8. linguam autem hominum domare nemo potest, nec retinere a malo, quia plena est mortali veneno. 13. Quis

(*a*) Ita cod. (*b*) Videtur noster legisse in graeco πολυλαλοι pro πολλοί διδάσκαλοι. (*c*) Ita cod. (*d*) Ex graeco πείθεσθαι. (*e*) Noster legebat γενέσεως pro γεέννης.

(1) Satis constat *superstitiosum* interdum apud Latinos bono rectoque sensu dici pro *religioso*.

prudens et sciens vestrûm? Monstret de bona conversatione opera sua in mansuetudine et prudentia.

IV. 1. Unde bella, unde rixae in vobis? Nonne de voluntatibus (*a*) vestris, quae militant in membris vestris, et sunt vobis suavissima? 7. Humiliate vos Deo, et resistite diabulo, et [fugiet] a vobis. 8. Proximate Deo, et proximavit * [vobis.] 10. Humiliamini ante conspectum Domini, et exaltabit vos. 11. Fratres, nolite vos detrahere; qui enim vituperat fratrem suum et iudicat, legem vituperat et iudicat. Si legem iudicas, iam non factor legis sed iudex es. 12. Unus est enim legum dator et iudex, qui potest salvare et perdere. Tu autem quis es qui iudicas proximum?

* *v* pro *δ*.

V. 1. Agite nunc, divites, plangite vos, ululantes super miserias vestras quae superveniunt divitiis vestris. 2. Putruerunt et tiniaverunt vestes vestrae. 3. Aurum et argentum vestrum, quod reposuistis, in novissimis diebus aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et comedit carnes vestras sicut ignis. 5. Et vos deliciati estis super terram, et luxoriati (*b*) estis: cibastis (*c*) autem corda vestra in die occisionis.

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap. I. 13. Succincti lumbos mentis vestrae, subrii (*d*) perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam in revelatione Iesu Christi. 14. Quasi filii obauditionis, non conmiscentes vos illis prioribus ignorantiae vestrae desideriis, 15. sed secundum eum qui vos vocavit sanctum, et vos sancti in omni conversatione estote, 16. quia et ego sanctus sum. 22. Animas itaque vestras castificate ad obaudiendum fidei per spiritum.

II. 13. Subiecti estote omni humanae ordinationi propter Dominum sive regi tamquam praecellenti, 14. sive ducibus tamquam ab eo in hoc ipsum missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. 15. Quoniam sic est voluntas Dei, ut bene facientes, obmutescere faciatis istorum hominum ignorantiam. 16. Liberi, non ut velamen malitiae habentes libertatem, sed sicut servi Dei. 17. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum vero timete, regem autem honorificate. 18. Servi obaudite cum omni timore dominis nostris (*e*) non tantum bonis et modestis

(*a*) Graece ἡδονῶν *voluptatibus*. Ego autem in latinis priscis codicibus non semel vidi *voluntas* pro *voluptas*. (*b*) Ita cod. constanter. Immo etiam apud Virg. gram. (*c*) Cod. vel apograph. habet *creastis*. (*d*) Ita cod. (*e*) Ita cod. vel certe apograph.

sed etiam dyscolis. 19. Haec est enim gratia aput Deum, si propter conscientiam Dei sustineat quis iniuriam patiens iniuste. 20. Quae enim gloria est si peccantes cruciemini, et sufferatis? Sed si bene facientes et patientes iniuriam sustineatis, haec est gratia aput Deum.

III. 1. Mulieres subditae estote viris vestris, ex quibus siqui non credunt huic verbo, per mulierum suarum conversationem sine verbo lucrifiant, 2. considerantes vestram in timore castam conversationem: 3. quarum sit non extrinsecus capillorum inplicatus, aut auri circumpositio, aut habitus vestimentorum, aut ornamentorum; 4. sed ille absconsus cordis homo incorruptus mansueti et modesti spiritus, quod est magnificum in conspectu Dei. 5. Sic enim quondam sanctae mulieres, quae in Dominum sperabant, ornabant se subiectae fortiori vaso (a) viri: 6. sicut Sarra obsequebatur Abrahae dominum illum vocans suum: cuius estote filiae bene dicentes et bene facientes, nec timentes ullam perturbationem. 7. Viri similiter conmorantes secundum scientiam, tamquam infirmiori vaso muliebri, inpertientes honorem tamquam coheredi gratiae et vitae, ad hoc ne inpediantur orationes vestrae. 8. Quapropter omnes consentanei estote, unianimes, conpatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; 9. non reddentes malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, ut benedictionem hereditate possideatis. 15. Parati semper ad confessionem omni poscenti a vobis verbum de fide et spe, quae in vobis est, cum modestia et timore: 16. conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detractant vobis, confundantur videntes vestram bonam in Christo conversationem.

IV. 8. Ante omnia autem mutuam inter vos caritatem perpetuam habentes, quia caritas cooperuit multitudinem peccatorum. 9. Hospitalitatem invicem sine murmuratione exhibete.

V. 1. Seniores autem qui in vobis sunt obsecro ego testis Iesu Christi passionum; similiter maior natu et futurae declarationis laudis socius; 2. ut regatis plebem Domini; curae habentes non in avaritia, 3. neque in dominatione fratrum, sed voluntarie ex animo libenter et sine repraehensione, ut forma sitis ovibus, in operibus bonis, in omni conversatione quae secundum Deum est: 4. ut cum apparuerit princeps pastorum, rationem reddatis de ovibus, et percipiatis illam floridam et in-

(a) Ita apographum et, ut puto, codex. Reapse pluraliter habemus *vasorum*, et *vasis*.

marciscibilem gloriae coronam. 5. Similiter et iuniores subiecti estote senioribus. Omnes autem quietem et humilitatem animi induite, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 6. Humiliate ergo vos sub potente dextera Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis suae; 7. omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de omnibus (*a*).

EX EPISTOLA II. PETRI.

Cap. I. 2. Gratia vobis et pax adimpleatur in recognitionem domini nostri Iesu Christi, 3. qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quae ad vitam et pietatem pertinent, donavit per agnitionem eius qui nos vocavit sua inlustri virtute: 4. per quam honorifica et maxima nobis promissa donantur: ut per haec sitis divinae consortes naturae, post evasionem quae est in mundo in cupiditatem perditae vitae. 5. Sed et vos properate omnes subferentes in fide virtutem, in virtute scientiam, 6. in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, 7. in pietate amicam fraternitatem, in affectione fraternitatis caritatem. 8. Haec vobiscum sint et superent, ut non vacui non sine fructibus inveniamini in domini nostri Iesu Christi recognitione. 9. Cui autem non praesto sunt haec, caecitatem, vanitatem, et oblivionem accipiet, si non purgetur priorum delictorum contagione.

II. 11. Nam si angeli fortitudine et virtute cum sint maiores, non portant Domini exsecrabile iudicium, 12. hii vero qui velut pecora naturaliter in luem et perniciem nati, et ipsi quae ignorant exsecrantur, in periculo suo perient, 13. recipientes mercedem iniustitiae, dulcedinem aestimantes malignitatem, deliciis coinquinati et infamati in summis voluptatibus, conviviis adtenti, 14. oculos habentes adulteros et incessabiles delictis, refigurantes spiritu stabilitos et cor exercitum. Cupidi, et maledicti fili (*b*) abrelicti, 15. qui a via veritatis exerraverunt. 21. Melius enim erat illis non cognovisse viam veritatis, quam post notionem iustitiae apostatare a divino sibi tradito mandato. 22. Contigit illis res vulgaris: sicut canis revertens ad vomitum suum, et ut sues lota quae in volutatione sua coinquinata est.

III. 9. Non tardat Dominus suum promissum, sicut quidam tarditatem (*c*) existimant; sed expectat propter vos, nolens aliquem perdere, sed omnes expectat in paenitentiae locum reverti.

(*a*) Gr. ὑμῶν, *vobis*. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita legebat locum Fulgentius, ut docet Sabaterius.

10. Adveniet autem dies Domini sicut fur (a), in qua caeli magno impetu trascurrent, et elementa ignis calore solventur, et terra, et ea quae in ipsa opera omnia. 11. Eorum omnium pereuntium qualia debent edere exsecrabilibus escis et impietatibus, non expectantes praesentiam diei Domini, per quem caeli ardentes solventur (1).

EX EPISTOLA I. IOHANNIS.

Cap. I. 2. Adnuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud patrem, et manifesta est nobis. 3. Ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit aput Patrem cum filio eius Iesu Christo. 8. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et iustus est, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.

II. 9. Qui dicit, se in lumine esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. 10. Qui autem diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum non est in eo. 21. Omne mendacium non est veritas. 23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui autem confitetur Filium, et Filium et Patrem habet.

III. 7. Filioli, nemo vos seducat. Qui fecit iustitiam, iustus est, sicut et ille iustus est. 8. Qui fecit peccatum, a diabulo est, quia ab initio [diabulus (2) peccat. In hoc manifestatus est filius Dei ut solvat opera] diabuli. 9. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia semen eius in ipso manet; et non potest peccare, quia de Deo natus est. 10. Hinc apparent fili Dei, et fili diabuli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum. 16. Quia ex hoc cognoscimus caritatem ipsius, quoniam ille pro nobis animam suam posuit. Et nos debemus pro fratribus nostris animas nostras ponere. 17. Quicumque autem habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum egere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei

(a) Deest *in nocte*.

(1) Ita legitur in cod. oratione continua, sed locus fortasse perturbatus est aut transpositus: nam ne graecus quidem textus huic respondet.

(2) Ita codex, omissis prioribus verbis, quia amanuensis a vocabulo *diabulus* transilivit incaute ad *diabuli*, deceptus ὁμοιοτελεύτῳ; quod sollemnissimum librariorum vitium causam veriorem existimare decet omissi pariter in codicibus plerisque graecis, et aliquoties etiam in latinis, versiculi in hoc capitulo celeberrimi, de quo mox dicemus.

manet in illo? 18. Filioli, non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate.

IV. 1. Karissimi, nolite credere omni spiritui, sed provate * spiritus, si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in hunc mundum. 9. Ex hoc manifestata est caritas Domini in vobis, quod filium suum unigenitum misit in hunc mundum, ut vivamus per ipsum. 15. Omnis qui credit quia Iesus Christus ex Deo natus, Deus in ipso est, et ipse in Deo. 18. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem; quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate.

* v pro b.

V. 1. Et omnis qui diligit genitorem, diligit eum qui ex Deo natus est. 6. Spiritus est qui testimonium reddit, quia spiritus est veritas. 7. Quoniam tres sunt qui testimonium dicunt in terra, spiritus, aqua, et sanguis; et hii tres unum sunt in Christo Iesu. 8. Et tres sunt qui testimonium dicunt in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus; et hii tres unum sunt (1). 10. Qui credet in filio Dei, habet testimonium eius in semet ipso. Qui autem non credet in Iesu Christo, mendacem facit Deum, quia non credit testimonio quod testificatus est de filio suo. 20. Et scimus quia filius Dei venit, et carnem induit nostri causa, et passus est, et resurrexit a mortuis: adsumpsit nos, et dedit nobis sensum ut cognosceremus eum qui verus est; et simus in Verbo filio eius Iesu Christo. Hic est verus (a), et vita aeterna, et resurrectio nostra. 21. Filioli custodite vos a simulacris.

EX EPISTOLA II. IOHANNIS.

Vers. 7. Quoniam multi fallaces (b) prodierunt in hunc mundum, qui non confitentur Iesum Christum dominum nostrum

(a) Confer Sabaterium, apud quem pleraeque auctoritates addunt *Deus*.
(b) Cod *fallacis*.

(1) Testimonium hoc famosum bis exhibet codex, videlicet in operis capitulo secundo, quod est *de distinctione personarum Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; et rursus in tertio capitulo, quod est *de Spiritu sancto*. Secundo tamen loco nonnisi versiculus ille est, ubi tres personae nominantur. Vides igitur confirmari in antiquissimo opere saeculi quinti, quod servatur in codice saeculi circiter sexti, vel certe septimi, catholicam huius loci veritatem. Vides etiam inversum versiculorum ordinem, quae ceteroqui nullius momenti res est; et quidem praeposterus idem ordo in multis aliis latinis codicibus observatur, teste Sabaterio. Idem testimonium recitatur in pervetusto quoque cavensi codice, quem retro nominavimus. Porro de horum codicum praeclaro

in carne venisse. Hii fallaces et antechristi sunt. 10. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, et have (a) ne dixeritis ei. 11. Qui enim dicit illi have, communicat operibus eius malignis. * Ecce praedixi vobis, ne in diem (b) Domini condemnemini * (1).

EX EPISTOLA IUDAE.

Cap. V. 6. Angelos quoque qui non servaverunt ordinem suum, sed reliquerunt habitaculum suum, in iudicium magni Dei (c) vinculis eos sanctorum (d) angelorum sub tenebras reservabit. 7. Sodoma (e) autem quoque et Gomorra, et quae circa eas civitates, cum adulterium fecissent, et carnem secutae essent, cinis factae, propositae sunt in exemplo, ignis aeterni poenas sustinentes. 12. Nubes sine aqua, vento circumferendae.

EX APOCALYPSI.

Cap. II. 1. Et angelo Ephesi ecclesiae scribe. 23. Et scient omnes ecclesiae quia ego sum qui scruto renes et corda.

III. 14. Et angelo Laodicieae ecclesiae scribe: haec dicit ille: amen, testis fidelis et verax, principium creaturae Dei. 15. Novi opera tua, quia [neque (f) frigidus] neque calidus es. Utinam frigidus esses aut calidus! 16. Sed quoniam tepidus, evomam te ex ore meo. 17. Quia dicis: dives sum, et locupletatus sum, et nihil opus est mihi; et nescis quia tu es miser et miserabilis et mendicus et nudus et caecus. 18. Suadeo tibi a me emere aurum igne probatum, ut dives sis et locupleteris; et vestimenta mea alba, ut induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae. Et collubrio (g) inungue oculos tuos, ut videas. 19. Ego quos-

(a) Cod. heic, et mox *habe*. Adspirationem quidem videsis etiam in epistolis M. Aurelii ed. rom. p. 20. 21. (b) Dic *die* gr. (c) Ita est etiam apud Sabaterium. Sed mendum prorsus videtur pro *dici;* nam in graeco est ἡμέρας. Confer tamen var. lect. Ioh. ev. VII. 37. (d) Ita legebat etiam Lucifer calarit. apud Sabaterium et Millium nempe ex graeco ἁγίων. Sed melius Clemens alex. ἀγρίων *saevorum*. (e) Cod. *Sodomam;* et mox *Gomorram*. (f) Rursus fit saltus ob ὁμοιοτέλευτον. (g) Gr. κολλούριον.

testimonio perdocte ante hos annos disseruit ill. ac rev. episcopus Nicolaus Visemannus anglus, quem inter egregios catholicae fidei defensores iure meritoque numeramus.

(1) Clausula haec quae deest in vulgato, confirmatur ab aliquot latinis codd. apud Millium in scholiis, et diserte ibidem a gr. ἰδοὺ προεῖπον ὑμῖν, ἵνα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου μὴ αἰσχυνθῆτε.

cumque amo, arguo et castigo. Aemulare igitur et age paenitentiam. 20. Ecce sto ad ianuam et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit ianuam, introibo ad illum, et caenabo cum illo, et ille mecum. 21. Qui vincit, dabo illi sedere mecum in sede mea, quomodo et ego vici, et sedi (*a*) cum patre meo in sede ipsius.

XIV. 8. Cecidit, cecidit Babylon magna. De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes. 9. Si quis adorat bestiam et imaginem eius, et accipit (*b*) character (*c*) in fronte sua aut in manu sua dextra (*d*), 10. et hic bibet de indignatione Dei, quae mixta est mera in calice irae eius, et cruciabitur in igne et sulphore (*e*) in conspectu angelorum et agni. 11. Et fumus et cruciatus eorum in saecula saeculorum ascendit. Et non habent requiem die ac nocte qui adorant bestiam et imaginem eius, et qui accepit character nominis illius. 13. Et audivi vocem de caelo dicentem mihi: scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo etiam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim eorum sequuntur eos.

XVII. 15. Aquae quas vidisti ubi meretrix sedet, populi et turbae et gentes et linguae sunt (*f*).

XVIII. 4. Et audivi aliam vocem de caelo dicentem: exite de ea populus meus, et ne conmunicetis peccatis eius, et de plagis eius ne accipiatis 5. Quia adpropinquaverunt peccata eius usque ad caelum, et memoratus est Deus iniquitates eius. 6. Reddite ei sicut et ipsa reddidit, et duplicate duplicia secundum opera eius. In calice quo miscuit vobis, miscite (*g*) ei duplum. 7. Et quantum magnificavit se, et luxoriata (*h*) est, tantum date ei tormentum et luctum. Quia in corde suo dicit, sedeo regina, et luctum meum non videbo. 8. Propterea una hora veniet plaga eius, mors et famis et luctus, et igne cremabitur. Quoniam fortis est dominus Deus qui iudicat eam.

XX. 12. Et vidi mortuos pusillos et magnos stantes in conspectu sedis. Et libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitae. Et iudicati sunt mortui secundum ea quae scripta sunt in libris, et secundum opera sua. 13. Et dedit mare mortuos qui fuerunt in ipso, et mors et infernus dederunt [mortuos qui fuerunt] in ipsis. Et iudicati sunt singuli secundum facta sua.

(*a*) Schedae *sede*. Ergo *sedeo* vel *sedi*, quae lectio utraque est in scholiis apud Sabat. (*b*) Al. *accepit*. (*c*) In codice ter vidi *character* accusativo casu, id est neutro genere, pro *characterem*. (*d*) In al deest *dextra*. (*e*) Cod. *sulfore*. (*f*) Confer Esdrae locum retro scriptum p. 20. (*g*) Ita cod. (*h*) Ita cod.

XXI. 8. Dubiis autem et infidelibus et abominandis et homicidis et adulteris et maleficis et idolis servientibus et mendacibus, pars illorum in stagno ignis ardentis et sulphore (*a*), quod est mors secunda.

XXII. 15. Foras canes, et malefici, et adulteri, et idolis servientes. 18. Testor ego omni audienti verba prophetiae libri huius. Si quis adiecerit supra haec, inponet Deus super eum plagas quae scriptae sunt in hoc libro. 19. Et si quis abstulerit verba prophetiae libri huius, auferet Deus partem eius de ligno (*b*) vitae, de civitate sancta.

EX EPISTOLA AD LAODICENSES.

Vers. 4. Neque destituat vos quorumdam vaneloquentia (*c*) insinuantium, ut vos avertant a veritate evangelii quod a me praedicatur.

Laudatur hic locus in operis capitulo quinquagesimo, quod est de pseudo-prophetis et haereticis vitandis. *Porro legendus est I. A. Fabricius cod. apocryph. N. T. vol. II. p. 853. seqq. qui de hac epistola diligenter disserit. Nunc demum ex antiquissimo et opere et codice novum ei accedit vetustatis suae testimonium. Quia vero in alio quodam vaticano codice saec. circiter XIV tota haec epistola mihi deprehensa est, et quidem non semel differens a Fabricii editione, eam heic adscribere pretium operae existimo.*

EPISTOLA AD LAODICENSES

Vers. 1. Paulus non ab hominibus nec per hominem, sed per Iesum Christum, fratribus qui sunt Laodiciae. 2. Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et domino Iesu Christo. 3. Gratias ago Christo per omnem orationem meam (*d*) quod permanentes estis in eo et perseverantes, et promissum expectantes in die iudicii. 4. Neque destituit vos quorundam vaniloquentia insinuantium se ut vos evertant (*e*) a veritate evangelii quod a me praedicatur. 5. Et nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me perveniant ad profectum veritatis evangelii, deservientes et facientes benignitatem operum salutis vitae aeternae. 6. Et nunc palam sunt vincula mea quae patior in Christo, in quibus laetor et gaudeo. Et hoc enim est ad salutem perpetuam, quod ipsum factum (*f*) orationibus vestris est administrante Spiritu sancto. 8. Sive per vitam sive per mortem. Est enim vere vita in Christo, et mori gaudium. 9. Et ipsum in vobis faciet misericordia sua, ut eandem dilectionem habeatis, et sitis unanimes.

(*a*) Cod. *sulfore*. (*b*) *Libro* legitur in graeco textu et lat. vulg. Ceterum *ligno* habet etiam anonymus quidam interpres apud Sabaterium. (*c*) Ita cod. (*d*) Cod. mendose *memoriam* pro *meam*. (*e*) *Evertant* pro *avertant*, quod et alibi vidimus. (*f*) Cod. *fletum*.

10. Ergo, dilectissimi, ut audistis praesentiam meam *, ita retinete et facite cum timore Dei, et erit vobis vita in aeternum. 11. Est enim Deus qui operatur in vobis. 12. Et facite sine retractu quodcumque facitis. Et quod est * dilectissimi, gaudete in Christo, et praecavete sordidos in lucro homines. 14. Sint petitiones vestrae palam apud Deum, et estote firmi in sensu Christi. 15. Et quae integra et vera et pudica et iusta et amabilia sunt, facite. 16. Et quae audistis et accepistis, in corde retinete, et erit vobis pax. Salutant vos sancti. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro.

* cod. mihi.

* ita cod.

Edidimus veteris testamenti, ex italica vetere, quotquot in vetustissimo et opere et codice partes fuerunt; exceptis, de quibus mox loquemur, psalmorum, sapientiae, et ecclesiastici, segmentis; nec non prophetarum Abdiae ac Ionae, quorum amborum nulla fit in codice mentio. Et psalmorum quidem permultae erant in opere partes, quas edendas non iudicavimus, propterea quod cum vulgato textu collatas, consonas passim comperimus. Notum quippe est, retentam fuisse in nostris bibliis translationem psalterii veterem ex graeca derivatam, prae illa S. Hieronymi ex hebraico, quam utpote, verbis praesertim, satis dissonam, quotidiano usui ecclesia non adhibet, ne christianorum auribus lectioni veteri adsuetis molestiam creet. Quia tamen complures varietates, ut in codicibus priscis usuvenit, non deerant, has nos, quotquot saltem alicuius momenti erant, in sequentibus plagulis describemus. Librorum item sapientiae, et praesertim ecclesiastici, leguntur plurimae in codice partes: attamen est exploratum, libros hos, qui in hebraico sermone non habentur, abs Hieronymo nova interpretatione haud fuisse donatos: ideoque in vulgatis bibliis nonnisi textum illum necessario contineri, qui ex graeco deductus olim fuit, neque postea ab ullo vel critico vel interprete magnopere immutatus. Igitur horum quoque segmentorum nonnisi varias lectiones, quae sacrae criticae magis erant profuturae, imprimere visum est.

Ad novum testamentum quod attinet, notum aeque est, nullam fuisse novam a S. Hieronymo curatam ex graeco interpretationem, sed tantummodo correctionem (Sedul. in Spicil. T. IX. p. 29. seq.): itaque vetustam illam mansisse, non sine tamen verborum plurimis, ob exemplarium et interpretum multitudinem, varietatibus: quae ceteroqui tanti ponderis visae non sunt, ut universum fragmentorum textum imprimi necesse esset. Quam ob rem utiliores tantum varias lectiones ex his delegimus; ita tamen ut librorum aliquot, sive epistolarum, fragmenta lectoribus omnia exhibuerimus, tum speciminis ergo, tum quia nobilitate fortasse lectionum praecellebant; nempe ex actibus apostolorum, ex Pauli prima ad Timotheum, ex epistolis catholicis, et ex apocalypsi. Ceteroqui neque ex Marci evangelio, neque ex Pauli epistola ad Hebraeos, neque ex illa ad Philemonem, neque ex tertia Iohannis, particulae ullae in codice repertae sunt.

EX ITALICA VETERE

VARIAE LECTIONES.



EX PSALMIS.

Psalm. I. 2. Sed in lege Domini fuit voluntas eius.

II. 12. Continete disciplinam . . et pereatis a via recta.

VII. 13. Nisi convertamini.

X. 7. Pluet super peccatores laqueos, ignem, sulfor.

XIV. 4. . . non decepit eum. 5. qui pecuniam suam non dedit usuram.

XVII. 5. 6. . . gemitus mortis . . dolores invenerunt me, praevenerunt me. 17. 18. de multitudine aquarum . . eruit me de inimicis potentibus. 34. . . tanquam cervi, et super excelsa statuit me.

XIX. 8. In nomine Dei nostri magnificabimur.

XXIV. 4. Notas fac *pro* demonstra. 8. dulcis et mansuetus Dominus, propter hoc legem statuit. . . 9. diriget mites in iudicio, docebit mansuetos vias suas

XXV. 4. Non sedi in concilio vanitatis. 5. odivi congregationem malignantium. 6. et circumibo altare tuum, Domine.

XXVIII. 9. Vox Domini praeparantis caedros, et revelabit condensa.

XXX. 24. Et retribuet his qui habundanter facient superbiam.

XXXI. 5. Et iniustitiam meam (non) operui, dixi pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino meo, et tu remisisti impietatem cordis mei.

XXXII. 18. Super timentes eum qui sperant in misericordia eius. 20. anima autem nostra patiens est in Domino.

XXXIII. 5. Inquisibi * Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus angustiis meis eripuit me. 6. et vultus vestri non crubescent. 13. et seq. cupit videre dies bonos? 14. cohibe linguam tuam. 15. declina a malo . . sequere eam.

* b pro v.

XXXV. 9. Inebriabuntur ab uberibus domus tuae, et torrentem voluntatis tuae potum dabis eis.

XXXVI. 1. Noli aemulari inter malignantes, neque aemulatus fueris facientes iniquitatem. 2. et sicut holera herbarum cito cadent. 24. cum ceciderit iustus non conturbabitur, quoniam Dominus firmamentum eius est.

XXXVIII. 7. Quamquam in imaginem Dei ambulet homo, tamen vane conturbabitur.

XLIII. 6. Ventilavimus, *omisso* cornu. 8. salvasti enim nos, Deus, ex affligentibus nos. 22. novit occulta cordis.

XLIV. 7. Virga recta est, virga regni tui.

XLV. 3. Conturbabitur. . . 4. sonaverunt.

XLVIII. 18. Cum eo gloria domus eius.

XLIX. 14. 15. Inmola Deo tuo . . eripiam te, et glorificabis me. 20. detrahebas *pro* loquebaris. 21. aestimasti iniquitatem quod ero tibi similis, arguam et statuam illa contra faciem tuam. 23. illic est iter quod ostendam illi salutarem meum.

L. 19. Et humiliatum Deus non spernit.

LVIII. 15. 16. . . ad vesperum . . circumibunt . . dispargentur.

LXI. 4. 5. Quousque irruetis in hominis interficientes universos tanquam parieti inclinato et maceriae inpulsae? . . honorem meum. 11. et in rapinas nolite concupiscere: divitiae si fluant, nolite corda ponere.

LXIV. 13. 14. Pinguescent fines deserti . . et hymnum dicent.

LXV. 12. Induxisti nos in refrigerium.

LXXII. 6. Propterea obtinuit eos superbia eorum. 7. prodivit etc. 28. ut enarrem omnia promissa tua.

LXXIII. 18. Quia inimicus exprobravit Domino, et populus insipiens exacerbavit nomen tuum. . . 19. ne tradas besteis animas pauperum tuorum.

LXXIX. 10. Viam fecisti in conspectu eius, et plantasti radices eius et replesti eam. 12. extendisti palmites eius . . ad flumina. 13. . . et vindemiant eam qui transeunt viam. 15. . . converte nunc. 16. dirige eam.

LXXX. 9. Audi populus meus et loquar, Istrahel et testificabor tibi . . nec adorabis Deo alieno. 12. et non obaudivit populos meus. 14. si plebs mea audisset me, Istrahel si vias meas ambulasset. 15. ad nihilum inimicos eius humiliassem.

LXXXVIII. 7. . . inter filios Dei . . 8. magnus et metuendus super omnes.

XCI. 13. Ut palma floriet, et sicut caedrus quae in Libano est multiplicabitur.

XCV. 9. Adorate Dominum in aula sancta eius.

XCVI. 7. Qui adorant sculptilibus.

C. 7. Non habitant . . qui faciunt. 8. in matutinis interficiebam.

CII. 15. Sicut flos foeni ita aruit.

CVI. 35. Posuisti desertum.

CIX. 1. Ad dexteram meam.

CXIII. 4. Montes exultabunt. 7. . . in gutture suo, neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fient etc.

CXVIII. 9. Iuvenior *pro* adulescentior. 51. superbi inique gerebant. 62. iustitiae *pro* iustificationis. 105. verbum tuum, Domine.

CXXVIII. 6. Fiant sicut foenum aedificiorum, quod prius quam avellatur arescet.

CXL. 4. Non declines cor meum in verba mala, et non conbinabo cum electis eorum, gr. καὶ οὐ μὴ συνδυάσω μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῶν.

CXLII. 10. Spiritus tuus bonus deducet me in via recta.

CXLV. 3. Neque in filiis hominum, quibus non est salus.

CXLVII. 16. Velut lanam . . spargens. 17. qui emittit crystallum suum tanquam frusta panis . . quis subsistit?

CXLVIII. 4. Et aquae quae super caelos sunt. 8. spiritus tempestatis.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

Cap. I. 3. Arguet insipientes. 5. . . effugiet dolum *pro* fictum, . . arguetur *pro* corripietur. 6. Sanctus est enim spiritus sapientiae, et non liberabit maledictum a labiis suis. 11. responsum obscurum *pro* sermo obscurus.

III. 1. Non continget illos tormentum, *sine* mortis. 2. malitia *pro* afflictio. 13. quoniam felix sterelis et incoinquinata quae nescit thorum in delicto, habebit fructus in resurrectione animae. 14. oblatior *pro* acceptissima. 15. bonae famae *pro* gloriosus: excidat *pro* concidat.

IV. 7. Morte praeventus *pro* morte praeoccupatus. 9. 10. . . vita immaculata quae placita Deo facta dilecta est. 13. replevit tempora longa *pro* explevit tempora multa. 14. de media iniquitate *pro* de medio iniquitatum. 15. praecordiis suis talia. 16. longaevitatem *pro* longam vitam.

V. 17. Quoniam Deus dextera sua teget illos, et brachio suo defendet illos.

VI. 1. Melior est vir sapiens quam fortis, et vir prudentiam habens quam ager magnus.

X. 1. Haec illum qui primus finctus est pater orbis terrarum. 2. et eduxit illum de limo terrae.

XII. 3. Ut illos enim antiquos sanctae terrae tuae oderas, quoniam etc.

XIII. 3. Quorum si propter speciem hoc aestimaverunt . . Dominus *pro* dominator. 10. illorum hominum . . manuum suarum. 10. inhabilis *pro* inutilis.

XIV. 28. Aut enim dum delaetantur insani fiunt . . aut periurant *pro* peie-

rant. 29. in idolo *pro* idolis . . laedi *pro* noceri. 30. ficte *pro* in dolo.

XVI. 14. Homo autem se occidit.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. I. 16. Utero *pro* vulva . . cum electis seminibus creditur (*pro* cum electis feminis graditur) et cum iustis et sensutis * agnoscitur. Gr. *καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται*. Apud Sabater. « et cum electis seminis. » 17. timor Domini scientiam agnoscit sanctitatis, castitas custodiet, et iustificabitur cor. 22. corona sapientiae timere Deum. 38. confusionem *pro* inhonorationem. 39. denudet *pro* revelet.

* Ita cod.

II. 5. Homines vero iusti in camino etc. 14. et peccatori ingredienti duas vias.

III. 1. Natio eorum obaudientia et caritas. 7. refrigerat *pro* refrigerabit. 8. generaverunt *pro* genuerunt. 10. manet *pro* maneat. 11. benedictio patris aedificat domos filiorum. 14. fili, sustine senectam patris tui, et ne contristes eum in vita ipsius. 15. et si deficerit * sensus, habe veniam, et ne spernas eum in tua virtute: non est enim tibi gloria sed confusio. Eleemosyna enim patris etc. 17. et iustitia aedificabitur tibi . . conmemorabitur tibi, et serenum * in glacie tua solventur peccata. 19. et ab omni homine diligeris. 22. ne perscrutaveris *pro* ne scrutatus fueris. 26. seduxit *pro* supplantavit. 33. extinguet . . resistet. 34. et Deus conspector qui reddet gratiam.

* Ita cod.

* Ita cod.

IV. 1. . . et ne avertas oculum tuum ab egeno et inope. 6. maledicentis in amaritudine, *sine* animae. 9. de manu protervi, et non aegre feras etc. 29. in verbis veritatis *pro* in verbo sensati.

V. 12. Verbum pacis et scientiae. 13. loquere *pro* proferas.

VI. 35. Velis audire *pro* possis audire . . effugiant te *pro* effugiant a te. 36. exprimat *pro* exterat.

VII. 6. Elegi *pro* fieri . . in astutia tua *pro* in aequitate tua. 13. noli narrare mendacium adversus fratrem tuum. 30. et nunc ritribues illis. 32. ex omni *pro* in omni. 32. time eum *pro* dilige eum.

VIII. 4. Et non mittes in igne illius ligna. 10. disces doctrinam intellectus . . magnato *pro* magnatis. 11. et ipsi didicerunt a patribus. 20. cum fatuis nec consilium habeas, non enim poterunt contineri, gr. *οὐ γὰρ δυνήσεται λόγον στέξαι*.

IX. 2. In virtute tua *pro* in virtutem tuam. 4. saltrice *pro* saltatrice, in efficaciis *pro* in efficacia. 6. non des fornicariis animam tuam *sine* in ullo. 7. noli videri *pro* noli circumspicere . . nec vageris *pro* nec oberrareris. 8. conposita *pro* compta . . non respicias *pro* ne circumspicias. 10. varia *pro* fornicaria . . concalcatur *pro* conculcabitur. 11. mirati, reprobati sunt *pro* admirati reprobi facti sunt . . exardet *pro* exardescit. 20. in medium laqueorum ambulas, et inter dolentium arma consistis. 21. cave tibi a proximo, et cum sapientibus et sensutis tracta.

ADIUVAMENTUM, i. Bonifacius consiliarius M. 12. Spicil. rom T. III. p. 147. Unguentis vel diversis adiuvamentis. Item Anast. M. 15. 30.

ADMIRATUS, a, um, passive. Atto serm. 4. Script. vet. T. VI. Ab aquis admiratus est.

ADNULLO, as. Eccli. XXI. 5. Domus quae nimis locuplebs est, adnullabitur superbia. Retinuit vulgatus.

ADNUTIVUS, a, um. S. Bonif. in grammatica, A. C. T. VII. p. 541.

ADORO, as, cum tertio casu constructum. Exod. XXXIV. 14. Non enim adorabitis Deo alio *. Item Iesu Nave XXIV. 21. Et respondit populus ad Iesum dicens: non adorabimus diis alienis, sed serviemus Deo nostro. Item Psalm. LXXX. 10. Non erit in te Deus recens, nec adorabis Deo alieno. Item Ps. XCVI. 7. Qui adorant sculptilibus. Quin adeo vulgatus quoque Deut. XXVI. 10. Et adorato domino Deo tuo.

* ita cod.

ADORUS, a, um. Virg. gram. epistol. 4. p. 69. Qui se ipsum ad omnium ora ostendit, iuxta illud Ciceronis (iunioris): si perstns fuero, adorum me faciam omnibus: sin alias, securus efficiar, timens me conventibus tradere peritorum.

ADQUISITOR, ris. Sermo ad regem Francorum, saec. VII. Script. vet. T. I. repet. edit. part. IV. p. 5. Adquisitor patriae.

ADSIDUO, as. Eccli XXX. 1. Adsiduat illi flagella. Habet etiam vulgatus.

ADSIMUL adv. Bonif. gr. p. 531.

ADSIMILATIVUS, a, um. Virg. gr. epistol. 6. p. 87. Coniunctiones quae adsimilativae dicuntur.

ADSOLIDO, as. Victor. de phys. Script. vet. T. III. p. 157. Vi adsolidantur.

ADSUMPTRIX, cis. Explan. symb. athan. Script. vet. T. IX. p. 408. Divinitas adsumptrix humanitatis.

ADVERSITOR, oris. Supplementa genuina I. Valerii, Spicil. rom. T. VIII. p. 522. Per favisores tui deos nostrique adversitores. Confirmatur hinc Donati apud Forcell. vocabulum.

AEGRIMONIUM, i. Bonif. cons. M. 7. p. 126. Ereptus de aegrimonio. Item gloss. gr. lat. apud Cangium.

AEQUIPEDANS, id est par. Atto polypt. p. 56. Suum nepotem meritis aequipedantem.

AEQUIPEDO, as. Atto serm. 11. Quorum nobis convenit aequipedare vestigia.

AEQUIPERATOR, is. Virg. gr. praef. p. 3. Non solum aequiperator sed etiam praecessor extiteris.

AETERNALITER. Remigius comm. in Oseam p. 116. Ab hac vita subtracti aeternaliter pereunt.

AETHERIOR, is. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 43. Fulgore aetheriore nitentem.

AETHRALIS, e. Ald. de sept. p. 513. Ante frontem aethralis tauri locatus.

AFFECTATIVUS, a, um. Virg. gr. epist. 2. p. 27. Sunt pronomina quibus declinatio affectativa vel commutativa asseritur.

AFFECTUALIS, e. Tract. in Luc. p. 195. Affectualem, non aequalem.

AFFIRMABILIS, e. Virg. gr. epistol. 3. p. 56. Quibus sententiam suam affirmabilem fecerint.

AFLA, ae. Virg. gr. epitom 3. p. 97. Plastum quasi in materia viliore compactum, infibulata sibi afla, quae est anima, homo deputatur. Item epitom. 1 p. 116. Qui plastum telleum, aflamque habet aetheream. Et epitom. 6. p. 130. Homo plasto, et afla, et quodam caelesti igne consistit. Sed tamen epitom. 5. p. 126. scribitur *alippha*, videturque pertinere ad arcanam latinitatem.

A FORIS, pro foris. Matth. XXIII. 27. Videntur a foris speciosa. Item tract. in Luc. p. 192. A foris bonum testimonium. Confirmantur exempla a Forcell. citata.

AGGLOMO, is. Virg. gr. epitom. 3. p. 113. In rhetorica poëma, et in poëmate rhetoricam agglomunt.

ALERI pro ali. Laud. SS. C. et I. n. 19. Spicil. T. III. Volatilibus aleri.

AGNICELLUS, et agnicellulus. S. Aldhelmus gram. p. 572. A. C. T. V.

ALICUI pro alicuius (sicut legimus *alii* pro *alius*) Herembertus in Ps. 85. Egenus est qui eget alicui rei.

ALMIFLUUS, a, um. In epitaphio anni 870. Spicil. T. IX. p 102.

ALMITAS, tis. Claudius taurin. praef. in Matth. Sciebam almitatem vestram. Decorosus laud. in Luc. Script. vet. T. IX. p. 183. O insignis praeconii almitas! Legitur item apud Ald. gr. p. 556. 584. et Bonif. gr. p. 484. Addantur igitur haec exempla illi papyri raven. apud Furl.

ALOGIA, ae, convivium intemperans. Atto cum glossa polypt. p. 49. Favent S. Augustini verba apud Forcell.

ALTANS, tis. Sagillius poëta apud Virg. gr. epitom. 3. p. 112. Confirmatur hinc Sidonii exemplum apud Forcell.

ALTAR, ris, gen. masc. Genes. XXXVI. 1. Fac ibi altarem Deo. Item inscriptio christiana apud nos Script. vet. T. V. p. 76. Super altarem construxit. Item ALTARIUM, i. Iudic. VI. 26. Aedificabis altarium domino Deo tuo. Denique aliud exemplum vide infra voc. *lugo*, et in Inscr. ch p. 143, et Bonif. gr. p. 491. In glossar. Cl. AA. T. VI. p. 506. *altarium*, id est *sanctuarium* In thesauro autem lat. p. 52. legitur etiam *altariolum*. Adde haec exempla apud Forcell.

ALTERALIS, e. Virg. gr. epitom. 9. p. 139. Sunt derivativa, ut mealis, tualis, nostralis, alteralis.

ALTISONE adv. Anast. M. 42. p. 464. Altisone praedicabat.

ALUCINARIUM, i. Atto polypt. p. 55. Alucinaria comant, ut lucidum opa-

cumque secernant. Ibique glossa. « Alucinaria vasa somniaria et obscura, conopeis similia. Dicuntur autem alucinaria, quasi a luce alia, id est luce privata. »

AMBIZO, as, idem ac bombizo. Ald. gram. p. 569. Apes ambizant. (1)

AMICABUS, dat. cas. plur. ab *amica*. Probus gram. A. C. T. V. p. 194.

AMPHITAPETE, genus vestimenti utrimque villosum et hirsutum. Ald. gram. p. 554.

AMNO, as, madefacio. Ben. Crisp. A. C. T. V. p. 396. Frigida et ex calidis amnentur cuncta fluentis.

ANIMATIO, nis, pro consolatione. Anast. M. 24. pag. 250. Animatione (ψυχαγωγία) medicorum carebat.

ANNA, cuius glossa *interiectio est deprecantis*, quasi diceret utinam vel obsecro. Atto polypt. p. 57.

ANNUATIM Homil. vet. in Script. vet. T. III. part. 3. p. 140. Mentio dominicae passionis nobis annuatim occurrit (Namque in uno eodemque pervetusto vat. codice iacent Iulius Paris Valerii Max. breviator, compendium musicae S. Aug., et hae homiliae.) Confirmatur Valeriani episcopi exemplum in app. 2. Furl.

ANNUE, adv. Atto serm. 11. Panes de novis frugibus in templo annue ministrabant.

ANSERATIM, more anserum. Bonif. gr. p. 528.

ANTECRESCENS. (coniunctim enim videtur pronunciandum) Abbo floriacensis quaest. gram. A. C. T. V. p. 341. Inveniuntur eadem antecrescentem syllabam servare vel perdere

ANTEFATUS. Inscr. ch. p. 210. Antefatus domnus Gregorius apostolicus papa dixit. Confirmantur exempla appendicis Furl.

ANTERIORITAS, tis. Virg. gr. epist. 7. p. 92. De anterioritate temporis dicitur.

ANTHROPEUS, a, um (ἀνθρώπειος). Galbungus apud Virg. gr. epist. 8. p. 94. Anthropea mens.

ANTIGENA, ae, maiores, prisci. Atto polypt. p. 57. Beneficia quae liquerant antigenae.

ANXIO, as, sensu neutro. Nicetas tract. de Sp. S. p. 323. Script. vet. T. VII. Nemo itaque anxiet, cum de Spiritus sancti virtute etc.

APOSTASIS. Anast. M. 46. p. 492. Horreum dicunt apostasin in aliis regionibus.

APOSTATO, as. I. Petr. II. 21. Post notionem institiae apostatare a divino sibi tradito mandato. Alibi quoque in codice occurrit hoc vocabulum, quod ego vix fero appellari barbarum a Forcellino, quoniam de graeco venit.

APOSTOLICE adv. Anast. laud. SS. C. et I. n. 12. Cursum apostolice consummantes.

(1) Mutorum animalium voces, quibus vocabulis denotarent Latini, docuimus ex vetere glossario vat. A. C. T. VI. p. 600. Item T. VIII. in thes. lat. p. 72. Cum his itaque conferendum est quicquid hac super re scribit Aldhelmus T. V. p. 569-570. Invicem enim hi textus illuminabunt atque emendabunt.

APOSTROPHO, as. Victorin. comm. ad Gal. p 27. Nunc velut apostrophat ad ipsos.

APPENSE adv. Virg. gr. epist. 4. p. 73. Edocte, indocte, reprobate, appense.

ARBITRO, as. Fragmenta antiquissima ex palimpsesto apud nos Script. vet T. III. p 208. Necessarium arbitravimus. Item in frag. vat. iur. civ. p. 42. de excusat. Potiores nominare posse non arbitramus. Confirmantur hinc plautina exempla.

ARCHIAPOSTOLUS. Appon. in Cantic. ed. nostr. lib. VIII. p. 45. Archiapostolus Petrus.

ARCHITECTUS, a, um. Ald. de septen. 504. Illa proverbialis aula, cuius architecta et opifex sapientia. Confirmatur Plinii dubium exemplum apud Forcell.

AADIBILIS, e. Plastus poëta apud Virg. gr. epist. 3. p. 61. Igne ardibili.

ARGEOTIS. Schol. Virg. G. II. 99. Argitis graeca, quasi argeotis (uva.)

ARGUO, is, cum duobus accusativis. Prov. XXVIII. 23. Qui arguit hominem vias suas, gratiam habebit magis quam qui adolatur. * — * Ita cod.

ARMAMENTUM, i, numero sing. Ald. gram. p. 587.

80 ARQUATICUS, pro arqualus. Dynamidia arg. lib. II. n. 116, et rursus suo loco cap. 121. A. C. T. VII.

ARNOTINUS, a, um, pro agninus. Ald. gram. p. 572.

ARTICULUM pro articulus (ut contra in fragm. antiquissimis *capitulus* pro *capitulum.*) Virg. gr. epist. 2. p. 30. Qualiter articula a praenominibus distant. Et rursus p. 31. Tradunt quidam ob id articula iudicari. Denique in fragmento vetere ex palimpsesto, Script. vet. T. III. part. 2. p. 239. Sic est ex qua oculum factum est, pro *oculus.*

ARTISLATOR, ris. Probus gram. A. C. T. V. p. 157. Omnes artislatores praecipueque Caesar. Item p. 163. 255. 260. Melius enim coniunctim pronunciari videtur.

ASCETERIOLUM, i. Anast. in passione S. Petri alex. Spicil. T. III. p. 686.

ASCLEPIADES, ae, appellativum pro *medicus*. Anast. M. 28. p. 282. Ut quid asclepiadas congregabat? Et saepe alibi apud eundem.

ASIDA, ae. Hierem. VIII. 7. Asida in caelo cognovit tempus suum. Apud vulgatum *milvus.*

ASPERALITER. Fragmenta pervetusta liturgica ex palimpsesto, Script. vet. T III. part. 2. p. 247. Numquam pias tuorum preces fidelium asperaliter intueris famulorum. (Ita enim legebam, non *aspernaliter*, quod aeque novum foret.)

ASPIRATIVUS, a, um. Virg. gr. epist. 6. p. 86. Aspirativam .h. scribunt.

ASTIPULO, as. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. I. 23. quaeso uti istud astipulare mihi praestes.

90 ATHEROPHAGUS, qui manducat atheran, panis genus. Anast. M. 49. p. 509.

ATHLA, ae, gen. fem. Schol. ad Virg. G. III. 4. Rex Argivorum Herculi athlas XII. imperavit. Confer Petron. fragm. tragur. cap. 57.

ATRAMENTOR, aris. Virg. epitom. 1. p. 99. Scripturas latini omnes atramentantur.

AUCTORALIS, e. Opusculum I. de Spiritu sancto, saeculi photiani, apud nos Script. vet. T. VII. p. 246. Auctoralis et mirabilis Paulus. Item Sedul. Sc. expl. in arg. Marc. Script. vet. T. IX. p. 174. Auctoritatem nominat auctorale magisterium.

AUCTORATUS, a, um. Atto polypt. p. 57. Auctorata fuerat per climata. Ibique glossa: « auctoritate maiorum firmata per partes mundi. » Forcellinus singularem hanc notionem haud imitandam dicit, quamquam legatur apud Tertullianum. Sed iam suppetias fert apud nos Atto, et apud Furl. glossae philoxen.

AUDATUM, i. Virg. gr. epitom. 1. p. 98. In cassum omne suum expendunt audatum.

AUDIENTIA, ae, pro obedientia. I. Regnorum XV. 22. Quia dicto audientia melior est quam sacrificium, et audientia mandatorum quam adeps.

AUDIO, is, cum tertio casu. Exod. XV. 26. Si audieris praeceptis eius. (ex gr. ἐὰν ἐνωτίσῃ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ) Confirmatur hinc Apuleii exemplum apud Forcell.

AUDITRIX, is. Abbo floriacensis quaest. gram. A. C. T. V. p. 333.

AUMATIO, nis. Virg. gr. epitom. 4. p. 122. Autumnus dicitur de aumatione fructuum qui colliguntur. Diximus nos praef. ad Virg. gram. p. 25. in adnot., *aumatium* videri horreum. Apparet ergo *aumationem* dici pro *congestione ad horreum*. Ceteroqui a scholiaste polyptici p. 46. *aumatia* dicuntur loca secreta in theatro.

AURIGABUNDUS, a, um, pro aurigans. Suppiem. I. Valerii, Spicil. T. VIII. p. 519. Imperiosis motibus aurigabundus huc atque aliter circumducit. 100

AURAUGO, as. (non *aurigo*) auro reinceo. I. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 36. Aquae quoque aurugantem colorem.

AUTOLOPS, animal acerrimum, habens cornua longa serrae figuram habentia. Atto polypt. cum schol. p. 49.

BASSUS, nomen appellativum. Probus gram. p. 234. Quod si Bassus nomen proprium esse reperitur etc. Sin vero bassus nomen appellativum esse invenitur. (Manet ital. vulg. *basso*.)

BASTRITUS. Nisi mendum est pro *bene tritus*. Anast. M. 24. p. 254.

BEBO, as. Ald. gram. p. 569. Haedi baiant vel bebant.

BELUILIS, e. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 55. Prorsus beluile saevientes. Et paulo ante: quod vero est subter atque beluile.

BESSUS, us. Virg. gr. epitom. 4. p. 120. Bestia dicitur de bessu, hoc est more feritatis.

BESTIALITER. Anast. M. 58. p. 568. Angens bestialiter patientes.

BETHLEMEUS, a, um. Ald. de sept. p. 509. Ad cunas bethlemei ducis.

BICORNEUS, a, um. Ald. de sept. p. 512. Luna septenis figurarum speciebus variatur, hoc est bicornea, et sectili, et reliquis. 110

BIGATIM. Bonif. gr. p. 531.

BILIBO, is. Ald. gram. p. 569. Amphora profusa bilibit. Melius videtur quam apud Forc. *bilbit*.

BITHYNIENSIS, bithynius. Anast. M. 51. p. 524. Bithyniensibus et aethiopibus.

BITUMUM, vel bitumus, i. pro bitumen. Luculent. comm. ad Hebr. Script. vet. T. IX. p. 249. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumum pro caemento.

BLANDILOQUAX. Sedul. Sc. de R. C. cap. 10.

BOMBIZO, as. Ald. gram. p. 569. Apes bombizant.

BONORIA, ae. Ald. gram. p. 576. (nisi est mendum pro *Bononia.*)

BREVELLUS, a, um, Virg. gr. epist. 3. p. 36. Brevellas, tutas tamen, addidimus regulas.

BREVIATIM. Prudentius Irecensis in prologo, ad flor. psalm. Script. vet. p. 369. Veluti ex immanissimo prato summatim breviatimque studui psalmorum carpere flores.

120 BRONCHUS, i, cuius glossa *eminentior pars gutturis.* Atto polypt. cum schol. p. 46. Alio plane sensu apud Forc. Sed confer append. 2. Furl.

BUCCUS, i, idem qui bucco, nis. Atto polypt. cum gloss. p. 48.

BURIUS, ii, bestia quaedam apud Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 19. Scorpii cancrique una elephantis et buriis.

BUTEO, nis, cuius glossa *iuvenis.* Atto polypt. p. 50. Apud alios est avis. Confer *mucisso.*.

BUTO, as. Ald. gram. p. 569. Cornices butant.

CACABATIUS panis. Dyn. I. 7.

CACABO, as Atto polypt. p. 54. Arretina cacabant. Glossa: *fervendo sonant.*

CACILLO, as. Ald. gram. p. 569. Gallinae cacillant.

CADEO, es. Prov. XVI. 5. Impii in die malorum cadebunt Item Isaias XXXIV. 14. Omnia sidera eius cadebunt ut folia. (Sed X. 33. cadent.) Matth. XXIV. 9. Et stellae cadebunt de caelo.

CADIUM, i. Anast. M. 44. p. 480. Cadia tria, species haec calicis est, sic apud Alexandrinos vocata.

130 CADUCARIUS, i, eventicius heres. Atto polypt. cum schol. p. 48. Addatur hoc exemplum in appendice Furl.

CAELESTIM adv. Virg. gr. epist. 4. p. 72.

CAELIBATUS, us, caelestis est vita, et caelebs quasi caelestem vitam agens, ut aiunt quidam veteres apud Forcell. Hunc prorsus sensum habet vocabulum apud I. Val. de reb. Alex. edit. rom. III. 42. ubi cultus ab Aegyptiis deus Sesonchosis ait in visione Alexandro: adscitus convivio caelibatum ago una cum diis.

CAELITONANS, tis. Sedul. Sc. de R. C. cap. 15. Caelitonantis dextera.

CAEPARIUS, a, um, cuius glossa *hortulanus.* Ioh. Erig. carm. II. 53. Desine caeparios meditari cernere vultus.

CALLIPHANUS, a, um, qui bonus rectusve videtur. Nepotianus apud nos Script. vet. T. III. part. 3. p. 94. (si sana lectio est.) Qui celeras quoque caerimonias Graecorum calliphanas petierunt.

CALTUDIA, ae, cum glossa *dies festus.* Atto polypt. p. 49.

CANCROSUS, a, um. Dyn. arg. lib. II. n. 98. Vulnera cancrosa

CANDELA, manifeste pro lucerna. Anastas. M. 36. p. 394. Oleum candelae

suscipiam. Item alibi. Oleum quod in sanctorum ardet candela. Candelae oleum. Quid candelae sanctorum afferimus oleum? Qui candelae sanctificat oleum. Qui candelae cum oleum vellet accipere. Qualiter candelae sumeret oleum.

CANITIA, ae. Levit. XIX. 32. A facie canitiam habentis exsurges, et honorabis faciem presbyteri. Confirmatur Plinii exemplum apud Forc.

CANONICE, adv. Bonif. gr. p. 544. Generaliter autem et canonice praepositiones gentibus et nationibus adduntur, civitatibus adimuntur

CANONIZO, as. S. Ambrosius in explanatione symboli Script. vet. T. VII. 140
p. 158. In libro apocalypsis Iohannis, qui libellus canonizatur, et maxime ad fidei proficit fundamentum. (Et notemus insigne Ambrosii pro apocalypseos libro testimonium. Item Alcuinus (ut hoc etiam obiter dicam) initio expositionis apocalypseos, Script. vet. T. IX. p. 258. Huius, inquit libri magna auctoritas est, quia a Trinitate per angelum ad Iohannem mittitur.)

CANTAMENTUM, i, et CANTATELLA, ae. Virg. gr. epitom. 3. p. 112. Ut sunt cantamenta et cantatellae. Et mox. Uxoris suae cantatellas.

CANTABRIES. Alto polypt. p. 43. ibique scholiastes. « Cantabries sunt tenuissima purgamenta, squamarum similia, de superficie humanae cutis cum pruritu exsurgentia in locis pilosis, et maxime in capite, quae sine aliqua exulceratione defluunt. » Derivatur a *cantabrum*.

CANTHARUM., i. Virg. gr. epitom. 8. p. 137. Cantharus animal est, cantharum camera.

CAPITAS, tis. Virg. gr. epitom. 4. p. 121. Caput a capitate sumi certum est.

CAPITULUS, pro capitulum. Fragm. antiq. Script. vet. T. III. part. 2. p. 233. Primus capitulus fidei catholicae.

CAPO, videtur verbum apud Ald. gram. p. 539.

CARITATIVUS, a, um. Abbo quaest. gram. p. 349. Ne prolixitas caritativae epistolae.

CARMENTUM, i, id est carmen. Sarbon poëta apud Virg. gr. epist. 2. p. 23. Landari carmento mirabili.

CARMINULUM, i. Virg. gr. epitom. 6. p. 130. Cum poëtica metra per versuum carminula soflat.

CARNUNCULA, ae. Iulius Paris, Sript. vet. T. III. part. 3. p. 32. Vili car- 150
nunculae, quam imperatori mavis credere? Ita Paris quidem breviator, sed apud Valerium Max. *caruncuiae*.

CATA, ae, canis femina. Virg. epist. 1. p. 7.

CATACUMBAE, vocabulum sine dubio bonae latinitatis in pervertere calendario. Inscr. ch. p. 55.

CATAPHASMATEUM, i. Vide in *muscifer*. (Nisi mendum est pro *cataphasma*).

CATAPHORICUS morbus. Anast. M. 24. p. 250. Cataphoricae affectioni deserviens. Item ibidem in titulo: Iuliana cataphorica.

CATHARSIUM, i Anast. M. 30. p. 308. Ungebatur catharsiis.

CATHISMA, ae. Dyn. I. 57. Senecion tunsa et imposita omnes cathismas curat.

CATIZO, as, pro *curo*, as, ut videtur. Virg. gr. epitom. 1. p. 97. Hoc ergo nobis omnimodatim catizandum est.

CAVERNINUM. Prov. VIII. 22. Fecit regiones et deserta et cavernina, quae habitantur sub caelo.

CAUMA, tis. Laud. SS. C. et I. n. 25. Diei caumate cremabatur. Item. Sedul. Sc. de R. C. cap. 12. Post torrida caumata cancri. Denique Atto polypt. p. 48.

160 CELSITHRONUS, a, um. Sedul. Sc. de R. C. cap. 11. 17. 18.

CELSITONANS. Inscr. ch. p. 79. Hanc tibi, celsitonans, aram Theodulfus adorno.

CENODOXUS, ex graeco. Atto polypt. p. 56.

CENTIES TANTUM pro centuplum. Matth. XIX. 29. Centies tantum accipiet Fronto autem ed. rom. p. 136. Decem tanta te amo.

CEROTES, is. Anast. M. 22. p. 240. Oleo et cerote, quibus candelam nutriunt. Item M. 51. 53. 70.

CESSATIO haud quidem noviter, sed eleganter dictum pro morbi impedimento. Exod. XXI. 18. Si autem rixabuntur duo viri, et percusserit aliquis ex his proximum suum lapide aut pugno aut ferro, et non fuerit mortuus, decubuerit autem in lecto tuo; et si exsurrexerit homo et ambulaverit cum baculo, innocuus erit qui percussit; tantum quod cessationes eius dabit et curationes. Confer Ciceronis exemplum apud .Forc.

CHALCEUS, a, um, id est aereus. Ioh. Erig. carm. II. 49. Chalceus ex alto pendens ibi sibilat anguis. Est etiam Martialis exemplum apud Forc.

CHARACTER, genere neutro. Apocal. XIV. 9. Et accipit character in fronte sua. Ter vidi in sacro libro *character* in quarto casu.

CHARAGMATA, orum. Urbs tertiae Palaestinae. Anast. M. 58. p. 567.

CHARAXO, as, scribo, a graeco χαράσσω. Virg. gr. epist. 1. p. 13. Hic adverbium per duo l. charaxabis. Alibi quoque non semel apud eundem legitur id vocabulum.

170 CHARTEMANUS, a, um. Tract. in Luc. p. 203. Loricae modo chartemanus erat vulneribus. Sensus patet, vocabuli natura non item. Num ex graeco χαρτερόχειρ, *fortis manu?* Num *carteromachus*, vel potius *cataphractus ?* Num denique corruptus codex vel apographum?

CHILIARCHICUS, a, um. Atto polypt. p. 48. Chiliarchica tollunt insignia.

CHOLEAUM, i, genere neutro. Eccli. XXXI. 23. Vigilia, cholerum, et tortio viro infronito.

CHRISMATARIUM, i, vasculum ubi chrisma reponitur. Inscr. ch. p. 205. Maximianus archiepiscopus hoc chrysmatarium ad usus fidelium fieri fecit.

CHRISTIFER, a, um. Ioh Erig. carm. II. 14. Per te christiferam (crucem.) Item Anast. M. 30. p. 312. Christiferorum praeceptum sanctorum.

CHRONISMUS, i. Sedul. Sc. explan. ad praef. Hieron. Spicil. T. IX. p. 29. Cogis pro coegisti, per chronismum positum esse intellege, quo schemate diversa tempora pro aliis temporibus ponuntur.

CIBARIA, ae. Matth. XXIV. 45. Ut det illis cibariam in tempore.

CIRCITO, as. Anast. M. 30. p. 311. Totum nostrum circita templum. Hinc nomen circitor, oris.

CIRCUMFORMO, as. Victorin. comm. ad Gal. p. 60. Circumformatur enim et definitur.

CIRCUMINSPECTIO, nis. Eccli. XIV. 22. Felix sapiens, qui in sapientia sua veritatem et iustitiam meditatur, et in sensu suo cogitabit circuminspectionem Dei! (Neque enim dividendum vocabulum puto.) Vulgatus habet *circumspectionem*. Placidus in glossis a me editis Cl. AA. T. VI. p. 557. Circuminspectissime, id est nimis acute.

180 CIRCUMSOLVENS. Anast. M. 51. p. 526. Querelam quae adversus nos erat circumsolventes.

CIRCUMSTANTIA, ae. Notum quidem vocabulum, sed significatio ususque eius in re oratoria late exponitur a Boëthio in opusculo de distinctione locorum rhetoricorum, apud nos A. C. T. III. p. 327. seqq.

CIRCUMTENEO, es. Fragm. antiq. p. 215. Hic et illum circumtenet.

CISTELLUM, i. Ald. de sept. p. 507. septem corbes vel cistella replevisse. Sic enim evidenter est, non *cistellas*, in pervetusto, quem nos edidimus, vat. codice p. 79.

CLAVARIUS, et ars CLAVARIA. Anast. M. 43. p. 470. Clavariam sectabatur artem. Et mox. Clavarium ab arte cognominare omittentes. (Adhuc Romae dicitur *il chiavaro.*) Confer inscript. apud Forc.

CLIBANUM, gen. neutro, nisi mendum est. Sedul. Sc. de Rect. christ. cap. 8. Spicil. T. VIII.

CLIBANUS, armatura cataphracti militis. Fragm. antiq. p. 245. Veluti sagitta in hominem tectum clibano mittatur. (Noti autem sunt clibanarii milites, id est cataphracti.)

CLYSTERIO, as. Dyn. II. 101. Ischiaticos clysteriabis. Confirmatur hinc ambigua Vegetii lectio apud Forc.

COACTICIUS, a, um. Anast. M. 28. p. 281. Coacticium illud et praesagum praedicabat.

COAEDIFICATIO, nis. Victorin. comm. ad Ephes. p. 115. Ipse impleret coaedificationem per evangelium.

190 COAETERNALITER. Virg. gr. praef. p. 5. In tribus divinae unitatem substantiae personis coaeternaliter subsistentem.

COAETERNITAS, tis. Faustus reiensis serm. de SS. Trin. Spicil T. V. p. 90. Ad coaeternitatem pertinet maiestatis.

COANGUSTUS, a, um. Insc. ch. sub Leone tertio PP. p. 154. Aula coangusto et tetro existens loco.

COASSERTOR, ris. Anast. M. 51. p. 531. Paulum vocabat coassertorem.

COCYTUS, i, id est gemitus. Anast. M. 34. p. 333. Cum eiulatu et cocyto.

COENOBIALIS, e. Inscr. ch. p. 181. Teneram coenobialem.

COEVANGELISTA. Claudius taurin. comm. ep. ad Philemonem, Spicil. T. IX. p. 112. A conservo et coëvangelista.

COEXISTO, is. Anast. M. 70. p. 663. Cum Cyro martyre coëxisteret.

COEUNTIA, ae. Virg. gr. epitom. 4. p. 121. Coitus generaliter dicitur omnis coëuntia sive itineris, sive concordiae, sive conubiorum.

COGITAMENTUM, I. Virg. gr. epitom. 3. p. 117. In cogitamentorum velocitate.

200 COGITO, as, cum secundo casu. Isaias XLIII. 18. Ne memores sitis pristinorum, neque antiquorum cogitetis.

COHABITATRIX. Anast. M. 24. p. 250. Paupertatem cohabitatricem habebat. Item M 37. et 50.

COINHABITANS. Homil. vel. ex palimpsesto, Script. vet. T. III. part. 2. p. 243. Non concordantem coinhabitanti peccato.

COLAX. Sedul. Sc. de R. C. cap. 19. Nam colax in ore gestat arte verba mellea.

COLICEUMON, nis. Bonifacius R. E. consiliarius M. 1. p. 105. Coliceumon asclepiadae hanc aegritudinem vocaverunt.

COLLARIUM, i, substant. Ald. gram. p. 572. Confer Forc. voc. *collaria*.

COLOPHOS versus. Ald. gram. p. 522. Qui est versus colophos.

COLORATIO, nis, gr. ἐπιχρωμάτωσις. Anast. M. 70. p. 668. Si divina vestra coloratione fuerint destituta. Hinc in Tobiae apud nos libro *decoloratio*.

COMBINATIO, nis. Anast. M. 33. p. 348. Vestram inveniens combinationem adversam. Gr. συζυγίαν.

COMITANTER. Carm. ad Karolum magnum imp. A. C. T. V. p. 409. Comitanter gressibus altis cum Karoli magni.

COMMATER. Atto serm. 13. Compatres vel commatres audeant vocitare.

210 COMMENTATRIX, is. Ald. gram. p. 563.

COMMULCO, as (non commulco) cuius glossa *coinquino*. Atto polypt. p. 58. Si commulgaverit semet.

COMMUTATIVUS. V. affectativus.

COMPARTICEPS, is. Appon. lib. VIII. p. 37. Consors et comparticeps regis.

COMPATRIOTA, ae. Anast. M. 52. p. 513. Extranei et compatriotae.

COMPES, tis, quasi competens aut competitor. Iul. Val. de reb. Alex ed. mediol. II. 36. Nec si quid blandius fortuna promiserit, idcirco te caeli competem arbitrare. *Sic enim retinendum iudico*, pro *compotem*, ut in ed. rom.

COMPONDERATIO, nis. Virg. gr. epist. 3. p. 62. Si quamdam componderationem linguae per syllabas faciunt.

COMPONDERATUS, a, um. Virg. gr. epist. 6. p. 86. Ut una longa littera contra duas breves componderata, utraque syllabam faciat.

COMPTOSE adv. Virg. gr. epitom. 10. p. 146. Sunt adverbia propter metrorum necessitates, ut fortiusiter pro fortiter, comptose pro compte.

220 COMPUGNANTIA, ae. S. Ambrosius in ep. de fide apud nos Script. vet. tom. VII. Compugnantiam voluptatum. Confirmatur Prudentii exemplum in append. Furl.

COMPUTARIUS, i. Virg. gr. epist. 2. p. 29. Qui erat computarius dierum et mensium.

CONCALCO, as. Eccl. IX. 10. Omnis mulier, quae est varia, quasi stercus in via concalcatur. (Nisi est mendum pro *conculcatur*; vulgatus enim habet *conculcabitur*.)

CONCEPTE, adv. Scholiasles Cic. or. ad pop. A. C. T. II. p. 43. Concepte posita sententia.

CONCITE, id est celeriter. Anast. M. 42. p. 468. Concite sanitate recepta. Item M. 62. et 66.

CONCLAVIUM, i, pro conclave. Virg. gr. epitom. 8. p. 137. Hinc Vitruvius apud Forcell. *conclaviorum* plur.

CONCUBITUM, i, vel concubitus, i, 2. declin. Alcuin. in apoc. p. 282. Opera virorum in concubitis.

CONCUPISCIBILIS, e. Hierem. XII. 10. Pastores multi exterminaverunt vineam meam, et contaminaverunt portionem meam, dederunt partem meam concupisciviliem (ita cod. v. pro b.) in desertum. Citatur a Forcell. unus S. Hieronymus.

CONDESCENSIO, nis. Bonifacius cons. M. 9. p. 143. Erga omnes condescensio (ital. vulg. *condiscendenza*). Item Anast. 23. 32. 62. Reapse verbum *condescendo* pro *obsecundo* habet Cassiodorius apud Furl.

CONFRANGO, is. Fragm. antiq. p. 219. Qui cadit super lapidem hunc, confrangitur.

CONFUSIBILIS, e. Virg. gr. epist. 3. p. 51. Quasi confusibili modo. 230

CONFUSIBILITAS, tis. Virg. gr. epitom. 3. p. 112. Ne confusibilitas aliqua nascatur.

CONFUSIBILITER. Virg. gr. epist. 1. p. 10. Contra omnem ordinem rationemque confusibiliter adsumpsit. Item epist. 3. p. 63. Quae nisi discreta fuerint, confusibiliter dicentur.

CONGLOBERO, as. Virg. gr. epitom. 9. p. 138. In unum congloberantes.

CONGLORIO, as. Anastas. in S. Cyrilli homil. de SS. C. et I. Spicil. T. IV. p. 265. Qui simul dehonorati sunt, per omnia et conglorìabuntur

CONGLORIUS, a, um. Atto polypt. p. 57. appellat Licinium conglorium Constantini.

CONGLUTEN, is. Virg. gr. epitom. 6. p. 130. Cum syllabarum conglutine.

CONGRUATUS, a, um. Lupus grammaticus apud Virg. gr. epist 3. p. 49. Vide quid in eis congruatum atque unanime. Et quicquid concors, et consentivum inveneris.

CONIACENS. Bonif. consil. M. 12. p. 181. Dromus in plateae figuram coniacens, porticibus duabus mediatus. Confer append. Furl.

CONIBENS. Atto polypt. p. 45. Conibentia rogant.

CONIUBILO, as. Inscr. ch. 121. Hic (in templo) pia plebs domino coniubilat supero. 240

CONIURO, as, pro deprecor. Appon. lib. VIII. p. 46. Filias Hierusalem lacrymabili prece coniurat.

CONLAUDATRIX, is. Ald. gram. p. 563.

CONMEMOROR, aris, deponenti forma, imp. modo. Tobias IV. 3. Commemorare enim, fili, quanta pericula viderit cum te pareret: (Confer infra voc. *memoror*.) Confirmatur dubium S. Augustini exemplum apud Forcell.

CONMINUTO, as. Fragm. antiq. p. 219. Ipsi comminutabuntur.

CONMOROR, aris, cum accus. casu. Zachar. II. 7. Fugite qui commoramini filiam Babylonis. Quo loco antiquus interpres apud Sabaterium: qui habitatis filiam Babylonis.

CONPROMISSIVUS, a, um. Bonif. gr. p. 541.

CONPUNCTUM, i, subst., idem quod Graeci in libris liturgicis dicunt κατανυκτικόν. Florus de psalt. emend. Script. vet. T. III. part. 2. p. 255. Fides, conpunctum, et orationes libello altero conscribantur.

CONNASCOR. Anast. M. 15. p. 200. Corporibus connascitur et concrescit. Habet Cassiod. in Furl. append.

CONNUMERATIO, nis. Virg. gr. epitom. 1. p. 96. Nostrae connumeratio litteraturae.

250 CONQUIRERE urbem, pro capere, non semel in annalibus carolinis saec. octavi Spicil. T. VI.

CONRIVIUM, ii. Itinerar. Alex. ed. rom. cap. 8. Idaeis conriviis repens praecipitio montano descendens.

CONROGATIO, onis. Eccli. VII. 38. Non desis plorantibus in conrogatione. (Apud Sabater. *in rogatione.*) Conrogatio intelligenda videtur invitatio ad epulum funebre. Atque ita interpretandum opinor locum vulgati Eccli. XXXII. 3. in append. Furl. Sic Martianus Capella: *dii ad convivium conrogati.* Thes. lat. p. 152.

CONSENTANEUS pro concors. Levit. XIX. 17. Non eris consentaneus cum derogantibus adversus proximum tuum. Item I. Petr. III. 8. Quapropter omnes consentanei estote, unianimes, conpatientes. In thes. lat. p. 153. *consentaneus*, id est *consentiens.*

CONSENTIVUS. V. congruatus.

CONSEPELIO, is. Anast. M. 52. p. 541. Languor occidenti consepeliebatur. Item M. 66.

CONSEQUERE pro consequi Homilia ex codice septimi saeculi, Spicil. T. IV. p. 315. Hinc passive apud Forcell. *consequimur.* Confer infra voc. *persecutus.*

CONSERVIO, is. Victorin. comm. ad Gal. p. 50. Conservio Christo.

CONSILIO, as. Annales carolini saeculi octavi apud nos T. VI. p. 189. Consilium iniquum consiliaverunt. Item Serm. ad Francorum regem p. 4. Qui cum pluribus consiliatur, solus non peccat. Habet etiam vulgatus. Confirmantur itaque dubia exempla apud Forc.

CONSOCIETAS. Compend. vetus musicae S. Aug. Scripl. vet. T. III. part. 3. p. 131. Cum omnibus habet consocietatem.

260 CONSODALIS. App. in Cantic lib. VII. p. 28. Adulescentulis consodalibus suis.

CONSPARSIO, nis. I. Cor. V. 7. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consparsio. Confer voc. seq. Vulgatus heic *conspersio.* Chron. palatinum saeculi sexti, Spicil. T. IX. p. 129. Fermentando coagulavit consparsionem.

CONSPARSURA, (φύραμα) ae. Numer. XV. 19 Primitias consparsurae vestrae, panem oblationis separabitis eum; sicut oblationem de area, sic auferetis eum cum primitia consparsionis vestrae.

CONSPECTOR, ris. Eccli. III. 34. Deus conspector, qui reddet graliam. (Vulgatus *prospector*.) Confirmatur Tertulliani exemplum.

CONSPLENDESCO, is. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 42. Circumsislentia tecta undique consplendescere.

CONSTRUCTURA, ae. Appon. lib. IX. p. 74. Crescere constructuram.

CONSTRUMENTUM, i. Virg. gr. epitom. 1. p. 97. In illius aethereae legis construmentum.

CONSUETUDINARIE, adv. Virg. gr. epist. 3. p. 48. Quam coniugationem verborum consuetudinarie nominavimus. Itabet Cassiod. in append. Furl.

CONSUETUS, us, subsl. in glossis vel certe alibi in editionibus nostris.

CONSULTATE, adv. Virg. gr. epist. 3. p. 52. Quibus consultate responsum esl.

CONSULTUS, us. Ald. gram. p. 561. Consultus nomen est, ubi dicitur ex totius senatus consultu decretum est. 270

CONTESTATIO, nis. Aduoto hoc tantum ut vocabulum liturgicum vetus, pro quo nunc in missa dicitur *oratio*, el vulgo *oremus*. Fragm. vet. liturg. p. 247.

CONTINOR, aris, (ut videtur) a conlus, i, sicuti iacutor a iaculum, i. Itinerar. Alex. ed. rom. c. 6. Niuiius lormenlo iaculandi, continari quem destinasset peritus.

CONTRADICUS, a, um. Virg. gr. epist. 3. p. 36. Dicenles nos contradicos videri nobis invicem.

CONTRARIOR, aris. Virg. gr. epitome 1. p. 97. Quae antiquioribus Hebraeorum legibus contrariari videantur.

CONTRIBULOR, aris, passiv. Numer. XV. 31. Ideo in tribulatione contribulabitur anima ipsa, el peccatum eius in ipsa erit. Item Luculent. comm. ad Rom. p. 206. Cum illis contribulemur. Esl etiam apud vulgatum.

CONTUEBILIS, e. Galbarius apud Virg. gr. epist. 5. p. 77. Coutuebilis mundus ab incontuebili potestate creatus.

CONVALUISTI cum, pro contra. Gen. XXXII. 28. Quia convaluisti cum Deo, et cum hominibus potens factus eris.

CONVERSOR, oris. Tract. in Luc. p. 193. Et iste gralia Dei (Id est Iohannes, ut in hebraica lingua sonat) et conversor.

CONVERTO, is, neutrali sensu. Ps. LXXIX. 15. Converte nunc, respice de caelo. Item in homiliis in codice septimi saeculi repertis, Spicil. T. IV. p. 312. Si ex toto corde ad Deum convertere voluerimus. Et p. 316. Debeanl ad Deum convertere. Ibid. Et convertitis ad Dominum. Confirmantur hinc Sallustii et Frontonis exempla.

CONVINCTUS, a, um, el mox CONVINCIENS. Bonif. cons. M. 12. p. 172. Toro immaculato convinctus. 280

COPULATOR, ris. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. I. 15. Nec sit pudendum si filius sit parentibus copulator.

COPHREA, arcarius, ut videtur. Papyr. ravenn. A. C. T. V. p. 362.

CORAM, cum quarlo casu. Deuter. IV. 8. Legem quam ego trado vobis coram vos hodie. Item I. Regn. XII. 2. Conversatus sum coram vos a iuventute mea

CORBA, ae. Evang. Matth. vers. antiq. Script. vet. T. III. part. 2. p 286. Non licet eos mittere in corbam, quia pretium sanguinis est.

CORNIATUS pro cornulus. Virg. gr. epist. 3. Tauri ceu fronte corniata.

CRAPULOR, aris. Isaias XXIX. 9 Defecite *, amentes estote, et crapulamini non a sicera neque a vino, quoniam potionavit vos Deus spiritum * conpunctionis. * ita cod. * ita cod.

CREDO pro iuro Virgilius quidam troianae scholae doctor apud Virg. gr. epist. 3. p. 63. O Romani, cur vestrae immemores veritatis, quae credidistis, transgredi voluistis? Hoc est, inquit Virg. grammaticus dicere *quae iurastis*.

CREPACULA, ae. Ald. gram. p. 576.

CREVISTI et crevisse, fortasse pro credidisti et credidisse. Carmen bobiense A. C. T. V. p. 459. et Ald. de sept. p. 506.

290 CRINCIO, is. Ald. gram. p. 569. Anseres crinciunt.

CRINIFER, i. Ald. gram. p. 552.

CRIPOSCIUS, a, um. Virg. gr. epist. 3. p. 50. Ubi nihil criposcium remansurum est.

CRITABO, as. Ald. gram. p. 569. Ciconiae critabant.

CROCCO, as. Ald. gram. p. 569. Corvi crocitant vel croccant.

CRYPHIA (cod. glifia) ae, sermo obscurus. Virg. gr. epist. 3. p. 43. Propter ipsam cryphiam, ut scilicet lectores impediant.

CRYPHIUS (cod. glifus) a, um. Virg. gr. epitom. 2. p. 101. A cryphiis sensuque subtilibus.

CRUCIANS, tis, neutrali sensu. Exod. XXII. 23. Si autem malitia nocebitis eos, et cruciantes exclamaverint ad me. Confirmantur Frontonis exempla.

CRUCICOLA, ae, crucis adorator. Ald. gram. p. 581.

CRUCICULA, ae, parva crux Ald. gram. p. 562. (Nisi est mendum pro *crucicola*, aut vice versa. Codex tamen ita se habet, ut nos scripsimus.)

300 CUCUBIO, is. Ald. gram. 570. Noctuae cucubiunt. Apud Forc. *cocubo*.

CUCURBITALIS, herba sic dicta quod ex parte odorem cucurbitae referat. Dyn. II. 29.

CUCNITO, is. Ald. gram. p. 569. Canis venatica cugnitit.

CUIATIM adv. Virg. gr. epitom. 9. p. 138.

CUM QUANDO, pro quotiescumque, gr. ἡνίκα ἄν. Prov. III. 27. Cum quando habeat manus tua adiuvare.

CURATORIUM, i. Anast. M. 70. p. 647. Dicemus, et nomen, et civitatem, et patriam, et curatorium.

CYNOPENDIX, is, *bestia quaedam*. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 19.

DAEDALE, adv. Iul. Val. de reb Alex. ed. rom. III. 53. Aquila aurea supersistebat effigiata daedale.

DAEMONIZO, a daemone sum correptus. Anast. M. 14. p. 194. Daemonizabat acriter Theopompus.

DAEMONOLATRIA, ae. Atto polypt. p. 57. Daemonolatria ruens.

310 DATUS, us, subst. Eccli. XX. 14. Datus fatui non erit utilis tibi. Retinet vulgatus. Forcellinus Plautum tantummodo laudat.

DEACUTUS, a, um. Aeneas grammaticus apud Virg. gr. epitom. 8. p. 135. Sensus acumen aliquantula licet parte invenies deacutum.

DEALITAS, tis. Fragm. antiq. Script. vet. T. III. part. 2. p. 228. Non autem dealitas Ipsius Verbi mortua.

DEAMBULATORIUM, i, subst. Appon. in Cantic. lib. VII. p. 26. Delectationis hortus et deambulatorium regis caelorum.

DEBACCHO, as. Atto serm. 3. Multis solent. debacchare praestigiis.

DECADA, ae. Anast. praef. Qui ad instar decadae. Et n. 6. decada quinta.

DECASCHEMUS versus. Aid. gram. p. 519. et alibi.

DECIMATIO, onis. Vide voc. *deservitio*. Forcell citat Capitolinum.

DECLAMATRIX, is. Aid. gram. p. 563.

DECLINAMENTUM pro declinatio. Aeneas grammaticus apud Virg. gr. epist. 2. p. 23. Sicut nequam, et cetera declinamenta.

DECOLORATIO, onis, sensu morali. Tobias IV. 14. Fructus stillionatus, 320
decoloratio vitae est. Sic apud vetus glossar. A. C. T. Vt. p. 519. malim scribere *decoloratio* quam *decoriatio*, siquidem ibi explicatur *dehonestatio*.

DECOROSUS, a, um. Virg. gr. epist. 3. p. 62. Per vitium quidem decorosum. Confirmatur hinc dubia Senecae auctoritas apud Forcell. Est item nomen proprium Decorosus S. Lucae biographus.

DEDITIM. Bonif. gr. p. 531.

DEFENSATIO, nis. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 40. Neque sane a nobis quoque aberit Antigono defensatio.

DEFIDO, pro diffido. Virg. gr. epist. 2. p. 29. Quorum opinioni nec multum defidimus.

DEFORIS adv. Nicetas aquil. Fragm. 2. Script. vet. T. VII. p. 339. Deforis audiens mysteria. A Forcellino recipitur *deforas*.

DEGUIMUS, pro degimus. Atto serm. 4. In potestate diaboli errando deguimus. Item serm. 18. Degult in abstinentia. Sed et alia exempla huius praeteriti memini me videre. Adde haec itaque ambiguo Ausonii exemplo apud Forcell.

DEILOQUUS, a, um. Anast. M. 13. p. 193. Iuxta sanctorum deiloquam iussionem.

DELATURA, ae, pro delatio. Eccli. XXVIII. 11. Homo iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medium pacem habentium inmittet delaturam. Alio tamen loco *delatorem*. Cap. XXXVIII. 17. etiam vulgatus habet id vocabulum, nec non Tertullianus apud Forc.

DELAETOR, aris, pro laetor. Sap. XIV. 28. Dum delaetantur, insani fiunt. Ita enim lego in apogr., non *delectantur*. Gr. εὐφραινόμενοι.

DELICIOR, aris. Eccli. XXXI. 24. Dormiet usque in mane, et anima illius 330
cum ipso deliciabitur. Item Amos VI. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et deliciamini super thoros eorum. Item Iacobus V. 5. Et vos deliciati estis super terram, et luxoriati estis. Furl. citat Ruricium.

DENTICO, as. Ald. gram. p. 570. Sorices denticant.

DEOSCULATE adv. Virg. gr. epist. 4. p. 72. Ex verbis communibus ac deponentibus adverbia venire, nullus peritorum negare potest; siquidem dicamus deosculate, suspicate, locute.

DEPORTATOR, ris. Commentarius priscus ms. ad Martianum Capellam de nupt. Ph. lib. I. Vector, id est deportator.

DEPOST, pro post. III. Regn. XVII. 10. Et exclamavit depost illam Helias. Et v. 11. Exclamavit iterum depost illam Helias. Habet hoc vocabulum vulgatus in psalmo LXXVII. 70.

DEPRECO, as. III. Regn. VIII. 33. Orabunt, deprecabunt in hac domo, et tu exaudies de caelo, et propitiaveris (ita cod. *v.* pro *b.*) peccatis populi tui Istrahel.

DESERTA, perpetuum Cereris epithetum. Scholiastes Virg. Aen. II. 714.

DESERTATUS, a, um. Appon. in Cantic. lib. VII. p. 25. Paradisi hortus, qui desertatus fuerat per primum Adam. Confirmatur verbum Accii ***deserto, as***, apud Forc.

DESERVITIO, nis. Numer. XVIII. 21. Filiis Levvi * ecce dedi omnem deci- ita cod.
mationem in sortem pro deservitionibus eorum, quibus deserviunt ipsi in tabernaculo testimonii. Item Iohel I. 14. Sanctificate ieiunium, praedicate deservitionem, convocate seniores. Denique in fragm. antiq. arrian. p. 235. Exhibet tibi deservitionis ministerium.

DESICCATIO, nis. Bonif. cons. M. 5. p. 117. Inmensitate desiccationis.

340 DESICCATIVUS, a, um. Dyn. II. 25. Cyminum virtutem habet calidam et desiccativam.

DESIMULO pro dissimulo, sicuti defusus pro diffusus. Ald. de sept. p. 515. Affectum quodam modo desimulasse.

DESITISCERE (si sana lectio est) explicatur *contemnere* in opusc. vet. ms. ad concil. afric.

DESITUS, us. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 54. Colore atro cum desitu spiritûs visebatur.

DESOLVO pro dissolvo. Herembertus in Ps. 85. Talis debet esse spes, ut non desolvat; et talis timor, ut non veniat desperatio. Apud Forcel. legitur *desolutus*, ab inusitato, ut ipse ait, *desolvo*.

DESONUS, a, um. Ald. de sept. p. 512. Non desonam protulere sententiam.

DESPECTIVE adv. Schol. ms. ad Iuven. III. 14. Despective dicit Iudaeorum cophinum et foenum. Item legitur alibi in hoc Scholiaste.

DESTILLO, as, cum accusativo rei. Vide in voc. *fluo*. Confirmatur Plinii exemplum apud Forc.

DETESTANTER. Anast. M. 30. p. 505. Multa detestanter eructans.

DETESTO, as. Atto serm. 16. Prudens pater se hoc facere detestabat. Et serm. 18. Tanto magis detestabat inlicita.

350 DEVIO, as, activo sensu, non neutro. Tract. antiq. de non differ. remun. Script. vet. T. VII. p. 270. Quoscumque imperitissimus ille a caelesti sapientia deviare conatus est. Item passive ibid. A coepto itinere non deviemini. Denique apud Att. polypt. p. 53. glossa *deviatus*.

DEVOTATIO, nis, cum glossa: *maledictio, cum aliquis mala alicui imprecatur*. Opusc. prisc. ad It. Regn.

DEXTICUS, a, um. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Unde et ipsas partes corporis nuncupabant anticam, posticam, dexticam, sinisticam.

DIACONITA, ae, minister. Inscr ch. p. 216. Pro sustentatione Christi pauperum et omnium hic deservientium diaconitarum (nisi mavis diaconissarum.)

DIAPHONIA, ae. Ald. gram. p. 580. Inconveniens diaphonia nascatur.

DICTURA, ae, pro dictio. Virg. gr. epist. 3. p. 58. Omne verbum quod non ad dicturae caput pertineret.

DIGERANDUS, a, um. Ald. gram. p. 566.

DINA, graecismus pro quidam. Evang. Matth vers. antiq. p. 284. Ite in civitatem ad dinan. (Nisi forte interpres nomen proprium indicavit δεῖνα.)

DINDRO, as. Ald. gram. p. 570. Mustelae dindrant.

DINOSCIBILIS, e. Itin. Alex ed. rom. c. 20. Harenis aequalibus diu non dinoscibile est.

DIRECTO, as. Virg. gr. epitom. 6. p. 130. Ordines directat. 360

DISCIPLINALIS, e. Anast. M. 37. p. 420. Disciplinalem operationem.

DISCREDO, is. Virg. gr. epist. 2. p. 25. Quibus nec credere nec omnino discredere licenter audemus. Item epist. 3. p. 59. 63. Denique apud Iul. Valerium de reb. Alex. ed. rom. III. 36. Confer exempla Commodiani in append. Furl.

DISCURSOR, ris. Anast. M. 68. p. 630. Discursor Theodorus.

DISPARGO, is. Iob. XXXI. 9. Si oculum meum subsecutum est cor meum, vel si palpavi munus manibus meis, dispargar, et non congreger. - Hoc et alibi vidi vocabulum in codice, nempe *disparsit*, *dispargendus*. Tum in evang. Matth. vers. antiq. p. 284. Percutiam pastorem, et dispargentur oves. Item Ps. LVIII. 16. Dispargentur ad manducandum.

DISPECTATIO, nis (*di* loco *de*) pro despectio. Ezechiel II. 3. Qui me exasperant secundum dispectationem patrum suorum.

DISPECTO, is. Ald. gram. p. 593. A pecto fit dispecto, idest pectino.

DISPENSATORIE adv. Arnobius in homil. Cyrilli n. 9. Dispensatorie familiarem et propriam esse dicebat. Idem rursus n. 13. Denique Claudius taurin. in comm. ep. ad Philemonem p. 112. Prudenter et dispensatorie.

DISPERTIALIS, e. Sedul. Sc. explan. arg. Luc. p. 180. (Idem est quod Tertulliani *dispartibilis*.)

DISSENTIVUS, a, um. Virg. gr. epist. 3. p. 49. Quidve divisum ac dissentivum, et quicquid concors et consentivum inveneris.

DISTAMEN, is. Sedul. Sc. explan. praef. Hieron. p. 40. Nullum inter se distamen habent. 370

DISTINCTIVUS, a, um. Virg. gr. epist. 5. p. 81. Interposita coniunctione distinctiva

DISTINGUO, is, cuius glossa *destino*. Atto polypt. p. 50. Locoque distinguunt.

DISYLLABATUS, a, um. Virg. gr. epist. 1. p. 16. Si autem disyllabatus fuerit nominativus casus. Item in epist. 3. p. 67.

DO, as, cum accusativo casu. Matth. XX. 4. Et quod iustum fuerit dabo vos. Ita est in cod. vel certe in apogr. Est autem haec rusticana syntaxis. Sic inter fragmenta evangelii secundum Lucam, in mirabili quodam codice litteris magnis saeculi sexti, cap. IV. 3. legebam: daemonium exiit ab illum, nihilque illum nocuit.

DOCIBILIS, e. I. Timoth. III. 1. Oportet episcopum inreprachensibilem esse, unius uxoris virum, subrium, prudentem, ordinatum, hospitalem, docivilem (*v.* pro *b.*), non vinolenium etc. (Diverso sensu est *docibilis* apud Forc.) Lectio autem *ordinatum* pro *ornatum*, confirmatur quodammodo comparatione facta cum II. Thessal. III. 6. *Ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante.*

DOGMATICE adv. Bonif. cons. M. 12. p. 176. Cum eo dogmatice disputabant.

DOGMATISTA, ae. Bonif. gr. p. 482. (In append. Furl. *dogmatistes.*)

DOMINO, as, active. Herembertus in chronico. (Hoc mihi obiter adnotare liceat.)

DOMUCELLA, ae. Inscr. ch. anni 871. p. 234. Domucella cum hortua * sua. Et rursus idem ibi dicitur. * ita inscr.

380 **DONIFER**, a, um. Comm. ad M. C. lib. II. Dicti doniferi, id est dona ferentes.

DONULUM, I. Ioh. Erig. carm. XI. 20. Non despecturos donula nostra fore.

DORMITATIO, nis. Anast. M. 25. p. 259. Dormitatione profunda deprimitur. Item ex vulgato apud Furl.

DRACONA, ae, draconis femina. Anast. M. 34. p. 362. Ecce dracona quae ovum illud generaverat.

DRACONTALIS, e. Anast. M. 34. p. 364. Post dracontalis geniminis exitum.

DRENSITO, as. Ald. gram. p. 570. Olores drensitant.

DUALITAS, tis. Faustus reiensis apud nos serm. de SS. Trin. p. 92. Sub quadam dualitate signari. Vide aliud exemplum in *visionabilis*. Virg. gr. epitom. 5. p. 125. Dualitas coniugalis. Anast. laud. SS. C. et I. p. 27. Insolubilis buius dualitatis. Adde haec unico Cassiodori exemplo in app. Furl.

DUCTATOR, qui viam demonstrat. Auxilius presb. in glossis mss.

DYNAMEUS, i, vel a, um. Codex pervetustus vaticanus (ex quo fragmentum quoque Gargilii Martialis edidimus A. C. T. III.) sic habet in titulis *liber. I. II.' III. dynameus.* Idem est igitur quod *dynamidia.*

DYNAMIDIA, orum. Atto in polyptico, p. 58. Deligat unguenta a summis dynamidiis. Ibique scholiastes explicat: « libris medicinalibus, unde et » dynamidia dicuntur, ubi herbarum medicinae vel curationes scri- » buntur. » Dynamidiorum libros Galeno adscriptos habemus in ed. Chartierii T. X. p. 669. seqq.

390 **EBRIACUS**, a, um. I. Cor. VI. 10. Non avari, non ebriaci, non maledici regnum Dei possidebunt. Hoc exemplum repetitur in codice, nempe operis cap. 74. et cap. 103. Aliud videsis in voc. *erronius*. (Hinc Italorum *ubriaco*.) Confirmatur autem dubium exemplum apud Forcell.

EDOCTE adv. Aeneas gr. apud Virg. gr. episi. 4. p. 73. Edocte, indocte.

EFFATIO, nis. Victorin. comm. ad Ephes. p. 103. Quamlibet de eo pronuntiationem et effationem. Servius hoc vocabulum tamquam usitatum agnoscit apud Forc.

EFFICACIIS, numero plur. Eccli. IX. 4. Ne respicias mulierem multivolam. • Cum saltrice ne adsiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficaciis illius. Sed enim in opusc. vet. ms. ubi citatur hic locus, dicitur *in factis eius.*

EFFOETATVS, a um. Anast. in S. Cyrilli homil. de SS. C. et I. Aniles fabulas et divinantium effoetata coiiudia.

EFFUSIO, pro platycoria, quod est vitium oculorum. Anast. laud. SS. C. et I. n. 9. Alii quidem vitium hoc effusionem, alii vero platycoriam, id est latam pupillam, nominabant.

EGESTO, as, cum glossa *ad egestatem perducere.* Atto polypt. p. 50. Conantur egestare minores.

EGO, is. Virg. gr. epist. 1. p. 13. Cum ergo scribis ago, in praeterito tempore aegi cum adspiratione diphthongi scribito. Ego autem diphthongo careat, et sic declinetur: ego, egis: et in praeterito tempore egi, breviatum.

EGRATUS, a, um, cuius glossa *qui grates non reddit.* Atto polypt. p. 57. Cenodoxus inhiet egratus.

ELEEMOSYNARIUS. Luculent. comm. ad Rom. p. 204. De eleemosynariis dicit qui egentibus necessaria praebent. Adde hoc ad Alcimi exemplum apud Furl.

ELIBATIO, onis (nisi est mendum amanuensis pro *libatio.*) Iohel. I. 13. Dormite in ciliciis qui deservitis Deo, quia cessavit de domo Dei vestri sacrificium et elibatio. 400

ELOCULENTUS, a, um, pro eloquens. Luculent. comm. ad Rom. p. 201. Multi enim eloculento sermone ei composito loquuntur rhetorice.

ELOQUENTIOLA, ae. Virg. gr. praef. p. 2.

EMENDARIUS, a, um. Sedul. Sc. expian. in praef. Hier. p. 38. Lucianus et Hesychius emendarios, immo falsarios, de veteri testamento codices ediderunt.

EMISSUS (non emissarius) dicitur cervus quando cervam sequitur. Opusc. prisc. ms.

EMOLLESCO, is. Schol. ms. ad Iuven. I. 42. Emollescit inde corpus, et eviratum pallet. Vetustior tamen codex *mollescit.* Eadem varietas est in exemplo Celsi apud Forc.

EMPHRAXIS, genus morbi. Bonif. cons. M. 5. p. 117. Ad emphraxin perduxit. Rursus ibidem.

EMPYRICUS, a, um. Ioh. Erig. carm. VII. 4. Sensibili mundo empyricoque polo. Item VIII. 2. XII. 6.

EMPYRIUM, i. pro caelum. Inscr. ch. p. 370. Empyrii regiam penitus nos scandere sumet.

EMPYRIUS, a, um. Victorin. comm. ad Gal. p. 24. Empyrios daemones. Adde exemplo unico Capellae in app. Furl.

410 EMULIS, e, pro utilis. Virg. gr. epitom. I. p. 98. Quam nos valde emulem putamus.

EMULITAS pro emolumentum. Virg. gr. epitom. 3. p. 113. Quae non tam emulitatem quam curiositatem praetendunt. Confer tamen epitom. 2. p. 102. cum adn.

EMUNDATOR, ris. Schol. ms. ad Iuven. III. 38. Emundatores eloacarum.

ENERVITER. Ald. gram. p. 586. Enerviter cedendo succumbit.

EPISCOPA, ae, mater episcopi. Inscr. christ. p. 40. Ubi domnae Theodorae episcopae corpus quiescit.

EQUETUS, i. Ald. gram. p. 579. Eques et equetus unum idemque est.

ERGASTERIUM, i, idest officina medicinalis, ut ait Anast. pass. SS. C. et I. n. 3. Spicil. T. IV. p. 253. Addatur hoc exemplum constantiniano apud Forc.

ERGUM, i. Virg. gr. epist. 5. p. 15. Cuius rei ergum inquirenti mihi. Item epist. 5. Etiam ex aliis ergis genetivus in ·ium· pluralis finiri solet.

ERRONEE adv. Atto polypt. p. 50. Inluderis erronee.

ERRONEUS, a, um, non vagans, sed errore deceptus. Nicetas aquil. in expl. symboli p. 334. Sicut quidam erronei haeretici dicunt.

420 ERRONIUS, a, um. Eccli. XXVI. 11. Mulier ebriaca et erronia, magna ira. Ita in operis capitulo 53. Vocabulum autem *erronia* legitur etiam in capitulo 52; verumtamen ibi *ebriosa*.

ERUPTUANS, tis. Tract. in Luc. p. 205. Nullum modum suavitatis eruptuans. In evangelio tamen Matth. vers. antiq. p. 270. Eructuabor absconsa ab initio saeculi.

EUGENES, nobiles. Atto polypt. p. 48. Eugenes hos si origo protulerit. Apud Furl. non habentur nisi nomina propria.

EUPHRATENSIS, e. Schol. ms. ad Iuven. I. 104. Euphratenses victos Augustus Caesar redegit in servitutem.

EVANGELISTES fem. gen. Ioh. Erig. carm. II. 56. Evangelistes prima (dicit de Magdalena).

EXAGGERATIVE adv. Bis saltem legitur in comm. ms. ad M. C. lib. I. et II. cum graeca explicatione ἐμφατικῶς.

EXAGITATIO, nis. Opusc. vet. ms. in tt. ad Tim. Humanam verecundiam inverecunda exagitatione perturbent.

EXALTATOR et EXALTATRIX. Ald. gram. p. 563.

EXAMENTUM, i. Virg. gr. epist. 1. p. 9. Quaedam nomina duas per omnia declinationes habere noscuntur, ut examentum examen, stramentum stramen.

EXAUDITOR, oris. Eccli. XXXV. 18. Exclamatio vero ad caelum ascendit, et Deus exauditor delectans in illis. Habet etiam vulgatus in app. Furl.

450 EXCEPTORIUM, i. Faustus reiensis apud nos serm. de SS. Trin. Praeparate exceptorium sancti pectoris. Forcellinus non adfert nisi glossam philoxenianam.

EXCEPTRIX, cis. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Parcas constat esse exceptrices, et arcanas, et chartatrices sive librarias Iovis. Idem ter dicitur.

EXDIGNUS, a, um, pro indignus. Iul. Val. de reb. Alex. ed. mediol. II. 42. Patefecit, exdignum se suo nomine existimasse. (Sic enim retinendum videtur, secus atque est in ed. rom.) Ita apud Symmachum orat. pro Synesio n. 5. *excongruus* pro *incongruus*.

EXERCITUDO, nis, cum glossis *experimentum vel probatio*. Opusc. prisc. ms. ad genesim.

EXERRO, as. Deut. IV. 19. Ne respicientes in caelum, et videntes solem et lunam aut stellas et omnia ornamenta caeli, exerretis et adoretis ea. Adde hoc Statii exemplo apud Forc.

EXHIBO, is, pro exhibeo. (Confer alia similia in voc. *misco*.) Coloss. I. 22. Exhibite (non exhibete) vos sanctos et inmaculatos.

EXILIATUS. Opusc. prisc. ms. de Davide. Exiliatus est apud Gethaeos.

EXIPPITO, as. Atto polypt. p. 45. Audeant ne milites contra exippitare. Ibi glossa: *id est hiare, os aperire, et tractum est ab avibus*.

EXISTENTIA, ae. Victorin. comm. ad Philip p. 60. Imago ipsius existentiae.

EXLUCIDO, as. Atto polypt. p. 49.

440 EXOBRUO, is. Prov. XXIX. 22. Vir animosus fodit contentionem, vir autem iracundus exobruet peccata. Testimonium hoc repetitur in operis capitulo 89. Nutat apud Forc. et vocabulum hoc et eius significatio.

EXODIO, is. Atto polypt. p. 48. Exodiunt si quem fortunam tenentem.

EXORATIO, nis. I. Regn. XII. 3. Si ex alicuius manu accepi pro exoratione vel corrigiam calciamentorum, dicite adversum me, et reddam vobis.

EXOSOR, is. Atto polypt. p. 50. Exosor dux est.

EXPARGO, is. Dyn. II. 100. Asphodeli radix conbusta alopecias expargit

EXPECTABILIS, pro spectabilis, cum glossa *nobilis*. Atto polypt. p. 57.

EXPECTO, as, pro specto. Eccli. XXVIII. 20. Qui ad illam expectat, non habebit requiem, nec habetabit * cum requie. Ita prorsus gr. ut iam observavit Sabaterius, οὐ μὴ εὕρῃ ἀνάπαυσιν, οὐδὲ κατασκηνώσει μεθ' ἡσυχίας. *Expecto* pro *specto* alibi vidi in codicibus, et quidem apud Spicil. in Augustini, Arnobii, et Severiani sermonibus. Quin adeo opusc. vet. ms. ad I. Cor. Apostoli expectaculum facti sunt. Idem opusc. ad canon. laodic. vocabulum *ludicris* explicat *expectaculis*.

* ita cod. *e* pro *i*.

EXPECULATOR, explorator. Chron. palat. Spicil. T. IX. p. 123. Quod expeculatores venissent.

EXPERIRE, pro experiri. Compend. vet. music. S. Aug. p. 125. Sed ut experire queas. Confirmatur controversum Catulli exemplum apud Forc.

EXPLETOR, ris. Inscr. ch. p. 86. ex cod. palat. Huius et expletor sancti pulchrique laboris.

450 EXPRESSORIUM, i. Virg. gr. epist. 4. p. 69. Adverbium in duas partes dividunt, unam prisco nomine adverbium vocantes, alteram expressorium.

EXSANGUIS, inis, (non is.) Ald. de sept. p. 503. Exsanguinibus miserorum manibus.

EXSERTIO pro assertio, idest adfirmatio. Herembertus in Ps. 85. Eorum exsertio nihil est. Veluti apud Furl. in append. ponitur *expressio* eodem sensu.

EXSICCITAS, tis. Anast. M. 70. p. 650. Cum extenderetur infirmitas ad exsiccitatem oculorum.

EXSILITIO, nis, pro saltatio. Schol. ms. Iuven. II. 92. Saltria vocatur turpis exsilitio quam agebant Baptae. (Et animadverte *saltria*, fortasse pro arte saltandi.)

EXTER, extri, pro exteri. S. Paulinus carm. II. p. 380. Captivus extris ex tunc germanus in oris.

EXTOLLENTIA, ae. Eccli. XXVI. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum. Habet etiam vulgatus tum heic, tum XXIII. 5.

EXTUBERESCO, is (idem quod extuberasco.) Comm. ms. ad M. C. lib. I. Solent fascia circumligari ne nimium extuberescant.

EXUNDANTIA, ae. Anastasius vel Bonifacius in praef. ad miracula SS. Cyri et Iohannis p. 2. Miraculorum exundantiam intuentes.

FABARIUM, i, instrumentum rusticum (Confer Catonem apud Forcell.) Ald. de sept. p. 507. Cessantibus fabariorum rastrorumque pulverulentis quassationibus.

460 FACIALE, is, linteum ad abstergendam faciem. Bonif.. cons. M. 2. p. 11. Faciali quodam abstergens. Rursus p. 112.

FACILO, as. V. soccito.

FACINEROSUS, a, um, pro facinorosus; nempe a *facinus*, *facineris*; sicuti *pignus*, *pigneris*, *pignerare*. S. Augustinus serm. III. ex codice saeculi septimi, Spicil. T. VIII. p. 719. Quae facinerosi concubitus pactum exhorruit.

FAENERO, as, cum accus. casu. Prov. XIX. 17. Faenerat Dominum, qui miseretur pauperem: secundum autem datum eius retribuetur ei. - Sic in operis capitulo 24. Sed quia cap. 11. scribitur *faenerat Domino*, idcirco res dubia vel certe varia fit.

FANATIZO, as. Schol. ad Iuven. V. 25. Corybas fanaticus, qui ante matris Deûm sacra fanatizatur.

FANISFARIUS, a, um, et FARIUS aut FARIUM. Virg. gr. epist. 3. p. 36. Multis modis ac fanisfariis sensibus. Et mox. Uno tantum fario unoque sensu.

FASTIDIO, as, activo sensu, unde passiv. Atto serm. 12. Sermo abbreviatus ne vulgares fastidiarentur.

FATICINIUM, i. (non vat.) Gloss. vet. mss. ad Aen. X. 68. Cassandrae furiis, id est faticinio.

FATIGABUNDUS, a, um. Comm. ad M. C. lib. I. Fatigabundi equi. Et infra: fatigabundi iuvenis. Denique et tertio: anhelis fomitibus, id est fatigabundis sensibus.

FATIGIUM, i, pro fatigatio. Anast. M. 69. p. 635. Fatigium inciderunt, gr. χαμάτῳ πιπτώκασιν. Pro *labore* utitur Herembertus in chronico.

470 FAVE, pro cave. Deut. VI. 13. Fave tibi, ne obliviscaris Dominum, qui eduxit te de terra Aegypti. - *Fave* quidem non videtur omnino improbandum; in margine tamen recens manus adpinxit *cave*.

FAVUM, i, neutrali genere. Vetus translatio I. Regn. apud opusc. vet. ms. Et favum mellis apparuit collectum ab apibus.

FEMUS (pro femur) nis. Probus gram. p. 250. Hoc femus, huius feminis, huic femini, hoc femus, o femus.

FERALISSIMUS, ex feralis. Opusc. vet. ms. ad can. laodic. de haereticis Cataphrygis. Diabolicum edunt eucharistiae feralissimae sacramentum.

FERMENTACIUS panis. Dyn. I. 7.

FERRICEA, i. Ald. gram. p. 552.

FIAR pro fiam. Iob XIV. 14 Quoniam scio quod etsi mortuus fuerit homo consummans dies vitae suae, non periet coram te, sed vivet. Propter quod et ego sustinebo quousque iterum fiar; et cum vocaveris me, obaudiam. - Hanc huiusce loci interpretationem sequuntur Ambrosius et Augustinus apud Sabat. Ceteroqui *fiam* est apud Ambrosium, sive recte, quod nonnulli credere malent, sive quia librarius aliquis apud Ambrosium refinxit vocabulum. In vetere opusculo, cuius iam saepe meminimus, legitur: *hoc loco tropus est, et est species metonymiae: pro efficiente, id quod fitur.* Apud Furl. Commodianus habet *fiendus*.

FIDUCIALIUS adv. Virg. gr. praef. p. 3. Fiducialius habueris. Apud vulgatum Eccll. XXIX. 31. fiducialiter. Item opusc. vet. ms. in ep. I. ad Tim. Ut fiducialiter possit corripere.

FIGURATIVUS, a, um. Homil. vet. p. 139. Et non iam figurativi sed veri agni carnes degustantibus.

FILAMEN. Anast. M. 28. p. 283. Fatorum habens filamina torta.

FILI, filorum. Bonif. gr. p. 489. Confer Arnob. apud Forc. 480

FILO, as. Luculent. comm. in Matth. p. 191. Non laboraut in filando nec in texendo. Item Auxilius in glossis mss. Filant, id est neut. Denique sic legitur in opusc. vet. ms. ad Luc. ev.

FINALITAS, tis. Ald. gram. p. 575. Ad ostendendam primae declinationis in ablativo finalitatem. Item p. 585.

FIRMATE adv. Virg. gr. epist. 4. p. 72.

FIXUS, us. Itin. alex. edit. rom. cap. 49. Hanc quoque optinet fixu vectium.

FLAGELLATOR, ris. Appon. lib. VIII. p. 40. Acerrimus flagellator.

FLORIET, quasi a florio, is. Ps. XCI. 13. Iustus ut palma floriet. Item Oseas XIV. 6. Floriet ut lilium. Canebat reapse *floriet* in psalterio populus christianus S. Augustini aetate, ut ipse narrat de doctr. ch. II. 13.

FLORISSO, as, verbum frequentativum. Virg. gr. epist. 3. p. 47.

FLUO, is, cum accusativo rei. Iohel III. 18. Et erit in illa die destillabunt montes dulcediuem, et colles fluent lactem.

FOCACIUM. III. Regn. XVII. 12. Et illa dixit: vivit Dominus, si est mihi focacium, nisi pusillum farinae. Et rursus v. 13. Fac mihi inde focacium pusillum. Confer Isidorum apud Furl.

FOCATIVUS panis. Dyn. I. 7. 490

FOEDERAMEN, is. Virg. gr. epist. 3. p. 42. Foederamen scribendi hoc moderantur modo.

FOEDERATOR, ris. Sermo ad Francorum regem. p. 5. Firmus in dictis,

foederator in animo. Item Schol. ms. ad Iuven. V. 31. Inter foederatores et in amicitia coniuratos. (Alius tamen cod. *foederatos.*)

FOLLICENA, ae. Ald. gram. p. 575. Confirmatur hinc controversum apud. Forcell. exemplum.

FORAS, et FORIS, cum accus. casu. Lev. XIV. 45. Et demolient ipsam domum, et materiam eius, et lapides eius, et omnem pulverem domus eicient foras civitatem in locum immundum. Apud Forcell. citatur unus Hieronymus; ego vero et alia exempla videre me memini in mss. In opusc. prisc. ms. Foris sanctuarium (id est extra.)

FORASTICUS, a, um. Ald. de sept. p. 512. Saeculares et forasticae philosophorum disciplinae.

FORTANSAN adv. Bonif. p. 532. Idem est ac *fortassean.*

FORTIM adv. Virg. gr. epist. 4. p. 72.

FORTIUSITER adv. V. comptose.

FORTUNARIUS, a, um, pro fortuitus, a, um. Iul. Val. de reb. Alex. et rom. I. 44. In haec et huiusmodi fortunaria dispositis equis, et itinere proviso.

500 FRATRICIDALIS, e. Anast. M. 63. p. 596. Cain, qui fratricidalis honorem (vide ibi adn.) propositi, ut semper tremeret sortitus est.

FRAUDIUM. gen. plur. Schol. ad Virg. Aen. II. 104. Elegans fraudium color. Addatur aliis exemptis apud Forcell.

FRICAVI et FRICUI. Ald. gram. p. 583. Phocas grammaticus praeteritum tempus frico fricui exposuit. Gregorius vero in tertio dialogi volumine non fricuit, sed fricavit retulit dicens: faciem defuncti fricavit.

FRITILLUM, gen. neutro. Ald. gram. p. 555. (Dicitur enim ibi diserte neutrum.)

FRUEO, es. Luculent. comm. ad Philip. p. 239. Quod qui fecerit, fruebit illam in vitam aeternam.

FRUGIPEDUM. Bonif. gr. p. 491.

FULGOREUS, a, um. Virg. gr. epitom. 5. p. 157. Non tam spiramen, quam fulgoream flammam habet Idem est quod *fulgureus.*

FUMIGER, i. Ald. gram. p. 552.

GABINATUS, a, um, idest incinctus cinctu gabino. Nepotianus Valerii Max. breviator p. 95. Sollemni die gabinatus sacra praeferens.

GALENICUS, a, um. Anast. M. 30. p. 306. Galenicum vocabat medicamentum.

510 GALVA, ae, avis quaedam. Ald. gram. p. 569. Galvae fringillant.

GAMMULA, ae. Virg. gr. epitom. 6. p. 130. Gammulis eisdem indiget.

GANNATURA, ae. Ald. gram. p. 517. Probroso gannaturae subsannantis elogio.

GASTRIMARGIA, ae. Luculent. comm. ad Eph. p. 236. Gastrimargia, ebrietas, comessationes. Idem comm. ad Hebr. p. 255. Per gastrimargiam.

GAUDIMONIUM, i. Iudith VIII. 6 Et ieiunabat omnibus diebus vitae suae, praeter sabbatis * et neomeniis et gaudimoniis domus Israhel. Citatur a Forcelt. unus Petronius. * Ita cod.

GENUCULATIO melius scribitur quam geniculatio. Luculent. comm. ad Eph. p. 218.

GEROCOMIUM, senile xenodochium. Anast. hist. SS. C. et I. n. 3. Cum haberet apud Dorizin gerocomium, deindeque adiacentem gerocomio aulam. (Idem est ac *gerontocomium*.)

GESTICULATRIX, cis. Schol. ms. ad Iuven. VI. 63 Chironomon, id est gesticulatricem

GESTICULUM, i. Supplem. I. Valerii p. 518. Gesticula mansuetudinis superat. Ergo ex illo unico Tertulliani exemplo apud Forcellinum citato *gesticulis*, non *gesticulus*, ut ibi fit, sed *gesticulum* casus rectus efformandus est.

GIPPITUDO, et GIPPUS. Ald. gram. p. 564. et 545. Nisi forte est *pp*. pro *bb*.

GLADIATUS, a, um. Virg. gr. epist. 5. p. 80. Calciatus, gladiatus, scutatus. 520

GLADIO, as. Aeneas gr. apud eundem Virg. gr. loc. cit. Quis gladiabitur in bello ?

GLATTILO, as. Ald. gram. p. 569. Catuli glattiiant.

GLAUCIMANS. Ald. de sept. p. 508. Videtur tamen corrigendum *glaucicomans*.

GLAUCIVIDUS, a, um, cuius glossa *noctividus*. Ioh. Erig. carm. VIII. 3. Ommate glaucivido.

GLOMER, ris. Ald. gram. p. 538.

GLORIATUR, sensu passivo. Atto serm. 11. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus.

GLOTTORO. V. gratulo.

GLUMULA, ae. Ald. de sept. p. 511. Septenas spicarum glumulas.

GLUTINOSE adv. Ald. de sept. p. 516. Glutinosius lentescit.

GRADIBILIS, e. Itin. Alex. ed. rom. cap. 32. Caucasum saxis inconditc arduum, neque gradibilem, ut videbatur. 530

GRADUS, i. Fragm. antiq. p. 218. Deinde velut grados tradet mandata. Sic aliquando in fragm. biblicis vidi *fructos*.

GRAECIAE, arum, plur. num. Itin. Alex. ed. rom. cap. 41. Ait se redire in Graecias. Item Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. cap. 3. Inbeo abire te hinc ad tuas Graecias.

GRAECISCUS, a, am. Schol. ad polypt. p. 44. Graecisca sorbitiuncula.

GRANDINO, as, activo sensu cum quarto casu Anast. laud SS. C. et I. n. 28. Neque grandinaverit non sanctum.

GRASSUS pro crassus. Anast. M. 42. p. 468. Ad speciem grassior (cui mox ibi opponitur *gracilior*.) In fragmentis quoque italicae veteris vidi *grassum* pro *crassum*.

GRATAE, arum, id est Scothi. Apud Iuvenalem ms. IV. 147. pro *Cattis* habetur *Getis*. Ibique Schol. ms: Getae sunt Gothi populi Moesiae. In quibusdam codicibus Gratis legitur, Gratae autem Scothi.

GRATIANUS, a, um. Inscr. ch. p. 345. Thermas gratianas, nempe Gratiani imp. qui in inscriptione nominatur. Adde hoc exemplum in Forc.

GRATIOSITAS, tis. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Gratia, id est venustas vel gratiositas rosei splendoris. Declaratur hinc ambiguus Tertulliani sensus apud Furl.

GRATUITU adv. (ut fortoitu) gratis. Opusc. vet. ms. in Malach.

540 GRATULANTER. Anast. M. 18. p. 218. Gratulanter curant. Item. M. 30

GRATULO, as. Prov. XXIV. 17. Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulare, et in subplantatione eius noli extolli.

GRATULO, as., de avibus. Ald. gram. p. 569. Ciconiae gratulant, glottorant, vel critalant.

GRICIO, is, vel GRINCIO. Ald. gram. p. 541. et 569. Graculi griciunt.

GROSSESCO, is, Schol. ms. ad Iuven. II. 55. Fusum dum fila accipil paulatim grossescit, et in grossitudinem proficit. Et nota *fusum* gen. neutrali, ut apud Symmachum in orationibus.

GRUDDO, as. Ald. gram. p. 569. Grues gruddant, vel gruunt, vel grugulant.

GRUGULO, as. V. gruddo.

GRUO, is. V. gruddo.

GUMMIPEDUM. Bonif. gr. p. 491.

GYARO aptoton. Probus gram. p. 227. Gyaro aptotum reperitur.

550 GYRATUS, pro inversus. Atto serm. 15. Petrus non dubitavit crucem gyratam, caput declinavit ad terram, ut ad caelum erigeret. (Notemus etiam *dubitavit* pro *timuit*, nisi excidit aliquod vocabulum v. gr. *pati*.)

HAERESIARCHA, ae, genere fem. Atto serm. 16. Eo tempore vercellensis civitas, magna totius Italiae paene erat haeresiarcha.

HARENALIS, e. Gloss. vet. ms. ad Aen. IV. 198. Hammone satus, id est harenali Iove. (In codd. passim habet adspirationem *harena* cum derivatis.)

HASTO, as. Horatius iunior apud Virg. gr. epist. 5. p. 80. Hastavere se omnes et calciaverunt, et scutantes se inruerunt.

HEBENUS, i, masc. gen. Schol. ad Virg. gr. II. 116. Nigrum hebenum. Observandum quod masculino genere dixit.

HEGUMENUS, i, dignitas vel officium eccles. Inscr. ch. p. 223. A nobis consecrato hegumeno.

HEIULABUNDUS, a, um. Supplem. Iul. Valerii p. 521. Heiulabundus miserabiliter.

HELLESPONTICUS, a, um. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 58. Philotam iubeo satrapiae praeesse hellesponticae universae. Adde hoc Lactantii exemplo apud Furl.

HELUS, a, um, pronomen. Virg. gr. epitom. 9. p. 138. (Dic potius *ellus*, el conf. Forc. voc. *ecce*.)

HEMISTES vasa sunt, quae uno tantum spiritu bibuntur. Atto polypt. cum schol. p. 46.

560 HEMICADIUM, i. Definitur in scholio *vas olearium*. Atto polypt. p. 54. Effusa distrahere hemicadiis.

HERBARIUS, i, pro veneficus. Opusc. vet. ms. in ep. ad Ephes. Venenarius, id est maleficus seu herbarius. Alibi quoque in hoc opusculo hunc significatum vidi. Legatur Virgilii pharmaceutria, nec non Aen. VI. 19.

HIBERNALIS, e. Anast. pass. S. Petri alex. p. 676. More hibernalis imbris. Habet etiam vulgatus apud Furl.

HICTULENTUS, a, um. Dyn. argum. et I. 40.

HICTULUS, i. Dyn. arg. lib. II. n. 95. hictulos interiores

HISTORIABILIS, e. Chron. pal. p. 129. Secundum typum historiabilis templi.

HISTORIALITER adv. Opusc. vet. ms. Quomodo obscurato oculo visionem vidit? nisi quia historialiter in somnis, quando oculi corporei iam clausi fuerant, per visionem quae dicenda erant angelico ministerio cognovit. *Historialiter* legebam etiam in ms. vetere Persii Scholiaste.

HOMICIDIALIS, e. Anast. M. 27. p. 267. Homicidialibus organis seu gladiis.

HOMILIOLA, ae. Florus de psalt. emend. Scribatur illa homiliola de laude psalmorum.

HOMUNCIONISTA, ae. Opusc. vet. ms. ad can. apost. Paulianistae, quos Homuncionistas vocant.

HONORIFICATIO, nis. Anast. M. 63. p. 599. Condignis honorificationibus celebrantes. 570

HORREPILATIO, nis. Eccli. XXVII. 15. Loquella * multum iurantis horrepilationem statuet. Vulgatus *horrip.* Sic noster in Hieremia V. 30. horrebilia facta sunt. In thesaur. nov. lat. p. 404. *oripilatio* videtur idem quod *horripilatio;* ibi tamen explicatur *nuditas.*

* Ita cod.

HORTICELLUS, l. Inscr. ch. p. 218. Horticellum cum olivis retro ecclesiam.

HORTICOLUS, (mallem horticola) id est hortulanus. Appon. in Cantic. lib. VII. p. 27. Agit horticoli (cod. *horticuli*) vice nesciens Satanas.

HORTO, as. Lucuient. comm. ad Rom. p. 207. Hortabat ceteros apostolus. Herembertus in Ps.' 140. Neminem Deus hortat aliquid mali. Adde haec aliis sive dubiis sive certis exemplis apud Forcell.

HUMANATIO, nis. Explan. symboli ap. p. 390. Sicut divinitate erat consubstantialis patri, sic per humanationem fieret consubstantialis matri. Certe habemus *humanatus* apud Cassiodorum. Ceteroqui codex habuit *humanarationem*, ex quo tamen fieri *humanam rationem*, loci sensus non patitur.

HUMUS gen. masc. Alcuin. in apoc. p. 305. Abscondere fosso humo. Confirmantur hinc alia tum dubia tum certa exempla apud Forc.

HYDRIOLA, ae. Inscr. ch. p. 190. Hydriolam hanc fundi Dunstan mandaverat.

HYMNICUS, a, um. Sedul. Sc. de R. C. cap. 18. Hymnicas laudes retribuebant.

HYMNIDICUS. Sedul. Sc. de Rect. ch. cap. 18. Hymnidicus David. Et mox Hymnidicas laudes. At Firmicus apud Forcell. *hymnodicus.*

HYMNISTA, ae. Ald. carm. A. C. T. V. p. 389. Hymnistae crebro vox articulata resultet. Item Bonif. gr. p. 482. 580

HYMNIZO, as. Anast. M. 35. p. 379. Nos autem martyras iterum hymnizantes. Item Ioh. Erigena carm. I. 12. A. C. T. V. p. 416. Hymnizare licet.

HYPERBATICE adv. V. privatorie.

HYPERBATICUS, a, um. Virg. gr. epist. V. p. 76. Hyperbatico more.

IANIANUS, a, um, a Iano. Atto serm. 3. Ianianas traditiones gentiliumque ritus non metuunt observare.

ICONIUM, i, dies festus ob iconem quandam. Anast. hist. SS. C. et t. n. 14. Publicam festivitatem Alexandriae per singulos annos concelebrant, hanc iconium nominantes.

ILLUMINATORIUM, ii. Anast. M. 36. p. 393. Cum ante illuminatorium facti fuissent. Rursus ibidem p. 398. 399. et 401.

IMBRUMATUS, a, um. Schol. ms. ad Iuven. VI. 153. Homines imbrumatos, fastidiosos dicimus.

IMMACULATE adv. Appon. lib. IX. p. 81. Immaculate viventes.

IMMACULATIO, nis. Victorin. comm. ad Ephes. p. 94. Quid habeat immaculatio.

590 IMPERSUASIBILIS, e. Bonif. cons. M. 12. p. 177. Qui prius fuerat impersuasibilis.

IMPUDORATUS, a, um. Opusc vet. ms. in II. ad Tim. Impudoratum, non erubescentem.

IMPUTRIBILITAS, tis. Appon. lib. VIII. p. 57. Imputribilitatem demonstrando.

INAMBIGUE adv. Anast. M. 27. p. 271. Inambigue sume.

INAMBIGUUS, a, um. Anast. M. 54. p. 554. Manifestum erat et inambiguum.

IN ANTEA. Sermo ad Francorum regem p. 8. Sapientior est qui in antea praeparat.

INCADO, is, pro incido. Prov. XVII. 20. Vir mutabilis lingua, incadet in mala. *Concado* est in glossis antiq. apud nos Cl. AA. T. VII. p. 556.

INCALLO, as. Deut. VIII. 4. Vestimenta tua non sunt extrita, pedes tui non incallaverunt, ecce quadraginta anni sunt.-Citabatur unus Vegetius apud Furl.

INCASTRATURA, ae. Virg gr. epist. 6. p. 85. Videtur similis esse incastraturis quibusdam et nexuris. Extat etiam apud vulgatum. In opusc. vet. ms. Incastratura definitur compaginatio lignorum. In comm. ms. ad M. C. lib. I. sic: ratis proprie est trabium vel lignorum incastratura.

INCAUPONABILIS, e, id est gratuitus. Anast. in S. Cyrilli homil. de SS. C. et I. Veniant ad veram et incauponabilem medicinam.

600 INCAUSATIO, nis. Gloss. vet. ad Aen. IV. 337. Pro re pauca loquar, id est pro incausatione discessus.

INCENDIUM pro inflammatione morbosa. Anast. M. 60. p. 577. De Theodoro qui incendium habuit. Et mox. Inextinguibile incendium sinistrum eius inflammabat pedem. Favet Lucretii exemptum apud Forc.

INCENSORIUS, a, um. Anast. M. 27. p. 268. Cum viscera incensorii maleficii comestione inflammarentur. Denuo idem Anast. M. 47. p. 497. Incensoria vero est haec calx.

INCEPTIVUS, a, um, vel incoeptivus. Bonif. gr. p. 535. Apud Iuvenalem V. 61. *sed forma, sed aetas*, Schol. ms. sic: in quibusdam codicibus legitur « nam forma, sed aetas ». Et tunc graeca figura est, quae fit per coniunctionem. Sed tunc *nam* est incoeptiva coniunctio.

INCESTOR, ris. Appon lib. VIII. p. 67. Falsiloquis et incestoribus.

INCLINUS, pro inclinis, (si sana lectio est.) Namque ubi Iuvenalis III. 36. dicit *verso pollice*, Scholiastes ait *inclino pugno*.

INCOGITATIO, nis. (si sana lectio est.) Hierem. XVIII. 11. Corrigite vias vestras, et incogitationes vestras. Ibi vulgatus habet *studia vestra*.

• ita cod. INCOINQUINATUS, a, um. Sap. III. 13. Felix sterelis * et incoinquinata! Habebit fructus in resurrectione animae. - Retinet vulgatus.

INCOMMIXTUS, a, um. Anast. laud. SS. C. et Ioh. n. 11. Quae fuerant incommixta.

INCOMPREHENSIBILITAS, tis. Nicetas tract. de Sp. S. p. 322. De incomprehensibilitate ipsius Spiritus, Dominus quoque in evangelio dixit. 610

INCONFUSE, adv. V. inconvertibiliter.

INCONFUSIBILIS, e. Anast. hist. SS. C. et I. n. 4. Spem in Deum habitam ostendens inconfusibilem. Adde hoc vulgati exemplo apud Furl.

INCONSEQUENTER. Ferrand. adversus Arrianos p. 173. Praedicabunt autem, quamvis inconsequenter.

INCONTUEBILIS. V. contuebilis.

INCONVERTIBILITER. Explanatio vetus symboli athanasiani apud nos Script. vet. T. IX. p. 407. In uno Christo credimus duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse.

INCREDIBILIS pro incredulus. Eccli. I. 26. Ne sis incredibilis timori Domini. Item II. 18. Prior locus repetitur in codice. Extat Apuleii exemplum apud Forc.

INCURABILIS, e. Anast. M. 66. p. 614. In hydropem incurabilem cadens. Confirmatur hinc glossa philoxeniana, et Cassiod. apud Furl.

INCURVABILIS, e. Anast. M. 36 p. 386. Incurvabilis et immutabilis mansit. Ibidem bis terque. Et M. 63. p. 386. Reddebat incurvabile (non inturb.) collum. Denique Sedulius Sc. de R. C. cap. 14. Incurvabilis superbiae. Est Cassiodori exemplum apud Furl.

INCUSSIO, nis. Schol. ad Iuven. V. 173. Colaphus, incussio colli. (Confer sat. IX. 5.) Adde hoc Iornandis unico exemplo apud Furl.

INDAPIS, e. Virg. gr. epist. 3. p. 45. Insomnes et indapes permansere.

INDECLINABILITER. Appon. lib. IX. p. 81. Futuris bonis indeclinabiliter aciem mentis dirigeret. 620

INDEDICATUS, a, um. Inscr. ch. p. 100. Indedicatam aram reliquit.

INDEPTIO, nis. Sedul. Sc. de R. C. cap. 9. Caelestis indeptione gloriae.

INDIMINUTUS, a, um. Anast. laud. SS. C. et I. n. 24. Custodierit indiminutum.

INDISCIPLINOSUS, a, um. Eccli. XXIII. 17. Indisciplinosae non adsuescas os tuum. - Confirmatur lectio apud Sabaterium. Item fragm. antiq. arrian. p. 219. Lascivi vel indisciplinosi.

INDISCO, is. Homil. vet. ex palimpsesto, Script. vet. T. VI. p. 241. Ex ipso enim indiscunt inmortalem escam.

INDISCUSSE adv. Anast. M. 34. p. 355. Indiscusse festinaverunt.

INDISPERABILIS, e. Argumentum vetus evang. Lucae p. 176. Indisparabilis Dei. Sedulius vero Sc. in explan. p. 179. explicat *indispertibilis*.

INDISPERTIBILIS, e. V. indisperabilis.

INDISRUPTUS, a, um. Ald. de sept. p. 515. Indisruptae caritatis vinculum. Item 516. Attamen p. 563. *indiruptus*.

630 INDUBITANS, idest non dubitans. Inscr. ch. p. 106. ex cod. pal. Indubitante fide reddite cuncti vota. Firma scilicet fide, ut inscr. ch. p. 140: non animo debes non titubare fide; quae petis, impetras.

INDUCTE adv. cum glossa *seducte*. Atto polypt. p. 53. Reputans inducte.

INDUO, is, cum duobus accus. Rom. XIII. 14. Induite vos dominum nostrum Iesum Christum. Item Ephes. VI. 12. Induite vos arma Dei, ut possitis resistere adversus insidias diabuli *. Vulgatus *induite vos armaturam*. Luculent. comm. ad Ephes. p. 225. Quod qui fecerint, induuntur novum hominem. Alcuinus comm. in apocal. ait p. 261: sacrae scripturae consuetudo est frequenter pro ablativo sine praepositione accusativum ponere.

* ita cod.

INDUSIAE, arum. Ioh. Erig. carm. IV. 10. Delegit indusias (Glossa ibi *vestimenta*.)

INELEGUS, pro exlex vel inelegans. Atto polypt. p. 55. Iugalem ducere inelegum. Nisi potius *inelegum* est plur. gen. ab *inelex*.

INENUCLEO, as, id est enucleo. Ald. gram. p. 526. Inenucleare studeas.

INEXSECUTIO, nis. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. II. 31. Inefficacem illam inexsecutionem Alexander laboraret. Sicuti a sequor, insequor; ita ab exsequor, fit inexsequor. Hinc nomina derivata.

INFIENS, tis. Virg. gr. epitom 3. p. 112.

INFIRMANS pro infirmus. Alcuin. comm. in apoc. p. 273. Ad infirmantem corporis partem sermo recurrit. Item Anast. M. 37. p. 418.

INFIRMIS, e. Prov. XXXI. 4. Potentes iracundi sunt; vinum non bibant, ne cum biberint obliviscantur sapientiam, et rectum non possint iudicare infirmibus. Item Act. XX. 33. Omnibus vobis demonstravi, quoniam sic laborantes oportet auxiliari infirmibus, et memores esse verborum Domini. (Idem testimonium recurrit in alio operis capitulo, sed ibi amanuensis scripsit *infirmis* pro *infirmibus*.) Exemplum unicum extabat ex Amm. Marcellino apud Forcell.

640 INFLAMMATOR, ris. Ald. gram p. 563.

INFRADUCTUS, a, um. Inscr. chr. p. 39. Temporibus domni Paschalis papae infraducta sunt veneranda sanctorum corpora in hanc basilicam. (*infra* pro *intra*, vel *intro*, non est infrequens in mss. Equidem vidi *infraductio* pro *introductio* in opusc. vet. ms.)

INFRANGIBILIS, e. Opusc. vet. ms. ad Hierem. Eo quod indomitus sit et infrangibilis (adamas.) Confirmatur hinc repudiatum a Forc. exemplum Senecae.

INFULGENS. Alcuin. comm. in apoc. p. 263. Gratia infulgente, ex servis peccati in filios iustitiae adoptati sumus. Hoc ponatur indubitabile exemplum apud Forcell.

INGREDITE, pro ingredimini. Inscr. ch. p. 21. Templum ingredite cuncti.

INGUEN, is, masc. genere. Anast. M. 22. p. 237. Usque ad inguinem.

INIMICARI. Eccli. XXVIII. 5. Quis praestabitur pro delictis eius? Memento novissima, et desine inimicari.

IN INVICEM. I. Thessal. V. 15. Semper quod bonum est sectamini in invi-

cem. Rursus *in invicem* bis in italicae veteris fragmentis ad Rom. XV. 5. et 7.

INIQUITATIUM, pro iniquitatum. Eccli. XXI. 4. Quasi rhomphaea bis acuta, iniquitatium vindex. Item Ezechiel. VII. 19. Quoniam tormentum iniquitatium eorum factum est Sic apud Virg. gr. epist. 1. p. 16: civitatium, virtutium, quietium.

INIURIANS. Hierem. XXII. 3. Eripite direptum de manu iniuriantis eum. Repetitur hoc testimonium alio loco in eodem opere. In prisco opusculo ms. legebam *iniuriatus*, cum glossa *iurgatus vel rixatus*.

INLUDO, is, cum quarto casu. Ps. CIII. 26. Draco iste quem formasti ad inludendum eum. Luculent. comm. ad Rom. p. 206. Ferventibus appropinquare non audent maligni spiritus, tepidum vero inludunt. 650

IN MANE. Eccli. XXXI. 24. Dormiet usque in mane. Item Amos VIII. 4. Audite igitur haec qui opprermitis * in mane pauperes.

* Ita cod.

INMENSURABILIS, e. Tract. in Luc. p. 202. Fluctus inmensurabiles. Adde alii exemplo apud Furl.

INNATIVITAS, tis. Victorin. de physicis p. 150. Ad unum (Deum) innativitas pertinet, ceteris exclusis ab innativitate.

INNUBIALIS, e, idest innubis. Sedul. Sc. de R. C. cap. 9. Caelum innubiale.

IN OBVIAM. I. Thessal. IV. 16. Rapiemur in nubibus in obviam Christo.

INOPINOR, aris, pro opinor. I. Val. de reb. Alex. ed. rom. I. 43. Id consilium dissici (disiici) Alexander facilius inopinatus.

IN PALAM. Matth. VI. 6. Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi in palam. Extat etiam in ev. integro vers. antiq. apud nos tom. cit. p. 260.

INPARTIBILIS, e. Fragm. antiq. p. 233. Deum sine initio esse, innascibilem, inpartibilem, invertibilem.

INPLICATUS, us, substantivum. I. Petr. III. 3. Quarum sit non extrinsecus capillorum inplicatus, aut auri circumpositio. - Lectionem *inplicatus* confirmat Ambrosius apud Sabaterium.

INPLICITATIO, nis. Victorin. de physicis p. 155. Hac inplicitatione eum liberabat. 660

IN POSTMODUM. Inscr. ch. p. 217. Vel in postmodum offerta fuerint.

INREFRAGABILIS, e. Bonif. cons. 144. M. 9. p. 144. Inrefragabile putabatur.

INREMEDIABILITER. Opusc. vet. ms. in II. ad Tim. Haereticorum vitanda colloquia, ne per aures inremediabiliter vulnerent mentes.

INREPARABILITER. Vidi alicubi in meis editionibus, sed loci non memini.

INREPREHENSIBILITER. Arnobius in homil. Cyrilli n. 3. Rite inreprehensibiliterque celebretur. Virg. gr. epist. 2. p. 25. Nec praesumi inreprehensibiliter possit. Anast. M. 47. p. 496. Qui inreprehensibiliter vixerunt. Habetur unicum exemplum apud Furl.

INSALSUS, a, um. Luculent. comm. ad Rom. Probat homo cibum, utrum salsum an insalsum (ita cod. non insulsum), dulce an amarum.

INSIGNATUS, a, um (reapse in notis tiron. insigno, as). Gloss. vet. ms ad Aen. I. 509. Fores templi elaboratas coloribus, insignatas historiis

INSPIRAMEN, is. Opusc. vet. ms. ad psalter. Deus inspiramine suo volun-

tates eorum ad suum velle converlit. Confirmatur unicum Cassiodori exemplum apud Furl. ttabet etiam Caugius ex conc. tolet. Vt.

INSTRAMENTUM, i. (Sic enim ibi dicendum est, non *instrumentum.*) Augustin. serm. III. ex codice saeculi septimi apud nos Spicil. T. VIII. p. 719. Dum itaque in unius discubitionis instramento iactati. (Sic habemus *instragulum* pro *stragulum.*)

670 INSUBSTANTIVUS, a, um. Anast. M. 28. p. 278. Insubstantiva coëgerat habitudo. Habet etiam S. Irenaei interpres apud Cangium.

INSULTATOR, ris. Ald. gram. p. 563.

INTEMPESTUM, i. subst. altior noctis pars. Ald. de sept. p. 514. Conticinio, intempesto, crepusculo.

INTEMPORALITER pro aeternaliter. S. Ambrosius in ep. de fide apud nos Script. vet. tom. VII. p. 159. Sempiterna atque intemporaliter una eademque potentia genitoris et geniti. Item opusc. I. de Sp. S. ibid. p. 251. Intemporaliter a patre esse progenitum.

INTERCAPITO, as. Virg. gr. praef. p. 5. Frequenter divisa intercapitant opuscula.

INTERCEPTE adv. Opusc. vet. ms. in Prov. Intercepte, obrepte, subrepte.

INTERCORNIUM, i. Schol. ad Iuven. XII. 8. De intercornio hostiae pili evellebantur.

INTERDICTUS, us, pro interdictum. Gregorius magnus in inscr. ch. p. 211. Sub interdictu anathematis. Rursus ibid Item p. 214. Bis legitur etiam in opere unde sumpsimus fragmenta italicae veteris, in titulo capituli de interdictu idololatriae.

INTERNO, as, pro penetro. Virg. gr. epitom. I. p. 97. Ea, quae supra hominem sunt, internat ac pandit.

INTOLLEBILIS. Num *intollibilis?* An potius mendum pro *intolerabilis?* (ibi gr. ἀφόρητος.) Anast. M. 36. p. 383.

680 INTRANSGREDIBILIS. Ferrand. adv. Arr. p. 182. Intransgredibile habet sacerdotium. Cassiodorus apud Furl. habet *intrangressibilis*

INTRINSECUS, a, um. Appon. lib. VIII. p. 71. In intrinsecis mentis.

INTUEBILIS, e. Virg. gr. epist. 3. p. 61. Iste intuebilis mundus quattuor constat elementis.

INTUERE, pro intueri. Fragm. antiq. arr. p. 218. Potest ea quae praeparata sunt semper intuere bona. Sic apud Furl. etiam Commodianus.

INTYBA, ae. Anast. M. 38. p. 431 Intybarum suco ad curationem usus.

INVADO, as, pro invado, is. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 52. Neque contempnendo periculo invadari a quopiam posse.

INVENIABILIS, e. Appon. lib. VIII. p. 72. Inveniabile erit iudicium.

INVENTUOSISSIMUS, a, um. Virg. gr. epist. I. p. 14. Hic Cicero inventuosissimus est in omni arte.

INVERTIBILIS. Fragm. antiq. arr. p. 233.

IOCO, as. V. *conviciose* in appendice nostra, et addesis unico Plauti exemplo apud Forc.

690 IPSEVE adv. Virg. gr. epitom. 9. p. 138

IRRISORIE adv. Schol. ms. ad Iuven. 65. Ut irrisorie ac despective stoicidas, non stoicos, vocaret. Item VI. 275. Appellat maritum irrisorie curucam.

IRRUGATUS, a, um. Luculent. comm. ad Rom. p. 204. Non cum irrugata facie.

IUGER, ris, gen. masc. Opusc. vet. ms. in Isaiam. Decem iugeres vel diurnales. Habet etiam Papias.

IUGILO. V. Iurio.

IUVAMENTUM, i. Bonif. cons. M. 1. p. 107. Nullumque ex eis inveniens iuvamentum. Item Galen. compend. lat. ms. libror. duor. ad Glauc. de med. meth. cap. 35. Cum ex his iuvamentis ad melius profecerint. (Itali reapse dicimus *giovamento.*)

LAC genere masc. Vide in voc. *fluo*. Et adde Ben. Crisp. carm. medic. A. C. T. V. p. 397. Conveniet calidum lactem potare caprinum. Item Dyn. I. 32. Lactuca lactem plurimum nutrit feminis. Et II. 35. atque 90. Lactem provocat.

LACTA, orum, plur. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 12. Lactorum feminam laevi uberis primum alimenta praestare.

LACTIGER, a, um Appon lib. IX. p. 84. Quae mammas lactigeras porrigendo.

LADASCA, ae. (quonam significatu?) Ald. gram. p. 556.

LAETAMEN, et LAETITIES, pro laetitia. Virg. gr. epist. 1. p. 9. 700

LAICALITER adv. Opusc. vet. ms. ubi David ait « porro haec via polluta est. » monetur in hebraeo legi *laica est*. Tum paulo post subditur « tu laicaliter interrogas. » Habet etiam Ioh. de Ianua.

LAMENTARE se. Evang. Matth. antiq. vers. p. 281. Et tunc lamentabunt se omnes tribus terrae.

LAMPADITAS, tis. Virg. gr. epitom. 4. p. 122. Lapides dicuntur de sua lampaditate, quia ex eis lampades ignis accenduntur.

LANIPENDIUM, i, diverso sensu atque est apud Forc. Etenim ad Iuven. II. 54. ita Scholiastes ms: vos autem viri abutimini mulierum officiis, nentes et lanipendia carpentes. Rursusque VI. 474. Libram dicimus pensum lanae Hinc librarium, lanipendium, quo lana appenditur. Apud Forc. adiective *lanipendius, a, um.*

LAPICULUS, i. Virg. gr. epitom. 8. p. 132. Lapia, ex quo habes lapiculum.

LAPITHIUS, nomen gentile. Anast. M. 55. p. 556.

LATOMUS, faber murarius. Anast. pass. S. Petri alex. p. 684. Et assumentes latomos. Confirmatur hinc Hieronymi exemplum apud Forl.

LAUDIFER, a, um. Bonif. cons. M. 11. p. 168. Voces laudiferas emittentes.

LAVABILIS, e. Scholiastes antiquus ms. ad Statii Achilleidem I. 58., qui est ab edito Luctatio diversus. « Triplici telo. Hic tres potestates aquae designantur, potabilis, navigabilis, lavabilis. » Ceteroqui inanem esse hanc neptunii tridentis interpretationem, diximus nos Spicil. T. VIII. p. 42-43. in adn.

LAVASCO, is, inchoativum τοῦ lavo. Ald. gram. p. 560. 710

LECTUALIS, e Opusc. vet. ms. ad I. Regn. Lectualia, id est stratoria vel tapetia. Confirmatur dubium apud Forc. exemplum; sed conferatur Cangius, qui recitat certiora exempla.

LENITIES, ei. Scholiastes ad Cicer. in Clod. et Cur. A. C. T. II. p. 206. in adnot. ut certe habet codex.

LENTIOLUM, i. (non linteolum.) Dyn. II. 16 Folia lapacii opere calido obruito, lentiolo inducto: collectiones maturas sine ferro rumpunt. (Ital. vulg. *lenzuolo.*)

LEPORIA, ae. Virg. gr. epitom. 3. p. 112. Nostrae philosophiae artes sunt multae, grammatica, leporia, dialectica.

LEPORICUS. Virg. gr. epitom. 3. p. 112. 113. A rhetoribus ac leporicis secundum illectam voluntatem saepiter usurpantur. Et mox. Quoniam de rhetoribus ac leporicis mentiuncula facta est.

LEPTOMERIS, cum glossa *subtilis*. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 2. Leptomerin diaetam accipiant.

LEPTOPYRIA, ae. Galen. ms. ad Glauc. I. 35. Frigore et febre recedentibus, sudor consequitur et leptopyria.

LESTUS, a, um, tenuis. Ald. gram. p. 565. Lestis filorum staminibus. Conferatur *sublestus* in lexicis.

LEUCOZOMUS. Adnoto ob definitionem. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 24. Leucozomo utentes, id est aquae multum, olei modicum. (Itali dicerent *brodo lungo.*)

720 LIBRARIUM, i, substantive. V. lanipendium.

LIBRARIUS, novo sensu. Schol. ms. ad Iuven. X. 109. Librarium dicit macellarium qui carnem vendit. Dictus a libra, nam olim carnes venales ad pondus librae vel cuiuslibet mensurae vendebantur.

LIMITOR, oris. Ald. gram. p. 584. Portitores, limitores, funditores.

LIMOSITAS, tis. Galen. compend. lat. ms. cap. 97. Urinae limositas augmentum doloris significat.

LINIATUS, a, um (non lineatus.) Virg. gr. epitom. 3. p. 109. 110. Quaedam prosa, quaedam liniata, quaedam etiam mederia ponuntur. Et mox: liniati versus, quinque semper metris metiri debent.

LINOFA, ae. Schol. ms. ad Iuven. VI. 275. Curucam vulgo linofam dicunt vel cuculam, eo quod ova cuculi ac si sua nutriat.

LINOSTIMUS, a, um. Anast. pass. S. Petri alex. p. 679. Linostimum erat indutus colobium. Et quidem apud Isidor. X. Orig. XIX. 22. pro *linostema* substantive, malo legere *linostima* adiective, nempe *linostima est vestis* etc. Reapse *linostima* legebat Papias.

LIPOPSYCHIA, (al. cod. lipothymia) animi defectus. Galen. comp. lat. ms. cap. 78. Si frigus, et lipopsychia, et oculorum caligo fuerit. V. etiam in voc. *malfactio.*

LIPPIDULUS, a, um. Sedul. Sc. explan. in arg. Matth. p. 162. Lippidulis fortasse oculis.

LITIGATIO, nis. Gloss. ms. ad Aen. VI. 819. De uxorum pudicitia litigationem inii Arruns. Item Schol. ms. ad Iuven. VI. 284. Vitium, in quo de-

prehensae fuerint, administrat eis fomenta irarum et litigationum. Confirmatur hinc dubium Lactantii exemplum, et gloss. philox. apud Forc.

LITIGOSUS. Vide in voc. *docibilis*. Mendum tamen esse suspicor amanuensis, quoniam idem codex ad Tit. tit. 2. habet *litigiosus*. 230

LIXOPYRITUM, i, cuius glossa *cataplasma*. Atto polypt. p. 58. Item Galen. compend. lat. ms. cap. 22. Cataplasmata lixopyrita, id est frigida, adhibenda sunt. Et paulo post traditur horum faciendorum ratio.

LOCUSTINUS, a, um. Translatio quaedam velus bibliorum I. paralip. apud opusc. vet. Bruchus, pullus locustinus.

LOCUTE adv. Virg. gr. epist. 4. p. 72.

LOGODAEDALUS. Schol. ms. ad Sedul. I. 43. A Daedalo fabro ingeniosissimo dicimus daedalos ingeniosos, et logodaedalos subdole loquentes. Apud Forc. legitur *logodaedalia*.

LONGARIUS, a, um. Schol. ms. ad Iuven. VIII. 229. Syrma ponitur pro tragoedia. Et etiam syrma longaria manus.

LORDUS, λουρώπους, pedibus infirmis homo. Bonif. cons. M. 7. p. 125. Ad Mennam lordum transibimus. Item Anast. M. 55. p. 556. De Theodoro cyprio, qui a magia factus est lordus. Idem est qui apud Iuven. II. 23. *loripes*, quod vocabulum Scholiastes ms. explicat *lorlos habens pedes*.

LOTA, ae. Schol. ms. ad Iuven. V. 81. Squilla genus piscis optimi et delicati, quem vulgo lotam vocamus. - Fortasse dicendum heic *flutam*. Certe Varro muraenam sic appellatam dicit apud Forc.

LOTIFER, i. Ald. gram. p. 552.

LUBRUM, i. Schol. ms. ad Aratorem II. 689. Lubrum dicimus lignum rasile et planum. Inde delubra dicuntur templa, scilicet a lubro, id est rasili ligno. Eadem verba repetit Scholiastes ms. Sedulii ad lib. II. 221, qui et vocabulum *lubricus* indidem derivat. Recitat hoc vocabulum etiam Papias.

LUCICOMUS, a, um. Conq. Ludov. Pii p. 198. Lucicomum sidus. 240

LUGO, is, pro lugeo. Iohei I. 13. Lugite deservientes altario. Item Matth. V. 5. Beati qui lugunt, quoniam ipsi consolabuntur. Haec lectio *lugunt* non in fragmentis tantummodo extat, verum etiam in ipso Matthaei integro textu versionis veteris a nobis edito Script. vet. T. III. part. 2. p. 258.

LURCULUS, fortasse diminutivum τοῦ lusus. Virg. gr. epist. 8. p. 94. Galbungi ludus est etc. mei quoque lurculi, etsi in cunctis tibi pareant minimi.

* ita cod. LURIO, is. Ald. gram. p. 570. Milvi lesiunt, vel iugiant *, vel iuriunt.

LURIO, is. Vid. Lugio.

LUSCUS pro mutilus. Schol. ms. ad Iuven. VII. 128. Statuae aliquando gypseae fiebant, quarum membra propter vetustatem mutilabantur. Solet enim vetustas aliquid detrahere corporibus, ideoque dicit « lusca statua » id est quibusdam membris fracta.

LUXURIATOR, lasciviens vel ludens. Opusc. vet. ms. in proverb. Salomonis.

MACELLATOR, ris. Gloss. ms. ad Iuven. VI. 216. Lanistis, id est carnificibus vel macellatoribus. Item V. 95. Novit hoc vocabulum Hugutio.

MACHAERA, ae, dictum de loco quodam. Schol. ms. ad Iuven. VII. 9. Machaera vocabatur locus in macello, ubi maxime auctiones conmercii fiebant; unde et macellum dicitur: vel a machaera id est gladio, vel a mactandis carnibus. » Facit enim hic Scholiastes non ignobiles explicationes, veluti VI. 543. voc. *sacerdos arboris*, sic intelligit: « Iudaei semper plurimum volebant in lucis habitare, aut sacrificare, ideoque dicit: sacerdos arboris. » Item v. 379. *in manibus densi*, ut ipse legit, ita interpretatur: « Densus est proprium eunuchi, quem sibi faciebat domina matrona cithara canere.» Sic etiam VII. 40. ubi in nupera Ruperti editione ponitur *maculosas aedes*, pro *Maculonis aedes*, Scholiastes noster haec habet. « Nomen est divitis avari, qui ne quid donaret poëtis, ipse recitabat; vel certe domum suam locabat poëtis divitibus, ut illic recitarent data mercede. » Insuper VII. 204. quae Gragnaeus apud veterem Scholiastem dicit se legisse de Thrasymacho, noster dicit de Secundo sic: « Carras civitas est Hispaniae, unde fuit Secundus orator, qui Athenis prae egestate furtum perpetravit, et suspendio periit. »

MACROCOMITES, nomen gentile a Macrocome seu longo castello. Anast. M. 61. p. 582.

750 MACRONOSIA, ae (graecum est). Galen. comp. lat. ms. cap. 3. Macronosiam, id est longam aegritudinem, faciunt. Saepe id vocabulum recurrit; veluti cap. 67. Si non eis auxilio fuerit medicina, vadent in macronosian.

MACULENTUS, a, um. Dyn. I. 25. Colore maculentus. Est etiam in not. tiron.

MADASCA, ae. Ald. gram. p. 556. Apud Cangium est voc. *madascia*.

MAGNAMINITER. Bonif. cons. M. 9. p. 147. Praeconium magnanimiter vociferans. Rursus M. 12. Item Victorinus comment. ad Ephes. p. 124.

MAGNATUS. Ter saltem ego legi in fragmentis italicae veteris *magnato*. Semel quidem agnoscit vulgatus. Est item in glossis antiquis apud nos Cl. AA. T. VIII. p. 567.

MAGNIANIMUS, a, um. Iohel II. 13. Convertimini ad dominum Deum vestrum, quia misericors et patiens est, et magnianimus, et multum misericors, et patiens in malignitatibus. In glossis antiq. apud nos tom. cit. p. 567. scribitur recto casu sing. *magnanimis*.

MAGNILOQUIUM, i. Anast. M. 54. p. 550. Magniloquiis congregans.

MAGNISONE adv. Anast. M. 42. p. 463. Magnisone praedicatur. Et laud. SS. C. et t. n. 10. Magnisone praedicantem.

MAGNISSIMUS, a, um. Virg gr. epitom. 6 p. 131. Nulli numero negatur sive magnissimo sive midissimo.

MALEBIT pro malet. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 58. Rhodi degere, vel in eo quem malebit loco. (Sic in fragmentis biblicis vidimus *cadebit*, *metuebit*.)

760 MALFACTIO, nis. Galen. comp. lat. ms. cap. 15. Lipopsychia non deest, hoc es malfactio, vel animi angustia. Et infra cap. 29. Nunc de malfactionibus et angustiis me convenit dicere. De his qui in aegritudinibus vel sym-

ptomate, atque frequentibus angustiis, id est assidua malfactione laborant. Facit frequenter etiam indigestio nimia ciborum malfactionem. Et cap. 30. Curatio malfactionum ex choleribus. - Alibi saepe in comp. et integr. hoc Galeno ms. Tum etiam Dyn. II. 15. *malefactio*, legi debet *malfactio*.

MALFIO, is, verbum (unde malfactio, eiusdemque usus in re medica.) Galen. comp. lat. ms. cap. 29. Alii angustantur vel malfiunt, prae habundantia cholerûm. Et mox: mulieres malfiunt et deficiunt frequenter. Et cap. 30. Si deficit atque malfit aliquis. - Et saepe alibi.

MALOR, ris. Galen. comp. lat. ms. cap. 15. Nam synochum malorem intellegis, id est homotonum (ital. vulg. *malore*.)

MANALIS. Dictis apud Forcell. adde schol. ad Attonem p. 54. « Manales dicebantur petrae, quas antiqui in modum cylindri per limites verrere solebant pro pluviae commutanda inopia. »

MANE, genere fem. Chron. palat. p. 126. Traditus est Pontio Pilato praesidi prima mane. Rursus p. 127.

MANIFESTATIM. Virg. gr. epist. 3. p. 48. Ipse manifestatim ordo tenet.

MANSIONARIUS, substantive. Inscr. ch. p. 215. In usum tantummodo mansionariorum. Et alibi. Habet vocabulum hoc Cangius.

MANTUENSIS pro mantuanus. S. Bened. Crisp. poëm. medic. Ad Maurum mantuensem praepositum.

MANUPOSITIO. Fragm. antiq. arr. p. 222. Manupositionibus suis praeponunt Patrem Filio.

MAREOTENSIS, incola Mareotidis. Anast. M 45. p. 482. Hic enim mareotensis erat.

MARTISIUM est cibus in mortario factus, unde et nomen adsumpsit. Atto polypt. cum schol. p. 46. Habet etiam Isidorus. 770

MARTYRIALIS, e. Anastasius pass. S. Petri alex. p. 673. Martyrialibus laureis sit coronatus. Item praef. ad mirac. SS. C. et I. p. 10. et 17. Martyriale certamen. Novit etiam Cangius.

MARTYRICUS, a, um. Anast. laud. SS. C. et I. 33. Martyrico pelago. Item M. 19. 23. 38. et alibi.

MARTYRIZO, as, id est martyrium patior. Anast. laud. SS. C. et I. n. 23. Cum propter Christum martyrizabat.

MATREA, ae, uxor patris, noverca. Opusc. vet. ms. in levitic Idem est fortasse quod *matra* apud Furl. Sed tamen etiam Cangius legebat *matrea* in mss.

MATURATO adv. Schol. ad Virg. Aen. VII. 266. Si maturato filiam conlocaverit.

MEDERIUS, a, um. V. iliniatus.

MEDIATUS, a, um. Vide in *coniacens*.

MEDICINALITER. Anast. M. 30. p. 310. Medicinaliter operari sanitates. Item Galen. comp. lat. ms. cap. 28. Stomachus curandus est confricationibus rationabilibus etc. omnia medicinaliter etc. calidamentis etiam et cucurbitis levibus. Et op. integr. ad Glauc. I. 26. Certis ac probatissimis rebus medicinaliter adhibitis. Habet Furl. in app. ex Ennodio.

MEDICULUS, i Anast. M. 40. p. 448. Mediculus quidam hunc saevo videns dolore fatigatum. Item M. 67. p. 626. Qui mediculum in templum suum adduxerat. Confer Cangium.

780 MEDIOCEA, cuius fem mediocris. Bonif. gr. p. 483.

MELANCHAERIS, dis. Dyn. II. 16. Lapacii agrestis sucus melanchaeridas curat.

MELARIUS, Ald. gram. p. 537. Malus, si arbor fructifera fuerit, quae melarius vocatur. Confer Cangium.

MELE, es, ex. gr. μηλη, instrumentum chirurgicum. Anast. M. 28. p. 285. Cum melen sanctorum tetigisset.

MELODICE adv. Anast. M. 68. p. 633. Semper melodice canere repromittens.

MELOGRAPHUS, i. Anast. M. 69. p. 641. Cum melographo (Davide) clamans.

MEMBRULUM, i. Ben. Crisp. p. 396. Mollia membrula.

MEMOROR, aris, deponenti forma. Apocal. XVIII. 5. Et memoratus est Deus iniquitates eius. Habet vulgatus.

MENINX, gis. ex gr. Ben. Crisp. p. 393. Penetrat si forte meningas. Fortasse tamen meninga, ae. Sic enim scribitur apud Galen. comp. lat. ms. cap. 50. Menbranae quibus meninga cerebri involvitur.

MENSUUM pro mensium. Atto bis in serm. 3.

790 MENTIUNCULA, ae. V. teporicus.

MENUTHES vel Menuthis, idolum aegyptium. Anast. M. 66 p. 613, et in hist. SS. C. et I. n. 15. et 16.

MERCEDO, as. Schol. ms. ad Iuven. III. 234. Meritoria sunt loca in quibus mercimonia adquiruntur, quae merent vel mercedant. (ita cod.)

MERCIMONIA, ae (nisi est mendum pro mercimonio) Ald. gram. p. 599. Corporeae sustentationis edulium antiquarii scriptoris mercimonia indemptus est.

MERCURII, vocativus casus. Probus gram. p. 221. Quaeritur qua de causa, o Mercurii, per duas I. scribatur etc. Et ideo, o Mercurii, per duas i. litteras scribi pronuntiatur.

MERIFICO, as, vinum efficio. S. Augustinus serm. III. apud nos Spicil. T. VIII. p. 720. Interim Christus insipidos haustus merificat (in nuptiis Cana.)

METANOEA, sacra aedes quaedam Alexandriae. Anast. in homil. S. Cyrilli de SS. C. et I.

METIRE pro metiri. Compend. vet. music. S. Aug. p. 124. Metire tamen difficile est. Et mox. Nisi hic brevis illa metiatur syllaba.

METITUS, a, um, pro messus. Iudic. XV. 5. Et succendit spica eorum, et quae metita erant, sed et vineas, et oliveta.

METOR, aris (adnoto tantum propter significatum.) Comm. ms. ad M. C. lib. I. Metor proprie est eligo. Metatis circulis, id est electis.

800 METUEO, es. Eccli. XVIII. 27. Homo sapiens in omnibus metuebit.

MIDISSIMUS, a, um, pro minimus. V. magnissimus.

MILICINA farina. Dyn. t. 14.

MINORATIO, nis. Anast. M. 60. p. 521. Suae minorationis plorabant. Et

notemus *ploro* cum sec. casu. Item Ferrandus adv. Arr. p. 172. Minoratio secundum carnem accepit initium. Adde haec aliis exemplis in append. Furl.

MINTRIO, is. Ald. gram. p. 570. Mures mintriunt vel muniunt. Hoc adnoto ob variam lectionem apud. Forcell.

MINUTATUS, a, um. Vide in voc. *abomino*. In fragm. arr. apud nos p. 220. *comminutare*.

MISCELLANEUM, i, caena gladiatorum (Forcellinus non agnoscit nisi plurale *miscellanea*, *orum*.) Schol. ms. ad Iuven. XI. 20. Miscellaneum vocatur caena gladiatorum.

MISCO, is, pro misceo (uti vidimus respondo, lugo, exhibo.) Apocal. XVIII. 6. In calice quo miscuit vobis, miscite duplum. Item in opusc. vet. ms. de elephante dicitur: temperanter miscitur feminae suae. In Galen. comp. lat. ms. *admiscis*, et *miscis*, non semel, et *miscimus*. Sedulii vero Scholiastes ms. ad II. 128. sic: « Secunda coniugatio cum amittit id quod habet ante .o., transit in tertiam. » Quod idem infra repetit praedictus Scholiastes. Hinc in Galen. comp. lat. ms. cap. 37. vidi etiam *submorduntur*.

MISEREOR, eris, cum quarto casu. Prov. XIV. 21. Qui miseretur pauperem, beatus est. Rursus XXII. 9. Qui miseretur pauperem. (Sed hoc alterum repetitum alibi in codice testimonium habet *pauperi*.) Item Oseas I. 7. Filios autem Iuda miserebor, et salvabo eos domino Deo ipsorum. Conf. voc. *faenero*. Extabat dubium Gratii Falisci exemplum apud Forc.

MISSATICUM, i. Comm. ms. ad M. C. lib. I. ibi internuntia, ibi missatica fiunt.

MITRO, as. Virg. gr. epist. 5. p. 80. 810

MOLLIFICO, as. Ioh. Erig. carm. I. 52. Digneris pacto mollificare tuo.

MOLLIUSCA legitur in Schol. ad Sedulium IV. 47, quod ab aliis apud Forc. scribitur *mollusca*.

MONACHALIS, e. Inscr. ch. p. 181. Hic igitur monachale decus per saecla nitescat.

MONACHICE adv. Bonif. cons. M. 11. p. 165. Religiose et monachice conversantis.

MONASTRIA, ae, etiam sing. numero, qui deest apud Forcell. Anast. M. 44. p. 480, (et mox p. 481.) Post somnium monastriae retulit. Extant exempla apud Cangium.

MONITRIX. Nepotianus epitom. Val. Max. p. 97. Cervam habuit, quam persuasit barbaris monitricem sibi esse. Item Abbo quaest. gram. p. 338.

MONOPEDA, ae, vehiculi genus. S. Augustinus serm. 1. apud nos Spicil. T. VIII. p. 715. Fecit sibi potentissimam monopedam. Confer Cangium voc. *monopedae*, qui tamen in alios sensus abit.

MONOSYLLABATIM, vel monosyllabatus. Virg. gr. epist. 3. p. 67.

MONTALIS, e. Opusc. prisc. ms. Alia translatio (III. Regn. XX. 23.) Montales sunt dii illorum, et nos in montuosis pugnavimus.

820 MONTIUS, a, um. Probus gram. p. 184. A monte montius et montanus.

MORTIGENA. Incr. ch. p. 107. Nam sub mortigenae quidam latuere gehennae verbere.

MOSAYZO, as, et MOSAYCE adv. Anast. laud. SS. C. et I. n. 24.

MUCCIO, is. Ald. gram. p. 569. Caprae mucciunt.

MUCIO, as, pro susurro. Atto polypt. p. 45. Per veredarios muciant cautos. Item. p. 50. Num pro *musso*?

MUCISSO, nis, strepitus videtur. Atto polypt. p. 50. Buteones, quos neoterici stipant, quorum plaudente caterva mucissonem audies.

MULCATUS, a, um, cuius glossa *prolatus*. (Hinc promulgo.) Atto polypt. p. 57.

MULITAS, is. Virg. gr. epitom. 2. p. 102. Mulitatem in coniugibus.

MULITUDO, is. Virg. gr. epitom. 4. p. 121. Mulier a mulitudine sexus. (Dicerem mollitudine, nisi vetaret mulitas).

MULTIPERTITUS. a, um. Virg. gr. epitom. 8. p. 132. Qualitas nominum non bipertita, sed multipertita est Apud Plin. *multipartitus*.

830 MULTIPHAGUS, a, um. Ben. Crisp. p. 392. At si multiphagi quatiuntur turbine dentes.

MULTISSIMUS, a, um. Virg. gr. epitom. 8. Appellativa nomina multissimas species habent.

MULTIVOLUS, a, um. Vide in voc. *efficaciis*. Retinet etiam vulgatus. Porro in glossis antiquis a me editis A. C. T. VII. p. 569. explicatur *desideria habens in multis*. Itemque *multis delectationibus* (*deditus*). Itali dicimus *di molte voglie*.

MUNDIFICO, as. Bonif. cons. M. 1. p. 102. Mundificare mandantes.

MUNIATOR, puto pro *monitor*. Nam Scholiastes explicat *consiliarius*. Atto polypt. p. 45.

MUNIO, is. V. mintrio.

MURMURIUM, i. Sedul. Sc. de R. C. cap. 18. Absit murmurium.

MUS, pronomen, a gr. ἐμός. Virg. gr. epitom. 9. p. 139. Mus, gen. mi, dat. mo, acc. mum, o mi, a mis. Fem. ma, mae etc.

MUSCIFER, a, um. Anast. M. 23. p. 247. Musciferum illud vulnus facto rataplasmate resperserunt.

MUSTATIUM, i. Schol. ms. ad Iuven. VI. 202. Mustatium dicitur malum vinum, quasi quod musti similitudinem, et non saporem habet. Bonum vinum primo apponitur, et postquam ebrii fuerint, mustatia propinantur, quia bibentes nesciunt bonum discernere iam vinum: unde haec dicit donanda crudis, id est ebriis et indigestis. - Porro videant philologi, num forte Cicero ad Att. V. 20. ludat in vocabulis *Bibulus* et *mustatium*, vinolentiam Bibuli irridens, cum ait: *imperator Bibulus coepit lauream in mustaceo* (dic *mustatio*) *quaerere*. Quamquam scio paulo aliter hunc locum fuisse hactenus intellectum.

840 MUTIFICO, as. Virg. gr. epist. 3. p. 40. Quodammodo mutificatur.

MUTTUM, i. Anast. M. 64. p. 602. Non patrem claro saltem mutto vocavit. Extant alia exempla apud Cangium.

MYURUS vel MYURINUS. Ald. gram. p. 533.

NASCERE pro nasci. Chron. pal. p. 130. In civitate David nascere voluit Christus. Sic Itali adhuc dicimus *nascere*. Hinc confirmatur dubium Catonis exemplum apud Forc.

NATIO, nis, pervulgatissimum quidem vocabulum: sed tamen antiquus Ciceronis vat. interpres orat. pro Sextio ed. nostr. p. 156, dicit *nationis* infame aliquando esse vocabulum. Reapse in antiquis glossis apud nos A. C. T. VII. p. 570. sic definitur: *nationes, vagi homines in montibus habitantes sine lege atque rectore*.

NAULOMACHUS, epitheton ab officio. Bonif. cons. M. 6. p. 122. Naulomachus, cui Gegdaeus fuerat nomen.

NECROSIS. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 22. Necrosis dicitur caro vel membrum quod penitus mortuum est, et sine sensu. • Addesis hoc in app. Furl. unico Caelii Aur. exemplo.

NEDICENDUS, a, um. Opusc. vet. ms. in II. Petri epist Nefandorum, nedicendorum; nefandus nedicendus. (Certe pari analogia utrumque scribi potest.)

NEQUUS, a, um. Eccli. XIX. 3. Erit nequa putredo, et vermes hereditabunt illum. Et XX. 26. Supervacuitas nequa homini mendacium. Item XXV. 31. Anima humilis facies tristis, et plaga cordis, mulier nequa et contraria viro suo. Item XXVI. 10. Mulier nequa; qui tenet eam, quasi qui tenet scorpionem. Denique XXXVII. 30. Tempta animam tuam; et si fuerit nequa, non des ei potestatem. Ubique vulgatus habet *nequam*. Passim vero *nequissimus* in codice nostro, et apud vulgatum. Unum ponam exemplum ex fragmentis nostris Baruch II. 8 qui auctor citatur sub nomine Hieremiae. • Et non sumus deprecati Dominum, ut averteremus unusquisque a cogitationibus cordis sui nequissimi. *Nequa* est etiam in alio glossario nostro vat. A. C. T. VI. p. 535.

NEUNT, pro nent. Matth. VI. 28. Considerate lilia in agro, quemadmodum crescunt, non laborant, neque neunt, et nuda non sunt. Porro *neunt* legitur etiam in integro Matthaei evangelio, vers. antiq. p. 261, et in glossis A. C. T. VII. p. 570. Tibullus metri evidentiâ vocabulum confirmat apud Forceli.

NEXURA, ae. V. incastratura. 850

NITAE, quod legebam perspicue in palimpsesto interpretum Virgilii Aen. VII. 608. haud scio an sit corrigendum NICAE id est *victoriae*. Etenim *nice* a Latinis quoque videtur aliquando usurpatum. Addo comparationis loco verba Scholiastae ms. ad Iuven. III. 68. Niceteria dicuntur quae gestabant athletae in capite, et erat ibi depictum quotiens vicissent: unde etiam nicetae, in quibus victoriae sunt descriptae. (Apud hunc Scholiastem tamen nicetas indicat athletas.)

NITIDIFICO, as. Glossa ms. ad Iuven. XIV. 60. Verre pavimentum, id est nitidifica. Certe *nitido* est apud Forc.

NOCEO, es, cum quarto casu. Exod. XXII. 21. Advenam non nocebitis, nec tribulabitis. Omnem viduam et orphanum non nocebitis. Si au-

tem malitia nocebitis eos etc. Alibi saepe in biblicis fragmentis vidi eamdem syntaxim. Item Galen. comp. lat. ms. cap. 8. Ne incongrua adhibendo potius homines noceamus. Confirmantur hinc dubia apud Forc. exempla.

NOMINABILIS, e, id est celebris. Bonif. cons. M. 11. p. 164. Imperiales medici, qui prae ceteris sunt nominabiles.

NON, otiose positum. I. Regn. XII. 5. Testis est Dominus in vobis, et testis est Christus eius in hodierna die, quia non invenistis in manu mea nihil. Item Amos VI. 6. Unguuntur, et non dolebant nihil in interitum Ioseph.

NOTAMEN, nis. Atto polypt. p. 53. Notamen facile. Addesis unico apud Furl. exemplo Servii.

NOVELLUM, i, substantive, id est germen vitis novellum. Isaias. V. 7. Vinea domini sabaoth, domus est Istrahel; et homo Iuda, novellum dilectum.

NUCICLA, amygdala, quasi nux brevis. Auxilius in glossis mss. Habet etiam Papias.

NUGAS per omnes casus et numeros indeclinabile. Probus gram. p. 236.

860 NULLIFICO, as. Virg. gr. epist 3. p. 40. Infirmantur et nullificantur. Videsis Forcell. voc. *annihilo*. Extant alia exempla apud Cangium.

NUMERIUS, a, um. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom III. 36. Hic effigies plurimae etc. renuebant numeriam aestimationem.

OBAUDITIO, nis, id est obedientia. I. Petr. I. 14 Quasi filii obauditionis, non conmiscentes vos illis prioribus ignorantiae vestrae desideriis.

OBAUDITOR, ris. Victorin. comm. ad Philip. p. 62. Obauditor usque ad mortem.

OBLATIOR, comparative. Sap. III. 14. Et sors in templo Dei oblatior. Bonorum enim laborum fructus bonae famae, et quae non excidat * radix sapientiae. Vulgatus pro *oblatior* scribit *acceptissima*. * ita cod.

OBLIVIOSE adv. Virg. gr. epist. 3. p. 55. Ne non tam de industria quam obliviose ponere putaretur.

OBMORTUUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 5. Si manserint ipsa loca nigra et quasi obmortua facta, non phlegmones sed loci ipsius deformem colorem etc. scalpellando purgabis. Et cap. 22. Nunc dicendum est tibi etiam de cancrena, id est de quasi obmortua carne vel cute, et ariditatis nigredine squalenti. Et cap. 1. Quasi obmortui et sordidi sanguinis indices.

OBNISUS, us, subst. Itin. Alex. ed. rom. cap. 16. Damascum capit obnisu levi.

OBOLA, ae, cum glossa *conferta*. Atto polypt. p. 54.

OBREPTE adv. V. intercepte

870 OBSCULTATOR, ris (pro auscultator). Opus. vet. ms. in ep. II. ad Thess. Obscultator, curiosus

OBSEQUIA, orum, significatu mortuario. Schol. ms. ad Sedul. III. 68. Obsequia proprie sunt quae mortuis inpenduntur, videlicet quando ad sepul-

turam deportantur. (Manet haec notio vocabuli in lingua gallica; a latinis enim auctoribus dici solent *exequiae*.) Sic alii loquuntur apud Cangium.

OBSEQUOR, et OBSEQUIUM, in re medica. Galen. comp. lat. ms. cap. 28. Clystere utimur, si venter non obsequitur. Et cap. 6. Obseqnia ventris atque vessicae facilia vel difficilia. Item cap. 52. Si urinae multae fient, vel ventris obsequia. Et ad Glauc. I. 37. Habent urinam subalbidam et lividam, ventrem sine obsequio. Et I. 14. Si venter non obsequitur.

OBSERVAMENTUM, i. Virg. gr. epist. 7. p. 91. Sed hoc observamentum utrimque confusum est.

OBSIDIALIS, e. Itin. Alex. ed. rom. cap. 18. admotis obsidialibus machinamentis.

OBSIDIOR, aris. Cic. pro Scauro A. C. T. II. p. 312. Coniuratio vi intercludatur, obsidietur insidiis (id est insidiae insidiis vincantur.) Praeponatur ergo Ciceronis hoc exemplum illis Columellae et Commodiani apud Forc. et Furl.

OBTRECTUS, a, um. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Limos dicimus strabos, id est obtortos vel obtrectos oculos habentes.

OCCLUSIO, sive obclusio. Galen. comp. lat. ms. cap. 33. Obiecta nimietatis mole obclusionem meatibus facit. Multoties recurrit hoc vocabulum.

OCTOBRIUS, pro october. Chron. pal. p. 125. Mense octobrio. Item gloss. ms. ad Aen. IX. 668. Haedi oriuntur mense octobrio. Servius *octobri*.

OCULOSUS, a, um. Ald. gram. p. 579.

ODIO, is. Ps. XCVI. 10. Odite malum. Item Eccli. V. 17. Qui susurrio 380
est, odietur. Et rursus XVII. 23. Nimis odito exsecrationem. Vide aliud exemplum in voc. *abomino*. *Odiunt* et *odiet* in Matth. vers. antiq. p. 49. et 259 260. Item Luculent. comm. ad Rom. p. 205.: non sufficit odire malum. Et rursus ibid. Denique serm. ad regem Franc. p. 7. Vide ne eum odias, quem Deus diligit.

ODORIFICOR, aris, dep. forma. Cantic. Canticor. VIII. 5. Quaenam est haec quae discendit * a deserto? Sicut vitis propago fumo incensa odorificatur.

* ita cod.

OFFERTURUS, pro oblaturus. Chron. palat. p. 123. Munera offerturi. In inscr. christ. p. 89: hoc opus a nobis offertum. Item p. 217: vel in postmodum offerta fuerint. Luculent. homil. in Ioh. p. 194. Agnus occisus est in Habel, offertus in Isaac, immolatus in Aegypto. Apud Forc. habetur *offertor*. Confer etiam Cangium.

OFFOCATUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 17. In aëre angusto vel offocato. - Alibi, nempe I. 14., occurrit verbum *offoco*, quod agnoscit Forc.

OGDUALIS, e, et OCTENUS, a, um. Virg. praef. p. 5. Has ogduales orationis partes, octenis me (epistulis) expositurum.

OLEAGO, nis, sordes oleaginae. Anast. M. 9. p. 148. Deiecta est in lubricam quandam oleaginem

OLENICUS, i. Schol. ms. ad Iuven. X. 237. Olenicus, humero debilis; nam ὠλὴν dicitur cubitus. Hinc et ulnae.

OMNICREANS. Sedulius Sc. de R. C. praef. Omnicreans dominus. Et cap. 18. Nam Deus omnicreans. Habet voc. etiam Cangius.

OMNIFARIE adv. Appon. lib. VIII. p. 63. Totum se omnifarie suavissimum reddidit.

OMNIMODATIM. V. catizo.

890 OMOPHORIUM, i. Anast. pass. S Petri alex. p. 687. Omophorium relaxans a collo. Item p. 689. Videsis eius definitionem apud Cangium.

OPIFICINA, ae, pro opificium. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 51. ubi de curru quodam ait: mira opificinae maiestas.

OPS, is, dicitur misericors, eo quod libenter opem ferat. Atto polypt. cum schol. p. 50.

ORAMA, tis, visio. Ald. de sept. p. 505, et 506. In eodem apocalypseos oramate. Item Atto polypt. p. 56. In oramate se cernens imperii indutum chlamyde. (Graecum est.)

ORATORIUS, a, um, orando Deum aptus. Anast. pass. SS. C. et I. n. 15. Spicil. T. VI. Oratoriis totam urbem domibus adornavit. (gr. προσευχή.)

ORBUS. Schol. ms. ad Sedul. II. 126. Orbus dicitur captus (cod. captis) oculis; orbatus vero, filiis privatus. Idem ibi inferius repetitur. Confer etiam voc. *posicus*.

ORDINABILITER. Sedul. Sc. de R. C. cap. 1. Ordinabititer disponat. Rursus cap. 19. Item Comm ms. ad M. C. lib. I. Non confuse aut passim vocandi erant, sed distincte et ordinabiliter. Habet S. Zeno veron. apud Cangium.

ORDINATO, pro ordinate. Schol. ms. ad Iuven. XV. 42. Romani cuncta ordinato faciebant.

ORGANALIS, e. Comm. ms. ad M. C. lib. II. Αὐλοὶ dicuntur fistulae organales.

ORGANIZO, as, organis cano. Sedul. Sc. de R. C. cap. 18. Organizare decet.

900 ORIGO. Virg. gr. epitom. 8. p. 137. Origo origonis neutrum est, et est vetum navis, in plurali origona.

ORIRE pro oriri. Tract. in Luc. p. 193. Ut uberiorem orire commendet progeniem.

ORNITHOMANTIA. Schol. ms. ad Iuven. VI. 448. Iudaeus haruspex exta inspicit columbarum, Armenius vel Syrus pullorum, id est facit ornithomantiam.

ORPHANITAS, tis. Anast. M. 51. p. 531. Orphanitatis successor. Rursus ibid. p. 534. Orphanitati patres effecti. Extabat unicum Alcimi exemptum in append. Furt.

OSANUS, a, um, avicularis. Ioh. Erig. carm. III. 14. Quod validis pennis osana colla secant. Num *oscina?* Ibi tamen glossa *osana*, *avis*. An potius hebraice loquitur pro *osanna?*

PABULO, as, pro pascor. Inscr. ch. sub Leone et Constantino Impp. p. 228. Sues pabulent silvarum glandifera poma.

PADULE, is, pro palude. Isaias XLI. 18. Quae sine aqua est, erit in padule. Equidem metathesim potius vitiosam hanc existimassem, praeser-

tim quia parallelus locus XXXV. 6. in codice habet *paludes*. Verumtamen quia *padule* apud Italos, praesertim vero in Etruria, dicitur pro *palude*, sed cum differentia quadam (v. gr. *il padule di Fucecchio*, *il padule di Castiglione*) vocabulum hoc ab antiquitate manare non est incredibile. Legatur etiam Cangius.

PAENITERI, passive. Conquestio Ludovici Pii apud nos Spicil. T. VI. p. 200. Cognovi per plures iam paeniteri quod taliter fidem ruperint.

PAGANISSIMUS, a, um. Sedul. Sc. de R. C. cap. 18. Alexander magnus paganissimus.

PALAESTRIZO, as. Schol. et glossis ms. Iuven. II. 53. Paucae palaestrizant. Recurrit vocabulum ad satyr. III. Scholiastes quoque ad Lucanum IV. 612. More palaestrizantium. Citabatur unus Boëthius in app. Furl.

PALANCARIUS, i. Inscr. ch. p. 315. (quamquam haec non est christiana in- 910
scriptio) Palancariis, qui de Ciconiis (locus erat Romae) ad templum cupas referre consuerunt. Confer voc. *palanca* apud S. Augustinum serm. III. Spicil. T. VIII. p. 722.

PALATIOLUM, i. Inscr. ch. saeculi octavi p. 236. Dedit ei rex Pipinus fiscum palatioli (nisi forte est nomen proprium.)

PALE pro pugna, ut apud Statium et Sidonium. Iul. Paris p. 38. Pompeius magnus Pharsali pale victus.

PALENS, tis. Opusc. vet. ms. in Ezech. Nonnulli pro distinctione palmae, palentem palmum appellare consueverunt. (Melius tamen Isidorus in differ. Palma in corpore, palmus in mensura.)

PALUDESTRIS, e. Galen. comp. lat. ms. cap. 61. De volatilibus vel avibus utendum illis maxime, quae non aquosis vel paludestribus nutriuntur locis. Et ad Glauc. II. 8. Paludestris herba quae lotus appellatur. - Citabatur hactenus unus Cassiodorus a Forc. et Furl.

PANCRATIARIUS, i. Ald. gram. p. 554. Pancratiariorum pompae in scamma (dic scammate) palaestrico peraguntur.

PANCRATION, aris. V. trophicus.

PANDAX, cis. Prov. IX. 13. Mulier stulta et pandax. Vide tamen dicta ibi in adnot.

PANDECTI, orum, (non pandectae, arum). In ms. magno lexico vatic. pervetustae aetatis bis citantur PANDECTI MEDICI, uti dictum est A. C. T. VII. p. 463. Igitur quaestio de genere huius vocabuli iam definiri videtur, praesertim quia graece quoque est masc. οἱ πανδέκται. Reapse hoc titulo extiterunt collectiones medicae, quae instar dynamidiorum erant.

PANEFICUS pro panifex. Schol. ms. ad Iuven. VIII. 159. Unguentarii et panefici, id est pistores et coci.

PANICULA, ae. Schol. ad Virg. G. III. 391. Ita Panos et Paniculas voca- 920
verunt.

PANUCULA. Ald. gram. p. 587. Veluti panucula quaestionis involuta. item p. 574. In notis autem tironianis *panuncula*.

PARABOLARIUS, i. Tract. in Luc. p. 192. Parabolarius caelestis.

PARACME (παρακμή). Galen. comp. lat. ms. cap. 9. Siccitas perseverat usque ad paracmen, id est usque ad statum temporis declinantis.

PARAPLEXIA, ae. Galen. comp. lat. ms. cap. 79. Urina pinguis si sine febre senibus venerit, paraplexiam facit. - Citabatur a Furl. unus locus Caelii Aur.

PAREGORICUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 28. Utimur etiam cucurbitis surdis paregoricis. Habet etiam Theod. Prisc. in app. Furl.

PAREGORIZO, as, graecismus a παρηγορέω, *mitigo*, *medeor*. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 1. Lucidus nimis, et calidus locus, relaxat corpus; frigidus et obscurus constringit; mediocriter ex his temperatus paregorizat, id est mulcet. Item Dyn. II. 71. Chamaedryos trita cum calida podagricis paregorizat mire. Confer etiam Cangium. Si ergo receptum fuit *paregoricus*, quid ni *paregorizo*?

PAROXYSMUS, i. Galen. comp. (et integr.) lat. ms. cap. 8. Post commotionem et impetum paroxysmi, id est primae commotionis. Id ibidem repetitur. Tum cap. 41. Ante paroxysmum, id est ante commotionem febris.

PARRUS, i. V. tinnipo.

PARSITO, as. Ald. gram. p. 570. Sturni parsitant.

930 PARTHENICUM mare inter Phoenicen et Cyprum. Anast. M. 55. p. 556.

PASCEMA, tis. Atto polypt. p. 47. Perstringunt viscera pascemate. Ibique schol. « Pascema panis est aegyptius permodicus, quo ipsius loci monachi substentantur. »

PASSERATIM, more passerum. Bonif. gr. p. 528.

PASTILIS, e, pro pasticus. Schol. ms. ad Iuven. III. 228. Exercitum pastilem ovium.

PATAGO, nis. Atto polypt. p. 58, ibique scholion. Inter pataginem et patagium hoc differt: patago est exulceratio oris, quod cum intumuerit, paene elinguem facit: patagium vero est pallium ex auro purpuraque variatum.

PATISSO, as, verbum inchoativum. Virg. gr. epist. 3. p. 47.

PATRIGENAE, arum. Glossa ms. ad Iuven. XIII. 38. Quondam indigenae, id est patrigenae, primi homines.

PATRINUS, i, ille qui suscipit a fonte baptismatis. Homilia in codice septimi vel octavi saeculi reperta. Sacerdos in fontes eum mergit, et patrinus eum suscipit. Legatur etiam Cangius.

PATRIOTICUS, a, um. Schol. ms. ad Iuven. IV. 33. Municipes, patrioticos hoc loco significat. Et paulo post: municipes siluros, patrioticos pisciculos. Item ad XIV. 271. Denique gloss. ms. ad XI. 159. patriotica vina.

PATULA, ae. Schol. ms. ad Iuven. IV. 72. Patinae diminutivum patula, a patello. (ita cod.)

940 PAULULO, as. Ald. gram. p. 570. Pavi paululant.

PAUPERA, adiectivum Tobias IV. 23. Et noli conmoveri, fili, quod pauperam vitam gessimus: habes enim multa bona, si custodieris hereditatem praeceptorum meorum. Confer Servii exemplum apud Forcell. *Pauperus* scribitur etiam in thes. lat. apud nos A. C. T. VIII. p. 475. Chartam quoque Desiderii regis citat Cangius.

PAXEMATICUS (vel potius paxamaticus) panis. Bonif. cons. M. 6. p. 124. Cum paxematico pane.

PECORARIUS, I. Opusc. vet. ms. in genes. Opilio pastor ovium, sive maior pecorariorum. (Itali dicimus *pecoraro.*)

PECUATUS, a, um, cuius glossa *stultus*. Atto polypt. p. 54. Suggillare iuvat pecuatos.

PECUDEUS, a, um, pro pecudalis. Explanatio vetusta symboli apost. Script. vet. T. IX. p. 385. Nisi forte quispiam ita sit pecudeus, ut expers rationis merito indicetur.

PECUIS, sexto casu plurali. Iul. Val. de reb. Alex. edit. rom. I. 44. Una servitiis pecuisque

PEDESTRAE, pro pedestres. Evang. Matth. vers. antiq. p. 272. Turbae secutae sunt eum pedestrae de civitatibus.

PEGASO, nis, cuius scholium est: pegaso homo iocularis aut vilis persona, et declinatur pegaso pegasonis. Atto polypt. p. 54. Cangius citat glossas mss.

PENETRAL, pro penetrale. Schol. ms. ad Iuven. XIII. 205. Adytum dicebatur penetral templi, ex quo vox numinis respondentis audiebatur. Adde exemplo Symmachi apud Furl.

PENSATURA, ae. Virg. gr. epitom. 3. p. 108. In quacumque pensatura phona sint. 950

PENTECASUS, id est quinque casuum. Virg. gr. epitom. 9. p. 138. Sunt praenomina quae pentecasibus utuntur.

PENTERUBINA, ae. Dyn. II. 118. Bryonia vocatur ei penterubina, a numero granorum quinque.

PENTESCHEMUS versus. Ald. gram. p. 519. et 528.

PERCANTO, as. Atto serm. 3. Si credulitatis symbolum vel semel percantent. Habet etiam Cangius.

PERCOGITO, as. Gregorius magnus in inscr. ch. p. 212. Permovemur pro venerabilium piorumque locorum percogitare stabilitate.

PERDIGESTUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 17. Vino reficiemus albo, tenui, perdigesto, et veteri.

PERDONO, as, non tam pro ignosco quam pro condono. Herembertus in Ps. 50. Non perdonavit ei Dominus mortem filii sui (nempe nati ex Bersabea.) Sed tamen multum fuit quod ei perdonavit. (Mansit hoc vocabulum in vulgari Italorum lingua.) Item opusc. vet. ms. ad Ruth IV. 6. ubi propinquus cedit Rutham Boozo dicens: cedo iuri propinquitatis, locum do, perdono legi. Extant sequioris aetatis exempla apud Cangium.

PERENDINO, as, procrastino. Atto polypt. p. 49.

PEREXTENSUS, a, um. Virg. gr. epitom. 3. p. 100. Perextensi autem versus usque ad XII. perveniunt.

PERFODIRI. Evang. Matth. vers. antiq. p. 281. Non sineret perfodiri domum suam (non sine bona analogia, nempe a *perfodio.*) 960

PERFORATIO, nis. Schol. ms. ad Arat. I. 1031. Perforatio lateris Christi in cruce pendentis.

PERFRICATIO, nis. Galen. lat ms. ad Glauc. I. 16. Prodest maxime his talibus stomachi vexationibus etiam perfricatio manuum atque pedum. Et cap. 19. Sola perfricatione et deambulatione utentes. Denique II. 17. Blandae (id est planae) manus perfricatione.

PERFUNCTORIUS, a, um. Comm. ms. ad M. C. lib. II. Caducis et mortalibus, id est labilibus et perfunctoriis. Item Schol. ms. ad Iuven. VI 138. Amor cito transit et perfunctorius est.

PERIACENS, tis. Bonif. cons. M. 9. p. 146. Periacentium infirmorum multitudinem monstrant. Gr. κατακειμένων ἀσθενῶν τὸ πλῆθος ἐδείκνυον.

PERIERO, pro peiero. Matth. V. 33. Andistis quia dictum est antiquis, non perierabis.

PERINANS, tis. Itin. Alex. ed. rom. cap. 33. Nuntiatur iam planiora perinantibus (quasi *perambulantibus.*)

PERIPLEUMONICUS. V. pleumon.

PERISSUS dies. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 51. Diem sive quem artium, sive quem dicimus perisson. Artii sunt pares numero dies (critici), ut puta duos aut quattuor aut sex. Dies perissi sunt impares, ut tres, quinque, septem. Et rursus paulo infra.- Adde haec in app. Furl. voc. *perissus;* non enim mediocriter res hinc declaratur.

PERIURO, as. Sap. XIV. 28. Aut vivunt iniuste, aut periurant cito. Ceteroqui utrumque *periero* et *periuro* agnoscit Forcellinus. Confer etiam apud nos thes. lat. p. 473.

970 PERLAMBENS. Atto polypt. p. 44. Cura perlambens. Verbum *perlambo* Alcimi est in app. Furl.

PERLASSUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 9. Si vero animi aegritudo febrem commoverit, id est tristitia aut cupiditas, pulsus perlassus et tenuis invenitur.

PERMETO, is, idem fere quod meto. Lev. XIX. 9. Et metentibus vobis messem terrae vestrae, non consummabitis messem agri tui permetere, et quae cadent ex messe tua non colliges. Verbum *permetere* confirmat Augustinus apud Sabaterium.

PERMINOR, ris. Luculent. comm. ad Rom. p. 214. Arriani dicunt Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum vero sanctum perminorem. Et p. 224. Pater maior, Filius minor, Spiritus sanctus perminor Patre et Filio.

PERMORTUUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 22. Dicuntur cancrenae non permortuae carnes, sed adhuc morientes, et nescio quantulum vitae sensusque retinentes nigroque horrore foedatae.- Apud Furl. Commodianus habet verbum *permorior.*

PERNICIO, nis, pro pernio, non semel in Dyn., puta lib. II. 100. Immo et apud meum Gargilium. Furl in append.

PEROPTIMUS, a, um. Aeneas gr. apud Virg. gr. epist. 5. p. 74. Optimum est, et valde peroptimum. Hoc tamen vocabulum nominatim improbat Palaemon apud Putschium p. 207.

PERORDITUS, a, um. Virg. gr. epist. 4. p. 68. Historica expositio si recte ac ratabunde fuerit perordita.

PERPERUS, a, um. I. Cor. XIII. 4. Caritas non est perpera. Et sic omnino legebat etiam auctor opusculi vet. in I. ad Cor. Perpera, est mala, prava.

PERPESSIOR, oris. Virg. gr. epist. 3. p. 52. Perpessiore laetantes intellectu.

PERPESSOR, ris. Explan. symb. ap. p. 395. Quia non erunt possessores 980
vitae aeternae, erunt perpessores mortis aeternae.

PERPETITOR, ris, cuius glossa *tolerator*. Atto polypt. p. 51. Perpetitores in supernum aget.

PERPETUALITER. Remigius comm. In Oseam proph. Script. vet. T. VI. part. 2. p. 105. Sine ulla misericordia permanent perpetualiter a Deo ablegati. Confer Cangium.

PERPLICO, as. Bonif. gr. p 513.

PERPLURIMUS, a, um. Florus de psalt. emend. Script. vet. T. III. part. 2 p. 252. Iliam notissimam interpretis (Hieronymi) epistulam ad Suniam et Fretelam getas conscriptam, in qua perplurimos codicum nostrorum errores confutat.

PERSECUTUS, passive. Chron. pal. p. 131. Persecutus ab Herode. Extat aliud Palladii exemplum apud Forc.

PERSEQUI passive. Homil. vet. Script. vet. T. III. p. 139 Helias maximus prophetarum cum persequebatur a Iezabel. Sic etiam Hyginus apud Forc.

PERSOLLICITUS, a, um. Homil. vet. Script. vet. T. III. part. 3. p. 136. Quidam insaturata cupiditate persolliciti.

PERSON, nis. Virg. gr. epist. 5. p. 75. Aeneas scribens mihi, quoddam nomen ita declinavit: person, personis, personi, personem.

PERSONATIVE adv. Bonif. gr. p. 528. Personative, ut mecum, tecum, secum. (Quo loco nos diximus corruptam esse lectionem *percunctative* apud Charisium.)

PERSONATUS, us. Comm. ms. M. C. lib. I. Secundum dignitatem suae no- 990
bilitatis et personatus. Extant alia, sed infimi aevi, exempla apud Cangium.

PERSTUS. V. adorus.

PERSUADIBILIS, e. Anast. M. 28. p. 281. Intonant persuadibilia verba.

PERSUASIBILITAS. Sedul. Sc. de R. C. cap. 10. Persuasibilitas seu affabilitas in verbis.

PERVAGATIO, nis. Explan. symb. S. Athan. p. 409. Cogitatio sine pervagatione.

PERVARIUS, a, um. Anast. laud. SS. C. et I. n. 19. Terram pervariam. Confirmatur hinc Apuleii dubium exemplum apud Forc.

PERVENTANS. Virg. gr. epist. 3. p. 60. Ad nos usque perventans.

PERVIABILIS, e. Supplem. Iul. Valerii p. 520. Stratum firmitudine perviabili.

PETAURUM, i, sensu novo. Schol. ms. ad Iuven. IV. 265. Petaurum genus erat ludi apud Afros, eo quod a tauris perageretur. Tauri enim

ita docti erant, ut homines cornibus sursum iacerent, et absque iaesione eos super cornua reciperent: qui ludus magnam delectationem praestabat.

PHALANGA, ae, pro phalanx, acies militaris. Supplem. Iui. Valerii p. 520. Phalangis eius atque ordinibus fluentibus. Et p. 521. Cum omnes illae tot phalangae. Adi etiam Cangium.

1000 PHARMACEUTICI libri. Galen. comp. iat. ms. cap. 30. Multa et optima ad haec talia in pharmaceuticis et a nobis et a prioribus habes conscripta. Rursusque ad Glauc. ms. II. 16. Quae plurima sunt in pharmaceuticis scripta. - Item alibi. - Adde haec unico apud Furi. Caelii Aur. exemplo.

PHERONYMUM vocabulum. Anast. M. 49. p. 509. Item apud Murator. in transl. S. Athan. neap.

PHILAETIA, ae (φιλαιτία.) Schol. ad Virg. Aen. II. 83.

PHILOPONIUM officina, et PHILOPONUS baiulua. Bonif. cons. M. 5. p. 117. Mennas philoponus qui philoponio praeerat. Et Anast. M. 35. p. 119. Philoponos et levare atque portare cohortans. Rursus ibid.

PHILOSOPHALIS, e. Schol. ms. ad Iuven. III. 118. Nutritus in ipso fonte philosophali.

PHILOSOPHO, as. Virg. gr. epist. 2. p. 28. Nihil aliud amare quam semper philosophare.

PHILYRUM, i. (vel *us, i.*) Schol. ms. ad Iuven. VI 121. In centone, hoc est in philyro (cod. filiro), prostabant meretrices.

PHOENICIUM, id est purpura. Isaias I. 18. Et si fuerint peccata vestra ut phoenicium, ut nivem dealbabo: si autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam. Sic adamussim citat hunc locum ex italica vetere etiam Arnobius apud nos Spicil. T. V. p. 105. Porro in nostro thes. lat. T VIII. p. 241. haec habentur: *phoenicium, herba fullonum quae nigram facit tincturam.*

PHONUM, i. Virg. gr. epist. 2. p. 11. Primus Aeneas aput nos phona scindere consuetus erat. Item alibi apud eundem Virg. gr. pp. 67. 100. etc.

PHORIUM. Bonif. cons. M. 5. p. 119. Non in phorii pilento considens, quae sedes est in qua deportari aegroti assolent.

1010 PHYLACTERIAE, arum, gen. fem. cum glossa *observationes*. Atto polypt. p. 57. Item apud Guidonem farfensem. V. Cangium.

PHYMA et PHYGETHLON, apud Galen. iat. ms. ad Glauc. II. 1. bis legebam Prius quidem refert ex Celso Forcellinus. Alterum, id est phygethlum, pari iam fere iure romana civitate donandum videtur.

PHYSIS. Galen. comp. lat. ms. cap. 24. Frequenter ipsa se physis medetur, quae est domina corporis. Et cap. 26. Consideranda est maxime physis, id est natura aegrotantis. - Addesis haec apud Forc.

PIGNERARE PIGNUS, id est capere pignus. Deut. XXIV. 10. Non intrabis in domum eius pignerare pignus.

PIGRITOR, aris. Eccli VII. 39. Non pigriteris visitare infirmum. Habet vulgatus Act. IX. 38.

PILESCENS, tis. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Pubentes genas, id est pilescentes. Et mox. Iam pilescens (Mercurius.)

PINNIFER, i Ald. gram. p. 552.

PINUS dicebatur olim pro acutus. Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 156. Pinus arbor picea, ab acumine foliorum vocata; pinum enim antiqui acutum dicebant. (Et Isid. orig. XVII. 7. 31.)

PIONPO, as. Ald. gram. p. 570. Vultures pionpant.

PLACELLA, ae. Bonif. gr. p. 482. Apud Cangium legitur *placcellus*.

PLACOR, ris, id est laetitia, vel placatio. Opusc. vet. ms. in proverb. Salom. Est etiam in glossis Isidori. 1020

PLAGARIUS, a, um. Schol. ms. Iuven. III. 76. Plagarius, qui plagas curat; plagiarius, venditor hominum. Habet Papias.

PLAGELLA, pro plagula. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 9. Intinguis plagellas (ital. *pezzuole*) lineas duas, et sic humidas ad stomachum ponis. - Et rursus cap. 13.

PLANCTUS, i. Tract. in Luc. p. 197. In plancto conparavit iustitiae gaudium.

PLANETAE et PLANETICAE febres, saepe in Galen. lat. ms. puta comp. cap. 74. Sufficit haec de quartanis, tertianis, et cottidianis, vel de planetis, id est erraticis, febribus dixisse. Et ad Glauc. I. 47. Febres erraticae, quas Graeci planetas appellant. Et cap. 48. Qui febribus erraticis laborant.

PLASTUM, i. V. affla.

PLAUSTULUM, i. Auxilius in glossis mss. Plaustulum diminutivum est a plausto.

PLECTA, ae. Appon. in Cantic. lib. VII. p. 11. Quos caritatis plecta simul univit. Et lib. VIII. p. 69. Retorti in plectam quasi capilli. Et mox: per plectam unus crinis effecti. Ita enim est in codice, non autem *plexus*. Habet vulgatus III. Regn. VII. 29. Porro *plecta*, itemque *plectula*, occurrunt apud nos etiam in thes. lat. p. 477. Non ignorat hoc vocabulum Cangius.

PLEMEN, is. Ald. gram. p. 545. In glossis Isidori plemina sunt callosi in manibus pedibusque sulci.

PLENITER. Sedul. Sc. de R. C. cap. 19. Pleniter agere valeant. Rursus idem Sedulius expt. arg. in Marc. Script. vet. T. IX. p. 174. 178. 179. 181. Item Decorosus laud. S. Lucae ibid. p. 184. Tum etiam Luculent. comm. ad Rom. p. 201. Denique Herembertus in Ps. 139.

PLETHORIA, ae, et PLETHORICUS. Galen. comp. lat. ms. cap. 24. Plethoria, id est corpus habundans crassis humoribus. Et mox: plethoricus, qui plethoriam patitur. Item alibi. 1030

PLETHOSIS. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 36. Media est illa vena, quam matricem dicimus, quam per annuam conversionem medici propter plethosin tangunt.

PLEUMON, pro pneumon, pulmo. Atto polypt. p. 54. Vester pleumon non durat. Hinc apud Galen. comp. lat. ms. cap. 87. Peripleumonicis pulsus est validus et spissus. Apud eundem Galenum ms. non semel legitur etiam *peripleumonia, ae*.

PLOAT pro pluat. Hierem. XIV. 22. Numquid est in idolis gentium qui ploat? Repetitur denuo bis hoc testimonium eodem cum vocabulo *ploat*, nempe capp. 44. et 51.

PLOVIT pro pluit. Genes. XIX. 24. Dominus plovit super Sodomam et Gomorram. Hierem. XIV. 22. Numquid est in idolis gentium qui ploat?

PLUMARIUM, i. substant. Ald. gram. p. 572. Cangius affert exemplum ex S. Ambrosio ep. 24.

PLUMELLA, ae. Opusc. vel. ms. in Ezech. Pulvillum (ita *um* pro *us*) id est plumella. Extabat in notis tironianis.

PLURINOMEN, nis. Bonif. gr. p. 476.

PLURIORES pro plures. Galen. comp. lat. ms. cap. 24. Aestimarunt eos plurioribus et maioribus purgationibus indigere. Et cap. 30. Ligaturas pluriores et vehementiores in manibus. Apud Forc. habet hoc vocabulum Fulgentius de Galeni officinis loquens.

PLUVIO, as. Virg. gr. epitom. 4. p. 122. Pluvia dicitur, quod de caelo pluviat.

1040 PNEUMON, is, pulmo. Anast. M. 55. p. 557. Porci pneumonem sumere. Item M. 67. p. 627. Periclitantem illum de pneumone.

POETIZANS legitur in glossa ms. vetere ad Iuven. VII. 79. Sane Lucifer calaritanus habet *poëto*, *as* apud Cangium.

POETRIS, dis. Ald. gram. p. 520. Sibyllae poëtridis. Confirmatur hinc dubium apud Forc. vocabulum.

POLYONYMUS, a, um. Ald. gram. p. 521. Quae synonyma vel polyonyma praetitulantur. Idem significat quod supra lat. *plurinomen*.

POMPATICE adv. Exemplo Iulii Valerii rhetoris adde Amosum VI. 1. apud vulgatum. Et sic legitur etiam in opusc. vet. ms.

POMPULENTUS, a, um. Ald. gram. p. 565.

PONDEROSITAS, et PONDEROSUS, hernia, et laborans hernia. Gloss. ms. ad Iuven. VI. 326. Hernia, ponderositas. A Scholiaste autem ibidem vidi hoc significatu appellatum ponderosum Neronem, quem Lucani Scholiastes diserte dicit fuisse herniosum. (Conferantur loci Catulli et Statii, quos citat Forc. voc. *pondus*. Cangius item haec abunde confirmat.)

PONTANUS et PONTIUS, a, um. Probus gram. p. 184. A ponte pontius et pontanus.

PORCINARIUM, i. Bonif. cons. M. 1. p. 99. Novum porcinarium in cervicibus hominum facientia.

PORTATOR, ris. Probus gram. p. 215. Apud Furl. legitur portatrix.

1050 PORTENTUOSE adv. Opusc. vet. ms. ad can. chalced. Portentuose, prodigiose.

PORTENTUOSUS, a, um. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. III. 19. Homines senis manibus portentuosi. Item ibid. 47. Portentuosa plurima eiuscemodi experti erant.

PORUS, i. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 16. Pori emphraxis. Rursus cap. 17. Qui vero emphraxin patiuntur, id est obclusionem pori vel alicuius membri necessarii ac vitalis, et ob id malfiiunt atque angustiantur. Et

lib. II. 20. In ipsis spiritualibus poris, quibus spiritus flatus suos emittit. - Hinc ergo satis confirmatur dubium Plinii apud Forc. exemplum.

POSICUS, i. Fragm. vat. iur. civ. de excusatione p. 38. Sive autem quis arthriticus sit, sive posicus, sive epilempticus, sive orbus.

POSITANS. Virg. gr. epist. 5. p. 82. Verbis adhuc ex integro positantibus.

POSTERADIE, pro postridie, dicitur diserte adverbium temporis a Bonif. gr. p. 531.

PRAE, pro eo quod est sine, ut prae fascino, id est sine fascino. Bonif. gr. p. 547.

PRAECEPTUS, passivo sensu pro iussus. Anast. M. 70. p. 646. Donum iuxta Moysen offerre praeceptus.

PRAECINGO, is, cum quarto casu. Ps. XVII. 33. Deus qui praecinxit me virtutem. Confirmatur a graeco δύναμιν, et ab antiquo interprete apud Sabaterium.

PRAEDICATUS, a, um, sensu passivo. Luculent. comm. ad I. Cor. Corinthii praedicati a Paulo apostolo, post eius discessionem illius doctrinam deserentes, seducti sunt a falsis prophetis. Et comm. ad Philip. p. 237. Hos praedicavit apostolus Paulus. Herembertus in Ps. 66. Praedicaverunt apostoli duri cordis homines (id est hominibus) qui Christum interfecerunt. Confirmatur hinc Cassiodori exemplum apud Furl.

PRAEFICES, auctores, vel duces. Conquestio Ludovici Pii in Spicil. T. VI. 1060
p. 197. Praefices sceleris. Sic etiam in transl. SS. Greg. et Sebast apud Cangium.

PRAEIUDICATORIUS, a, um. Virg. gr. epist. 3. p. 61. Quasi praeiudicatoria auctoritate.

PRAEORDINO, as. Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 265. Exire, id est non significari per mala quae tibi praeordinantur. - Forc. dicit inusitatum *praeordino*, ex quo tamen profert Caelii Aur. participium *praeordinatus*. At Furl. recitat etiam verbum ex vulgato.

PRAEPOSITOR, ris. Opusc. vet. ms. in Esther. Praetores, quasi praepositores.

PRAERUPTIO, nis. Opusc. ms. in Zachar. Praeruptio, praecipitium. Alia editio pro praeruptione, chaos habet.

PRAESENTIALITER. Anast. M. 52. p. 542. Praesentialiter sanctum videbat astare. Item in tractatu antiq. de non differ. remun. animarum, Script. vet. T. VII. p. 266. Qui inferos captivavit praesentialiter. Denique comm. ms. ad M. C. lib. I. Non habitaret quasi praesentialiter inter homines. Extant et alia medii aevi exempla apud Cangium.

PRAESENTIM adv. Virg. gr. epist. 5. p. 84. In praesentiarum unum adverbium facit temporale, ut sit quasi praesentim simile.

PRAESPERO, as, id est ante spero. Tertulliani exemplo apud Forc. adde Attonem polypt. p. 55. An praesperaverat usque in scipionem? (virgam consularem.)

PRAESTIGIO, as. Iul. Val. de reb. Alex. ed. rom. I. 50. Tibi numinis praestigiat divinatio.

PRAESTOLATIO, nis. Explan. symb. S. Athan. p. 402. Sine mora longa, sine praestolatione perpetua. Adde hoc exemplis vulgati apud Furl.

1070 PRAESUMPTIVUS, a, um. Tract. antiq. de non differ remun. animarum p. 267. Continuo praesumptiva dubitatione subiecit.

PRAETAXATUS, a, um, cuius glossa *praedictus*. Atto polypt. p. 57. Praetaxata ad sceptra. Est immo carolini aevi vocabulum.

PRAETER, cum sexto casu. Vide in voc. *gaudimonium*. Atque ita confirmari videntur exempla dubia huius constructionis apud Forc.

PRAETITULO, as. Schollastes ms. Lucani II. 645. Nomine consulum facta totius anni praetitulabantur. Item Sedul. Sc. explan. in praef. Hieron. p. 38. Quidam pseudo evangelistae sub nomine apostolorum falsa sua evangelia praetitulaverunt. Aliud exemplum in voc. *polyonymus*.

PRAETORIOLUM, l. vocabulum observatum a Furl., sed a nobis referendum ob eius definitionem. Sic ergo opusc. vet. ms. in Ezech. Praetoriola, cellaria in navi, in quibus merces pretiosissimae ponuntur.

PRAEVENTIO, nis. Nicetas aquileiensis tract. de Spiritu sancto, apud nos Script. vet. T. VII. p. 319. Perniciosa est enim praeventio.

PRAEVINCO, is. Inscr. ch. p. 350. sub Thrasymundo rege vandalo. Ardua sublimes praevincunt culmina thermae.

PRAGMENTUM, l. Itin. Alex. ed. rom. cap. 33. Pellium pragmenta usum ratium integraverant.

PRAVICORDIUS, l. Eccli. III. 28. Pravicordius in illis scandalizabitur. (Vulgatus habet *pravus corde*.) Hinc cognoscimus S. Augustinum in Ps. 146. sumpsisse hoc vocabulum *pravicordius* ab italica vetere.

PRAXAPOSTOLON, id est actus Apostolorum. Ald. de sept. p. 511.

1080 PRIMARIOLUS, a, um. Inscr. ch. p. 435. Helpidi filiae primariolae dulcissimae benemerenti Faustina mater.

PRIMORES. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Lauros primores, id est antiquas et pervetustas. Est autem nomen absque nominativo singulari. (Hoc adnotavi, quia apud Forc. est nominativus *primoris*, *e*.)

PRINCIPIUM et INITIUM. Sedul. Sc. expl. in argum. Marc. Inter principium et initium haec est distantia, quod principium plures in se sententias conprehendit; initium autem pars est principii, id est quaelibet sententiola principalis intra ipsum principium conclusa. (Legantur ibi reliqua.)

PRINCIPO, as. Arnobius in homil. S. Cyrilli n. 11. Principes cum iudicio principabunt. Alia exempla invenies apud Cangium. (In Attonis senioris testamento legitur etiam *episcopabunt*.)

PRIOR, is, id est opibus princeps. Argum. Aratoris, circa finem operis, ubi dicitur Paulus patrem Publii, priorem regionis (melitensis), desperatum sanasse. Confirmatur Cassiodori exemplum apud Furl.

PRIVATORIE, adv. Abbo quaest. gram. p. 347. Sic fit ut quaedam absque privatione negata, vera sint; quae privatorie affirmata, vera esse non possint. Quibus tamen privatoriis si hyperbatice superveniat negatio etc.

PROASTIUM, i, suburbium. Anast. pass. S. Petri alex. p. 689. In quodam proastio. Habent Papias, et alii.

VASTITIUS, a, um. Opusc. vet. ms. ad III. Regn. In argillosa terra. Alia editio: in vastitia terra.
VATIVOMUS, a, um. De pistrice Ionam evomente. Ioh. Erig. carm. IX. 6. Implens vativomi prognostica symbola ceti.
VENABULATOR, ris. Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 165. Venator, quasi venabulator, a venatione scilicet qua bestias perimit.
VENERABILITAS, tis. Remigius ms. ad M. C. lib. IV. Auctoritas heic venerabilitas est alicuius personae, quae iure recipiatur.
VENIRI pro vendi. Fragm. vatic. iuris civ. tit. de empto et vend. p. 2. Locus aedificii veniri non potest. Confer ibi adnot. Insuper evang. Matth. vers. antiq. p. 283. Potuit enim hoc veniri pretio.
VENTILABILIS. Virg. gr. epist. III. p. 57. Famosa et ventilabilis quaestio nascitur.
1440 VERITAS et VERUS, pro aequitas et rectus. Ad ea quae dicit Forcellinus, adde si placet quae scribuntur apud Cic. in Verr. lib. V. A. C. T. II. p. 533. in adn.

VERNACULATIM. Virg. gr. epist. 1. p. 16. Dativus casus vernaculatim verbum neutra'e demonstrat.

VERNICO, as. Ald. gram. p. 569. Aves vernicant.

VEROSUS, a, um. Notum ex Capella lib. IV. hoc vocabulum, intellectumque hactenus idem esse ac *verus*. Sed Remigius ms. de eo sic : « verosae » assertionis acrimoniaeque, id est firmae ac veridicae : vel, quod est » melius, verosae, id est acutae, ab eo quod est veru. » Optima expositio, quia sermo est de argumento dialectico. Alioqui *verosus* pro *vero*, videtur vix tolerabile.

VERSIDICUS, i. Virg. gr. epist. 3. p. 67. Versidici mensurare valebunt. Item alibi. Cangius citat Fab. Victorinum.

VESPERE, nominativo casu. Virg. gr. epist. 1. p. 9. 10. Est etiam vesper, vespere, vesperum, vespera : hic casus nominativus quadruplex est. Schol. ms. ad Sedul. I. 164. Vespere, quod est aptotum, dicitur ante ortum solis, ut est « vespere autem sabbati. »

VESTERARISSA. Inscr. ch. p. 215. Theophylacti vesterarii, et Theodorae vesterarissae.

VESTIOR, cum accusativo rei Matth. VI. Nolite ergo cogitare etc. aut quid vestiemur.

VESTRATIM. Virg. gr. epist. 2. p. 33. Etiam apud Probum vst. p. 279, et apud Tatuinum gr. ms. cap. de pronomine.

VICATIM pro vicissim. Ald. gram. p. 522. Vicatim et alternatim positis.

VICENTER, idest vicissim, ut ibi demonstrat gr. ἀλλήλοις. Anast. M. 50. p. 318. Si sancti vicenter eadem patrent miracula. 1150

VICTORIO, as. Virg. gr. epist. 3. p. 48. Nam cum dicis victorio, nescio quomodo ad meditationem pertineat, quocumque sensu intellegatur; sive ut nos dicimus, quandoque vincam; sive ut quidam, volo vincere.

VIDUBIUM, i. Schol. ms. ad Iuven. III. 311. Marrae vulgo vidubia dicuntur.

VILLANUS, pro villicus seu villae oeconomus Anast. M. 43. p. 470. Possessionis villanus Taurinus erat.

VINCILIBUS explicatur *vinculis* in glossis Attonis polypt. p. 49: a *vincile, is*.

VINEATUS, a, um. Inscr. ch. p. 227. sub Sergio II. vel III. PP. In horto vineato.

VINITOR, ris Schol. ms. ad Sedul. I 91. Vinitor est vel custos vineae vel calcator vindemiae. Posteriorem hanc notionem non vidit Forcellinus, etsi ita intelligendus est citatus ab eo Virgilii locus ecl. X. 36. *maturae vinitor uvae*. Novit tamen hanc significationem Hugutio.

VISCELLUM admisit dubitans Furl. Halleri auctoritate commotus; dixit tamen, alios citatis in locis scribere *iuscellum*. Ego vero minime ambigo scribendum esse constanter *iuscellum*, reiiciendumque *viscellum*; sic enim perpetuo in Galeni aliorumque medicorum codicibus lego.

VISIONABILIS, e. Anast. in homil. Cyrilli de SS. C. et I. Visionabilis dualitas virtutum.

VITUS, us. Probus gram. p. 235. Ab hac vitu, his vel ab his vitibus acuto accentu tenuatur etc. Habet Victorinus apud Cangium.

1460 VOCIMISSARIUS, i. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Praecones dicuntur vocimissarii, qui adventum iudicum praenuntiant. Item Schol. ms. ad Iuven. I. 44. Quos in schola vocimissarios dicunt. Cum illac (ila cod.) clamaverint, omnium multitudo collaudat. Item VII. 44. *magnas comitum voces*, gloss. ms. vocimissarios. Habent etiam glossae Prudentii.

VOLATIA pro *volatilia*. Matth. VI. 26. Intuemini volatia caeli. (Attamen in Matth. ev. integro vers. antiq. *volatilia*.) Item Oseas II. 18. Cum besteis agri et cum volatibus caeli. (nisi haec potius amanuensium menda sunt.)

VOLUNTATIM. Virg. gr. epist. 4. p. 73. Voluntatim, dictum est ex voluntate.

VOLUNTATIVUS, a, um. Virg. gr. epist. 3. p. 73. Promissivam ac voluntativam dicere debemus.

VORS, tis. Virg. gr. epist. 5. p. 77. Vors ipsa pagina dicitur, Lucano (minore) dicente: vortibus egebunt multis.

VULNIPOTENS, tis. Sedul. Sc. de R. C. cap. 14. Lancea vulnipotens.

VULTUS, absolute pro vultus tristis aut iratus. Eccle. VII. 4. Quia in vultu (ἐν κακίᾳ προσώπου) obiectabitur cor. Addatur hoc aliis exemplis apud Forcell.

VULTUS, I. Baruch II. 16. Aperi, Domine, vultos tuos. Existimassem apographi mendum, nisi apud me in vetustissimo commentario ad Lucam tom. cit. p. 197. legeretur *planctus*, *i*. Et in fragmentis Arrianorum p. 218. *gradus*, *i*., et alia huiusmodi alibi, apud alios auctores mss. v. gr. *casus*, *i*; *saltus*, *i*.

ZACYNTHOS, vocativo casu. Probus gram. p. 227.

ZINZITO, as. Ald. gram. p. 570. Meruli zinzitant.

ADNOTATIO DE LUCANI SCHOLIASTE.

De Lucani Scholiaste ms. quaedam notabiliora memoranda sunt. Namque ad lib. I. v. 8. ita scribit, referens nescio cuius vetustioris sententiam. « Lucanum librum suum incepisse hoc loco, QUIS FUROR; sed propter tra» gicam exclamationem, et nimis abruptum inceptum, additos esse a Se» neca septem versus praecedentes dicimus, ad exordium scilicet libri » componendum, vel contemperandum. » Pergit deinde Scholiastes noster septem illos priores versus enucleare, concluditque « Hactenus Seneca » Sane non est ignobilis haec notitia, quod poëmatis initium, prout est in editionibus, non Lucani sit sed Senecae. Fronto fragm. I. de orationibus ed. rom. p. 241. tribuit hos versus (quos valde reprehendit) Annaeo poëtae, neque tamen accurate definit quisnam nominatim is fuerit ex Annaeis qui creduntur quatuor: fuerunt enim Annaeus rhetor, Annaeus philosophus, Annaeus tragicus, Annaeus epicus, ex eadem cuncti et familia et patria Corduba.

Lib. I. v. 44. et seqq. Neronem a Lucano tumida illa et abnormi invocatione fuisse ironice derisum, observaverat veluti per transennam ineditus Scholiastes vossianus ad v. 55. *unde tuam videas obliquo sidere Romam*, haec verba scribens: *latenter carpit Neronem quod strabo fuerit*. Verum noster Scholiastes clarius et singillatim ironiam poëtae exponit, incipiens a v. 53. *Sed neque in arctoo sedem tibi legeris orbe*. « Quasi consilium ei dat ne ad extremitatem caeli palatium caeleste tran» sferat, ne extremitas illa pondus eius deitatis sustentare non valeat. » Serio tamen, vitio corporis eius, aliud denotat. Erat enim calvus, pin» guis, herniosus, strabo. (Recole voc. ponderosus.) V. 55. *Obliquo si» dere*. Hic strabonem eum notat. V. 56. *Aetheris immensi*. Consulit ei » ut medium caeli teneat; hic pinguedinem. V. 59. *nullaeque obstent a » Caesare nubes*. Hic calvum. » V. 60. *Tunc genus humanum positis sibi consulat armis*. Serio hic dicere intendit: nunc tuâ nequitiâ et ignaviâ bellum habet omnes terras; sed si casu finis tuus contingeret, mundus pacem haberet. V. 66 *Tu satis ad dandas romana in carmina vires*. Quasi hoc diceret: alii post mortem, infinitam hanc tuam confitebuntur nequitiam; sed eam ego iam, quamvis oblique, praedico; ut etiam nunc haec tua derisio pro invocatione mihi concedatur ab omnibus.

Aliam denique apponam Scholiastae eiusdem eruditam adnotationem ad lib. VII. 395. *Rus vacuum*. « Id est Alba, in quo magistratus coacti una » nocte vix debitas persolvebant vigilias, de institutionibus Numae con» querentes. Numa enim latiali Iovi diversas dignitates modum vigiliarum » reddere constituit; nam alii per septimanam, alii plus vel minus vi» gilias iuges et hostias apud Albam persolvebant. » Burmannus editor hunc Lucani locum se intelligere negat; Grotius nihil dicit; Farnabius vix quicquam.

GLOSSARII

APPENDIX.

1470 ABYSSUM, i. Tatuin. gr. ms. de gener. Hic Narbo et haec Narbo, hoc abyssum el haec abyssus.

ACCUBITIO, uis Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 107. Accubitu, id est geniali accubitioni.

ACETO, as. Galen. comp. lat. ms. cap. 13. Olim ab Hippocrate dictum scimus: sucum ptisanae bene factum, illis maxime quibus nou acetat in stomacho etc. optime offerimus. Adde hoc in app. Furl.

ADIMAGINATUS, a, um. Comm. ad M. C. lib. I. Πρὸς graece ad: εἰκων imago. Hinc enprosicon, adimaginatum.

ADOPTATIVUS (non adoptivus.) Gloss. ms. ad Iuven. VI. 601. Supposilos, id est filios adoptativos.

AENIGMATICE adv. Opusc. vet. ad I. Regn. XXI. 5. David aenigmatice pluraliter de se ipso respoudit dicens: et fuerunt vasa puerorum sancta.

AEQUISTANS. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Parallela interpretantur aequistantia.

AFFECTATE adv. Schol. ms. ad Iuven. II. 55. Praegnantem fusum pro pleno dixit proprie et affectate, id est ornate.

AFFECTATIVUS, a, um. Schol. ms. ad Sedul. IV. 274. Tabo, putredo mortuorum; virus viventium: et est verbum affectativum, id est nove inventum. - Nimirum tam iu Schollo, quam in glossa interlineari, tabo ceu primus casus iutelligitur. Mire autem suffragatur Tatuinus grammaticus ms., qui ubi agit de casibus, ita scribit: interdum quae unius casus suut, tameu significationem servant, nt tabo, spoute.

ALLOQUIBILIS, glossa τοῦ *affabilis* in Sedulli praevia epistola prosaica.

1480 ALMITONANS. Versus subscriptus operi Aratoris « Explicit almitonans in Christo dignus Arator.» Hic tamen versiculus haud scio an miliario aevo sit anterior.

ALPES proprie lingua gallica dicuntur altissimi moutes. Ita Remigius ms. ad M. C. lib. VI. Equidem de alpibus, qui suut montes gallici, malo credere gallicano auctori Remigio, quam Festo nostro qui ita dictas putat lingua Sabinorum apud Forc.

AMBIGENAE. Schol. ms. ad Iuven. VII. 160. Arcadici vocantur magni asini, quales sunt iu Arcadia: uude in ambigenis legimus: mulus ab arcadicis et equina matre creatus. - Addantur haec apud Forc. voc. *ambigenus*. Vocabulum quidem *ambigenae* satis uotum est.

AMENTICUS, a, um. Opusc vet. ms. ad Act. ap. Dementasset, id est meutis diminutionem fecisset, vel amenticos. Et rursus. Insanis, Paule, id est amenticus es.

AMNATUM, i, (cod. annatum) cum glossa *sudor,* bis apud Galeu. lal. ms. ad Glauc. I. 50. Supra scripsimus verbum *amno*, *as*.

ANATHYMIASIS, cum glossa: fumus qui ascendit de stomacho ad cerebrum. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 19. Unde possit per anathymiasin dolor capitis commoveri. Et cap. 26. Ideo observare (cavere) debebit a constrictoriis cibis, qui anathymiasin faciendo in peius excitant causam.

ANESIS et ANETICA dies, nempe qua febris declinat. Galen. compend. lat. ms. cap. 69. Cotidie non sunt isti reficiendi, sed die anetica cibos accipiant calidos et digestibiles. Et mox cap. 74. « die anetica » Et cap. 22. « sudorem incongruum et non aneticum » cum glossa « id est sine intermissione. » Nempe graecum esse vocabulum, nemo non videt. Nam et infra cap. 75. : « vel aliquando faciat anesim, id est declinationem.

ANHELANTIA, ae. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Ex vicinitate solis igneam qualitatem et fervidissimam contrahit anhelantiam.

ANOMALITAS, tis. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Diceret se passum anomaliam vel anomalitatem.

ANTELATUS pro antea dictus. Galen. lat. ms. saepe « ut in antelatis diximus. » Hunc significatum non scribit Forc.

ANTHROPOMOEUS, homini similis. Opusc. vet. ms. ad Gen. Mandrogora dicta 1490
est quod habeat mala suaveolentia, quod Latini malum terrae vocant. Hanc herbam poëtae anthropomoeam appellant, quod habeat radicem formae hominis similantem. (Hinc eam Columella X. 19. *semihominem* vocat.)

ANTISPASIS. Galen. comp. lat. ms. cap. 30. Si per antispasin constringimus quod manat. Et cap. 34. Cucurbitas e diverso adponimus, id est ut per antispasin in suo loco eam reducamus. Rursus cap. 51. bis.

APOPHLEGMA, et APOPHLEGMATISMA, tis. Galen. comp. lat. ms. cap. 65. Et apophlegmatis (quod licet scribere pro *apophlegmatibus*) mox utantur. Et in alia transl. Gal. Glauc. I. 44. Quibus etiam apophlegmatismata sunt adhibenda. Quod voc. in glossa ibi explicatur *quae phlegmata deponunt.*

ARATIUNCULAE, fossa. Opusc. vet. ad III. Regn. (adnotavi propter novum significatum.)

ARCHITECTOR, ris. Schol. ms. ad Stat. Achil. I. 89. Laomedon Troiam amplificare cupiens, architectores scrutatus est. - Exemplum hoc addatur in app. Forl. praeter illud Iul. Valerii, neque iam diutius de hoc vocabulo dubitetur: quin adeo, secundum latinae linguae analogiam, rectius dici putetur quam *architecton*, vel *architectus*. Novit etiam Ioh. de Ianna.

ARDUOSUS, a, um. Gloss. vet. mss. ad Aen. X. 678. Syrtes, id est mitte me ad quaelibet arduosa loca.

ARGUMENTUOSE adv. Taluin. gr. ms. cap. de adv.

ARTHUS. V. perissus.

ASPERISSIMUS, a, um. Schol. ms. ad Sedul. V. 255. Ex optimo vino fit acetum asperissimum.

ATRIANUM. Galen. comp. lat. ms. cap. 65. Theriacam, aut philonium,

aut atrianum in ipso impetu dabis. voc. *atrianum* saepe recurrit ibid.

1500 AUDITRIX. Remig. ms. ad M. C. lib. IV. Cluen, id est auditricem vel auscultatricem.

AUGMENTATIVUS, a, um. Schol. ms. ad Sedul. III. 32. Magis, augmentativum adverbium est.

AUGMENTO, as, sensu neutrali. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 41. Febres augmentant.

AULEUM, pro aula vel caula (gr. αὐλή) Schol. ms. ad Iuven. IV. 123. Oestrum genus est muscae, quae cum bovem aut equum stimulat, auleo fugere conpellit. Graece oestrum, latine asilus, rustice tabanus a sono vocis dicitur; ponitur autem pro amentia vel furia.

AUSCULTATRIX. V. auditrix.

AVIDENTIA, ae. Schol. ms. ad Sedul. V. 362. 'Αορασία est quoddam genus caecitatis, quod latine dicitur avidentia, quando quaedam videntur, et quaedam minime. (Probat id Scholiastes variis exemplis hominum qui eodem tempore quaedam videbant, quaedam secus, ut Evae in paradiso, Sodomitarum circa Lotii, et discipulorum in Emmaus.) Habet etiam Angelomus apud Cangium.

BACCHANALITER. Gloss. vet. mss. ad Iuven. II. 3. Bacchanaliter, more bacchantium.

BARRIS pro barrus. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Barbiton, ex ebore factum, a barri, id est elephanto, dicitur.

BERYLLINUS, a, um. Schol. ms. ad Iuven. V. 38. Beryllina vasa, de beryllo pretioso.

BIBULOSUS, a, um. Schol. ms. ad Iuven. XII. 45. Coniux Fusci erat bibulosa et meribibula.

1510 BLANDITIUM, i. Schol. ms. ad Sedul. V. 328. In fulgore terror, in albedine vel in candore blanditium.

BOATADO, as. Opusc. vet. IV. Regn. IV. 35. Oscitavit, boatadavit. (in cod. divisim *boata davit*. Num *boatus dedit?* Iudicent ergo eruditi.) Dicitur de puero qui incumbente Elisaeo revixit.

BOMBYCINES pro bombyces. Schol. ms. ad Iuven. VI. 260. Bombycines dicuntur vermes apud Seres, quae sericum creant. - Fortasse tamen est mendum pro bombyces. Sic apud eundem Scholiastem legebam *saxas*, pro *saxa*; *capitellam* effigiem pro *capitellum*, *colubres* pro *colubros*. Et in codice biblico cavensi constanter *capitula*, *ae* vel *capitola*, *ae*, nempe incipiunt *capitulae*, expliciunt *capitolae*. Item Scholiastes ms. Iuvenalis ad VI. 130. agnoscit septimum casum: *viris pro a viris, septimum casum sine praepositione posuit:* quam doctrinam diserte tradit Virgilius gram. epitom. 8. p. 136.

BORUUS, vel BORUUM. Gloss. vet. mss. ad Aen. II. 133. Salsa mola fiebat de borno sale et boruo. (Num pro *buthyro?* Certe a *boruo* natum videtur ital. vulg. *burro*.)

BREVIOSE, id est compendiose. Opusc. vet. ms. ad conc. afric.

CACABA, ae. Opusc. vet. ad I. Regn. II. 14. Caldaria, modica cacaba.

CACEMPHATICUS, a, um. Remig. ms. ad M. C. lib. IV. In honesta exempla, id est cacemphatica.

CACOTROPUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 85. Imminenti periculo, pulsus fit cacotropus et creber.

CALAMITUM, i, pro calamites. Schol. ms. ad Iuven. I. 70. Rubeta fluvialis et calamitum, quod est mutum et parvum.

CALCATRIPA, ae. Schol. ms. ad Sedul. I. 279. Paliurus est tribulum vel calcatripa dicta.

CALIDAMENTUM, i. V. medicinaliter. 1520

CALIDITAS, tis. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 20. Blandis caliditatibus, videlicet aut embrochis, aut cataplasmis, aut fomentationibus.

CALIGOSUS (non caliginosus.) Schol. ms. ad Iuven. VI. 31. Quia altae, ideo caligosae fenestrae, caligantes nimia altitudine. Adde hoc ad Venantii exemplum in app. Furl.

CAMBITOR, et cambota. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Cambio, curvo, vel in gyrum flecto. Hinc et cambitor equus dicitur, qui facile in quamlibet partem sessor voluerit flectitur. Inde et cambota, curvus baculus. Secundi vocabuli supradictum significatum novit Cangius, prioris non item.

CAPANNA, ae. Schol. ms. ad Iuven. III. 296. Proseucha dicitur casula pauperis, videlicet capanna, in qua residens pauper in quadrivio vel in publico loco petebat stipem a transeuntibus. Item ad V. 8. voc *crepido* habetur glossa *capanna*. Vocem esse rusticam dicit Isidorus in app. Furl.

CAPTATOR, ris, novo significatu. Schol. ms. ad Iuven. V. 98. Captatores sunt qui emunt ad hoc solum, ut carius vendant. (Romae nunc hi dicuntur *bagarini*.) Adde hoc in app. Furl.

CARCERARIUS, i. Argum. Arat. ad II. 424. Cum se carcerarius voluisset occidere. Confirmatur hinc nota tiron. apud Forc.

CATEGORIZO, as. Schol. ms. ad Sedul. I. 312. In sancta Trinitate communio est, sive communitas, exceptis relativis nominibus. Quod potest categorizari de Patre, hoc de Filio, hoc de Spiritu sancto; sic et de Patre et Filio.

CATO, nis, oleris genus. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 38. Tertianariis escas frigidas dare debes, id est catones, aut blitos, aut malvas, vel lactucas, aut cucurbitas. - Ibi graece in ed. Charter. T. X. p. 355. ἀτράφαξις, latine autem *atriplex*.

CATOMUS, i. Schol. ms ad Iuven. IV. 151. Utile consilium ceperunt, ut tamdiu eum (Neronem) caederent catomis, id est virgis ferreis, donec animam exhalaret; quod ille agnoscens, cum uno servo aufugit, et periit. Confer Forc. voc. *catomidio*, et Cangium voc. *catomus*.

CAUMALITER. Comm. ms. ad M. C. lib. II. Ex superiore calore, id est caumaliter descendente. 1530

CAUSARIUS, i. Opusc. vet. ms. ad can. chalced. Causarius, litis amator.

CAUSUS, et interdum CAUSON. Galen. comp. lat. ms. cap. 13. Qui causo,

id est nimio igne febriunt. Et mox : talis sit cura synochi vel causi. Et cap. 21. Simili modo ut synochus aut causus curari debet.

CEDROSUS, a, um. Schol. ad Sedul. IV. 55. Libanus est mons in Iudaea habens silvam cedrosam super se.

CELSA, ae. Opusc. vet. ms. ad III. Regn. X. 27. Sycomorus, hanc Latini celsam appellant, ab altitudine, quia non est brevis ut morus. Et rursus ad Luc. XIX. 4. Item Galeni antiqua translatio, tum comp. tum integr. l. 38. sed gen. neutr. Dabis poma diversa, et celsa id est mora, et cetera similia. (Hinc Italicum vulg. *gelso*.)

CEREBELLA, ae. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 23. Ungulas porcellinas, et cerebellas dabis, et ova.

CESSABILIS, e. Gloss. vet. ms. ad Aen. I. 576. Haud cessabilis in tanto cardine.

CHARAXO, as, legitur quidem apud Forc., sed numquam cum significatione scribendi quam ei constanter Virgilius noster gr. tribuit.

CHARTATRIX, cis. V. exceptrix.

CHOLERA, genere neutro passim etiam apud Galen. lat. ms.

1540 CHYSO, as. Galen. comp. lat. ms. cap. 31. Qui nimio sudore laborant atque chysantur. (Ita perspicue codex. Num a χύνω vel χύσις? Philologi interpretentur, vel emendent.)

CIRCUITRIX. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Peragratrix, id est circuitrix.

CIRCUMCINCTIO, nis. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Circumactu, id est circumcinctione.

CIRCUMCINCTORIUM, i, perizoma. Opusc. vet. ms. ad Gen. III. 7.

CITHARIZATIO, nis, et CITHARALIS. Schol. ms. ad Iuven. VI. 380. Citharizationi semper indulget. Ibidem 381. *testudo* habet glossam *citharalis lyra*.

CLAUSOR, ris. Opusc. vet. ms. IV. Reg. XXIV. Artificem et clausorem, qui auro gemmas includit. Vulgatus habet *clusorem*, itemque opusc. cit. in alia pagina.

CLYSMA, tis. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 38. Quibus clysmata nimis fortia adhibenda sunt.

COAUDITOR, ris. Schol. ad Iuven. III. 1. Umbricius fuit quidam amicus et coauditor Iuvenalis.

COESSENS, tis. Comm. ms. ad M. C. lib. I. Consentes, quasi consentientes sive coëssentes cum Iove. Novit Papias.

COGITAMENTUM. Adde. Schol. ms. ad Iuven. VI. 448. sic : enthymema graece, latine cogitamentum locutionis.

1550 COINQUINAMENTUM, i. Opusc. vet. ms. ad Galat. Adulterium est coniugalis tori coinquinamentum.

COMMENTATOR, pro interpres sive expositor, quam significationem non videtur agnoscere Forcellinus, quamquam citatus ab eo locus Tertulliani satis est perspicuus. Gloss. vet. mss. ad Aen. IX. 745. Plerique commentatores dicunt hoc loco Turnum occisum.

COMPAGINATIO, nis. Galen lat. ms. ad Glauc. I. 1. Firma et perpetua compaginatione scies constare.

COMPLACIDUS (non complacitus.) Remig. ms. ad M. C. lib. VII. Hilaro susurramine, id est complacido affamine.

COMPLECTO, is. Opusc. vet. ms ad Tobiam. Polypus, id est multipes, hamum appetens brachiis complectit, non morsu; nec prius dimittit, quam escam circumroserit. Addatur hoc Gargilii exemplo, quod tamen est sensus passivi, apud Furl.

COMPUGNATRIX, cis. V. symmachus.

COMPUTRIO, is. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 1. Corrumpi et computrire, quia non habent exhalationis vel digestionis meatum. Et cap. 22. Aliqua horum cito computriunt, si neglegenter curentur.

CON, antiquatum pro *illuc*. Bonif. gr. p. 534. Hoc adnoto, quia id vocabulum occurrit in prima Virgilii grammatici pagina, diverso tamen significatu.

CONDYLOMATICUS, id est chiragricus. Schol. ms. et gloss. ad Iuven. X. 229.

CONFERENTIA, ae. Opusc. vet. ms. ad praef. Hieronymi in Isaiam. Ex collatione, id est ex conferentia. Sic etiam Remigius ad M. C. lib. VI. Collationis, id est conferentiae, assimilationis. Habelur etiam in glossis Isidori, et apud Papiam.

CONFICTIO, a configo. Galen. comp. lat. ms. cap. 50. Si caput dolet cum 1560
confictione (ital. *con trafittura*) vel conpunctione. Item alia transl. Galen. ad Glauc. II. 7. Incisionibus vel conlictionibus. Et I. 19. Si cum confictione vel conpunctione. Ibidemque: Interrogabis utrum dolor configat aut pulset.

CONFINITAS, tis. Remig. ms. ad M. C. lib. IV. Symperasma, confinitas sive confinis conclusio. - Si habetur *affinitas*, quid ni *confinitas?*

CONIBENS. Adde. In commentario ms. ad M. C. lib. I. sic: conivere a verbo coniveo vel conibeo. Hinc et conivoutia dicta, id est consensus.

CONIBITIO, nis, id est conniventia. Theodosiani codicis summaria, Script. vet. T. I. edit. 2. part. ult. p. 82. Ipsum iudicem pari feriri sententia, qui probatum aput se facinus, conibitione interposita ulcisci desierit.

CONSECRETALIS. Schol. ms. ad Sedul. IV. 264. Symmystes, conscius secretorum, amicus videlicet consecretalis, cui omnia secreta fiducialiter panduntur.

CONSERMOCINATIO. Remig. ms. ad M. C. lib. IV. Potest etiam syllogismus dici consermocinatio.

CONSIDERABILITER pro consideranter. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 10. Haec omnia considerabiliter facienda non ignores, sed uniuscuiusque membri, quod patitur, physin et temperantiam ante praevideas.

CONSIDERATIVUS, a, um. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Apodictica, id est considerativa.

CONSIMILO, as. Opusc. vet. ms. ad Ezech. Conicit, id est aestimat, consimilat. Inusitatum dicit hoc verbum Furl. in append.

CONSPISSO, as. Galen. comp. lat. ms. cap. 86. Pleureticis pulsus est spissus; quae passio cum gravior fuerit facta, plus conspissat, et fiet velox et validus et veluti fluctuans.

1570 CONSPISSUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 85. Densus pulsus est, qui inspicientium tactu conspissa intervalla pulsaverit.

CONSTRICTOARIUS, a, um. V. anathymiasis.

CONSUETUS, us, vocabulum est Virgilii gramatici A. C. T. V.

CONSUMPTUS, us, pro sumptus. Schol. ms. ad Iuven. VI. 481. Diurnum vocat librum, in quo cotidiani consumptus et expensae scribuntur.

CONSUTATECTA. Opusc. vet. ms. ad IV. Regn. XII. Sartatecta, reparatio fabricae vel consutatecta.

CONVICIOSE adv. Opusc. vet. ms. ad praef. Hieronymi in Danielem. Cavillabatur, id est deridebat, sive calumniam faciebat, vel conviciose iocabat.

COPIOSITAS, tis. Galen. comp. lat. ms. cap. 7. Pro copiositate et exuberatione suis locis effusi. Et ad Glauc. II. 24. Apud Scythiam haec causae difficillime repperiuntur, propter lactis copiositatem, quo maxime vivunt.

CORACS, vel CORACM pro corbis (supra iam scripsimus *corba.*) Schol. ms. ad Iuven. III. 251. Corbulo proprium erat fortissimi gestatoris illo tempore, qui pondus magnum ferre valebat; vel est nomen validissimi cuiusdam laturarii; vel vinitorem dicit qui grandi corbo uvam portat ad torcular. Confer etiam Cangium.

CORNICULARIS, e, pro cornutus. Comm. ms. ad M. C. lib. II. Prima forma est lunae ab ortu usque ad octavam (diem) quando dicitur cornicularis etc. A vicesima usque ad tricesimam quando est item cornicularis.

COSMETAE proprie dicuntur ornatrices. Ita Schol. ms. ad Iuven. VI. 477. Contradicit vero eiusdem Iuvenalis Scholiastes editus: « cosmetas eos dicit qui ornamentis praesunt, non tamen et ornatrices. » Hinc etiam diversos videmus esse Scholiastas.

1580 COTIDIANARIUS. V. tertianarius.

CREMENTER. Tatuin. gr. ms. cap. de adv. Crementer, opulenter, abundanter.

CREXANTUM glossa est vocis *rubetam* ad Iuven. I. 70.

CRIBELLO, as. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 17. Tenuissime teris et cribellas. - Reapse apud Forc. legitur *cribellatus.*

CRIVOSUS, a, um, hernia laborans. Schol. ms. ad Iuven. VI. 824. Nestor proprium est illius temporis crivosi, quem pro quolibet posuit crivoso.

CUCULA, ae. V. linosa.

CULTRUM, i. Schol. ms. ad Iuven. XII. 84. Cultrum genus est patinae, quae in ministeriis templi adhibebatur, in qua far inponebatur. (Neutrale genus habet Propertius apud Forcell. sed ibi lectio non videtur satis certa. Refert etiam Ioh. de Ianua apud Cangium.)

CURABILIS, id est sanabilis. Galen. comp. lat. ms. cap. 5. Difficile est praevidere quae horum curabilia vel incurabilia. Item Schol. ms. ad Arat. I.

732. Multa sunt genera aspidis, sed generaliter dicuntur omnes aspides uno nomine. Quorumdam genus est incurabile.

DECOLATUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 21. Decolata decoctione subinde panes admiscemus et coquimus, et cataplasmamus. Habet quoque Papias.

DEFENSATRIX. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Adde hoc Probi unico exemplo in app. Furt.

DEGRASSON, aris. Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 406. Degrassatur ille 1590
alium, qui eum pedibus conculcat in luto, velut hic Paris conculcavit et vilipendit Graecos. - Significatum hunc Forcellinus non novit.

DE IUXTA. Galen. comp. lat. ms. cap. 30. Aurem trahere, vel capillos de iuxta aurem. Extat etiam in vita S. Germani paris. apud Cangium.

DELIRIOSUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 78 Deliriosos significat sive cardiacos.

DERELICTOR, ris. Remig. ms. ad M. C. lib. IV. Desertor, id est proditor et derelictor militiae.

DE SEMEL. Galen. comp. lat. ms. cap. 25. Hos tali corpore ne verearis de semel et vehementer purgare. Et cap. 27. Non de semel, sed partibus et molliter abstinendos a cibo. Et cap. 29. Totum de semel quod intus est evacuamus. Et mox. Clystere adhibito nimis valido de semel evacuentur. Denique ibidem. Si subito omnino de semel purgentur. Habet etiam Victorinus apud Cang. (Ital. vulg. *tutto in una sola volta.*)

DIACONIA, ae. Schol. ms. ad Arat. I. 554. Diaconus minister, diaconia ipsa dignitas. Forc. habet *diaconium*.

DIAPHORETICUS, substantive. Galen. comp. lat. ms. cap. 22. Diaphoreticos, quos multi cardiacos appellant. Et mox : diaphoreticos, id est cardiacos, ita cognoscis. Etiam *diaphoresis* legitur apud eundem.

DIATRITUS, tertiana febris. Galen. comp. lat. ms. saepe. Et ad Glauc. ms. I. 36. In primo diatrito vel secundo, si fortes fuerint, flebotomandi sunt.

DILAPIDATRIX. Gloss. ms. ad Iuven. VIII. 138. Prodiga Roma, id est dilapidatrix.

DIOGENISTA, ae. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Semitectos, id est diogenistas.

DOLATIO, nis. Gloss. ms. ad Iuven. XII. 56. 1600

DOLOSITAS, tis. Gloss. ms. ad Iuven. VI. 271. Non propter dolorem sed propter dolositatem perpetrati stupri.

EBULLITIO, nis. Schol. ms. ad Iuven. II. 13. Mariscae ebullitiones sunt corporis etc.

ECLIPSO, as, (ab aoristo gr. ἐκλείψας) in usu medico Galen. lat. ms ad Glauc. II. 21. Ut non malfiant atque eclipsent. - Quod verbum lumen evidens accipit a lib. I. 15. ubi dicitur : malfiunt atque deficiunt.

ELEPHANTIOSUS. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 24. Elephantiosos autem eo modo ut cancros curamus. Confirmatur lectio apud Forc.

EMANOCHE (ἐμβροχή), fomenti humidi genus. (apud Furt. *embrocha* ex

Theod Prisc.) Galen. comp. lat. ms. cap. 18. Ex tegetibus lecto laxius constricto, velut alveum facis, et ibi cum ex embroche diutius foves. Et cap. 28. bis Fomentationibus et embrochis ea curabimus. Et cap. 51. Eodem tempore quo antispasis fit, embroche capitis uteris. Et mox: frigidis atque embroche curabimus, id est hydroleo vel rhodino.

EMBROCHO, as, fomento foveo. (ex graeco.) Galen. lat. ms. cap. 35. Embrochamus oleo nardino infuso. Et cap. 51. Si calidus et cholericus humor fuerit, frigidis embrochabis caput. Et cap. 59. Stomachus cataplasmandus et embrochandus est. Vide Cangium.

EMENSURATIO, nis. Remig. ms. ad M. C. lib. VII. Permensio terrae, id est emensuratio.

EMPHRAXIS. Ad supradicta p. 20. adde: Galen. comp. lat. ms. cap. 43. Qui emphraxin patiuntur, id est obclusionem alicuius membri vitalis. Et cap. 50. Ne forsitan aliqua exuberatio humorum, emphraxin id est obclusionem meatus alicuius fecerit.

EPHIMERUS vel ephemerus febriens, et ephemerinus, nec non tritaeus, tetartaeus, pentaeus, hebdomaeus. Galen. lat. ms. diversis locis. Item ephemera febris, definitur simplex a Galen ms. ad Glauc. I. 1; ephemerina autem definitur quotidiana apud eundem cap. 47.

1610 EPIPASTICUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 24. Haec diaphoreticis et epipasticis medicaminibus vel siccare vel spargere etc. sine periculo poteris.

ERYSIPILA, ae, et ERYSIPILATUM, vel ERYSIPILATUS, saepe apud Galen. lat. ms. ad Glauc. Constantinus afer apud Cangium scribit erysipelam.

ESCALICUS, a, um. Gloss. ms ad Iuven. XI. 122. Latos orbes, scutelias vel vasa escalica.

ESCHARA, ae. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 22. Haec medicamina adhibita escharas resolvunt atque excutiunt; et cum ceciderint escharae etc. Extabat unicum Caelii Aur. exemplum apud Forc.

EVENTO, as. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 38. Quod si iuvenis fuerit, aut sanguine abundaverit, flebotomandum est, ita ut magis vena eorum eventet, quam sanguis deducatur. - De verbi huius sensu iudicent alii; neque enim apud graecum Galenum lib. I. cap. 11, in quo noster interpres libere versatur, rei explicandae idonea verba reperiebam. Conferatur hoc verbum apud Cangium.

EXALAPATUS, a, um. Schol. ms. ad Sedul. V. 97. Servi alapis caedi solent; et Christus exalapatus est, quatinus nos, qui servi eramus, liberaremur a servitute diaboli. *Exalapari* est apud Cangium.

EXCENTRIS, e. Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 180. Qualis vada Castor, id est sol. Nam excentres sunt circuli planetarum. Nisi tamen ipse sol mundo perficeret centrum, ipse quoque excentris esset; namque in volvendo raptus a firmamento, centrum habet terram.

EXCLAMATIVE adv. Gloss. ms. ad Iuven. VI. 118. Exclamative dicit.

EXHAURITIO, nis. Galen. comp. lat. ms. cap. 26. Multi neque nimiam sufferre exhauritionem vel evacuationem neque ieiunium ferre possunt. Im-

mo vero etiam *exhauritus* legitur ad Glauc. ms. I. 14. Sunt alii qui mox amittunt virtutem corporis, exhauriti per venas aut per ventrem. - Nimirum ut *exhauritio* pro *exhaustio*, ita *exhauritus* pro *exhaustus*.

EXOSOR, ris. Exemplo Attonis adde Schol. ms. ad Iuven. VIII. 200. Nero exosor fuit virtutis in tantum, ut etc.

EXPHRACTICUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 18. Dabis exphractica, id est quae aperire et relaxare possint. 1620

EXVACUUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 85. Inanis pulsus est, qui amotis digitis imaginem tantum gravitatis suae significat, et cito saltus exvacuus ostenditur.

FOCACIA, ae. Gloss. ms. ad Iuven. XI. 59. Placentas, id est focacias. Confer Cangium.

FACUNDULUS, a, um. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Lepidula, id est faceta, iocosa, facundula.

FOSSORIUM, i, substantivum. Schol. ms. ad Arat. II. 308. Ligo est instrumentum rusticum, quod alio nomine fossorium vocamus. Habent Papias et Hugutio.

FRAGLO, as. Schol. ms. ad Sedul. IV. 223. Fraglo, as, primae coniugationis, redoleo; tractum a fractis pigmentis, quae quo plus franguntur, eo amplius redolent. Flagro vero significat ardeo, et venit a flamma. (Haec adnotare placuit, quia nos contra in vetustissimis saepe codicibus *fraglo* pro *flagro* scriptum reperimus.)

FRENI, orum, vocabulum artigraphorum. Namque ubi Capella lib. IV. cap. de elocutione ait: *vitandi etiam freni;* ibi Remigius ms. sic: « freni, id est frendentia verba ». Et mox. « In eodem vitio, id est inter frenos numerantur. » Non videtur agnovisse hunc significatum Forc.

FRIGOR, ris, saepe in compend. Galen. lat. ms. Et quidem quo genere ponatur, patet ex cap. 18. Optime eum cooperis, ne frigorem sentiat. Et cap. 29. Sicut nimii frigores, et intolerabilis aestus. Et ad Glauc. I. 14. Nimius frigor, et nimius ignis occidit. Et cap. 26. Diligenter observabit, qui hoc patitur, ne frigorem sentiat. Saepius tamen scribitur in his codd. *frigdor*. Novit etiam Hugutio apud Cangium.

GESTICULATORIUS, a, um. Gloss. ms. ad Iuven. XI. 164. Tremulo, id est gesticulatorio.

GLIO. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 2. Ita ut glio pinguedinis fiat. Papiae quidem *glio* est *mollities*.

GLUTIS nominativo casu. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 21. Spissus quidam et pinguis humor grassitudine sua inhaerens loco, quasi glutis quaedam. Habent etiam glossae apud Cangium. 1630

GRASSITUDO. V. glutis.

HEMITRITAEUS. Galen. lat. ms. ad Glauc. I. 51. Hemitritaeus (febris semitertiana) est mediam partem habens tritaei. Novit Cangius.

HENOTICUS, a, um. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 18. Decoquendum aliquid in eo stypticae et henoticae virtutis.

HICTUS, i. Galen. comp. lat. ms. cap. 32. Ita curabimus hictos, qui pernimio fluxu atque evacuatione laborando malfiunt, vel angustiis lassabunt frequentibus.

HISTORIALITER. Adde Schol. ms. ad Arat. I. 794. Iudaea aegrota ei infirma erat in suis libris, quos non intelligebat spiritualiter sed historialiter

HORDEOLUM, i. Galen. comp. lat. ms. cap. 53. Sanguinem reiicientibus, si in ore eis ut hordeola nata fuerint. - Apud Forc. scribitur masc. *hordeolus.*

HORRIPILANS, de tremore morboso. Galen. comp. lat. ms. cap. 2. Vi acriori corpus horripilans (cod. obripilans) alget, et tamdiu tremendo patitur etc. Apuleius habet *horripilo.*

HYDROLEUM, i, vel hydreleon. Galen. comp. lat. ms. cap. 19. Subinde hydroleum calidum mittis. Item alibi. Et in op. ms. integro.

HYPOCONDRIA, ae. Galen. comp. lat. ms. cap. 78. Urina nigra et non viscida, cum sudore et dolore hypocondriarum, mortem nuntiat. Et cap. 79. Urina sanguinea, cum dolore cordis hypocondriae dexterae partis, statim subitam mortem dicit. - Et ad Glauc. ms. I. 37. Ambae partes hypocondriae, id est iocinerum, inflatae sunt.

1640 IACULO, as. Schol. ms. ad Iuven. XIV. 285. Cum furiae Orestem persequerentur, facesque in eum iacularent. - Forcellinus non inveniebat huius activae formae exemplum.

IMPREGNO, as. Gloss. vet. ms. ad Iuven. VI. 405. Praegnantem fecerit, id est impregnaverit. Item Schol. ms. ad Aratorem I. 57. Extat exemplum ex myth. vatic. apud Furl.

IMPUNITER. Tatuin. gr. ms. cap. de adverbio.

INABSTINENS. Galen. lat. ms. cap. 50. Si quis doleat caput, et sit inabstinens, et cordis pulsum patiatur, impera ut vomat. Apud Furl. in app. est *inabstinentia, ae,* ex Ennodio. Ex Isidori glossis apud Cang. opportune cognoscitur etiam significatio, nempe *impatiens.*

INDELECTABILIS, e. Galen. compend. lat. ms. cap. 34. Naribus earum odores adplicamus tetros, foedos, et indelectabiles id est foetentes.

INEXPOSITUS, a, um. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Impolitum, inexpositum vel inornatum.

INFIRMANS. Dictis p. 31. adde. Schol. ms. ad Iuven. VI. 236. Proiecit a se vestes quasi febricitans, quod solent facere infirmantes. Conferatur etiam Cangius.

INITIO, nis. Tatuin. gr. ms. ubi de gerundio et supino. Amandum et amatum in hoc distant, quod amandum necessitatem amoris significat, amatum vero initionem ad amorem. - Alio significatu *initio* in app. Furl. ubi praeterea de unico exemplo dubitatur.

INLASSATUS, a, um. Galen. comp. lat. ms. cap. 8. Et post balneum eadem virtus infatigabilis et inlassata permaneat. Apud Forc. est *indelassatus.*

INNECTUS, pro innexus. Argum. Arat. ubi Paulus dicitur ereptus fuisse de manibus Iudaeorum, innectus tamen duabus catenis.

INPROBUS. Adnotabimus etymologiam. Schol. ms. ad Stat. Achill. I. 41. Inprobus proprie dicitur, qui instat prohibenti. 1650

INPURGO, as, pro non purgo. Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 23. Mulierum quae inpurgantur menstruo naturali : nam quae tempore solito et congruo more purgantur etc. - Reapse in not. tiron. apud Furl. *impurgo* pro *non purgo*.

INTRICATOR, ris. Remig. ms. ad M. C. lib. VII. Cessator, id est demorator, intricator.

INTUERE pro intueri. Exemplis p. 33. citatis addatur Tatuinus gram. ms. cap. de verbo. Grammaticus regulas ultimarum litterarum intuere debet.

LASSABUNDUS, a, um. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Marcentia, id est deficientia, lassabunda. Confer Forc. voc. *lapsabundus*, et nos p. 86. voc. *hictus*.

LEPIDITAS, tis. Remig. ms. ad M. C. lib. III. Comitate, id es humanitate et lepiditate.

LIBYACUS, a, um. Remig. ms. ad M. C. lib. IV. ad verba *amicitia venenorum* ait : docet hoc quidem de libyacis.

LIMBASEUS. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Lymphaseum a lympha. Quidam legunt limbaseum a limbo, id est circulo in quo capita deorum depinguntur. (Observatur hic limbus circa capita deorum in picturis priscis Homeri et Virgilii quas nos edidimus.)

MADIFICO, as. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Imbrificabat, id est irrigabat vel pluviis madificabat. - Adseritur ergo negatum Plinii exemplum apud Forc.

MALIDUS, a, um (ita cod., non autem *madidus*) a gr. *μαλάσσω* Galen. lat. ms. ad Glauc. II. 24. Viperas decoquis tamdiu, quamdiu malidae sint carnes, ut possint spinae auferri. - Galenus quidem graecus ed. Charter. T. X. p. 391: *μέχρι τούτου τὰς σάρκας τῶν ἐχιδνῶν ἀφιψεῖν προσήκει, μέχρις ἂν ἀκριβῶς γενηθῶσι μαλακαί.*

MONTIBILIS, e. Tatuin. gr. ms. haud procul initio. Hic montibilis et hoc montibile, tertiae declinationis est. 1660

MONTICIUS. V. monticus.

MONTICUS, a, um, et MONTICIUS. Tatuin. gr. ms de nomine. A monte montanus, et monticus, et montinus, et moutuosus, et montensis, et monticius, et montibilis, invenimus.

MURICEPS, pis, fem. genere. Tatuin. gr. ms. de nom. (sequitur paulo post in cod. *municeps*, nequis forte *muriceps* mendum existimet.)

NOLENTER apud Tatuinum gr. ms. cap. de adverbio.

PATRILEGUS, a, um. Tatuin. gr. ms. cap. de nomine. Alia patronomica, id est patrilega, quod patrum lege subnexa tenentur. Vulgo alii grammatici, et qnidem melius, scribunt *patronymica*. Sed tamen et alius grammaticus ms. a me inspectus *patronomica* scribit explicatque ut Tatuinus.

PELIGNUS, cuius glossa *stultus*. Atto polypt. p. 55, nisi mendum ibi est.



PERGAMENUM, i. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Pergamus civitas Asiae, ubi repertus fuit usus pergamenorum (Ita cod. non *pergamenarum*.)

PLURIANGULUS. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Multae lineae poligonum faciunt, id est pluriangulum.

PRAEMONSTRATRIX. Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Praevia, id est praemonstratrix vel praecedens.

1670 PRAEPARANTER. Tatuin. gr. ms. cap. de adverbio.

PRAESAGO, as Remig. ms. ad M. C. lib. VI. Praesentire, id est praesagare. - Utique apud Furl. et Forc. leguntur *praesagans*, et *praesagatus*.

PRAEVIANS, tis. Unico apud Furl. S. Ambrosii exemplo adde Tatuin. gram. cap. de nom. Masculino genere utrumque sexum (avium et piscium) aut feminino, auctoritate praeviante pronuntiamus.

REQUIA, ae. Virg. gr. epitom. 8 p. 137. Requies, refrigerii a labore est; requia, otiositas.

SCHOLASTICE adv. Tatuin. gram. ms. cap. de adverbio.

VEROSUS. Confirmatur plane significatus eius a nobis p. 74. adprobatus, facta comparatione cum voc. *verutus*, cuius videsis exempla apud Forc.

ADDITAMENTA QUAEDAM.

P. 3. Aeternaliter habet etiam Alcuinus apud Cangium.

Agnicellus et agnicellulus referuntur item a Tatuino grammatico ms. cap de nomine.

Alucinari, id est *vana somniare*, dicit Remigius ms. ad Martianum Capellam lib. V. Attonis tamen glossa habet *vasa*, confirmatque vocabulo *conopeis*. Apud Cangium mendose ac ridicule recitatur ex Papia: *allucinaria, rana sompniaria*, sine dubio pro *vana*, quod mihi certe non displicet, praesertim auctore Remigio, a quo fortasse sumpsit Papias.

P. 4. in adnot. v. 3. pro 72. scribe 78.

P. 7. Glossa incaute omissa τοῦ *buccus*, est *garrulus et stultus*.

P. 10. Scribe *cocytus*, id est *luctus*.

P. 10. Scribe tantum *cuncubitus, i*, genere masculino, quod iam non est dubium; etenim in opusc. vet. ms. in ep. ad Rom. dicitur *concubitos impudicos*.

P. 15. Critabo corr. critalo.

P. 19. Dracona scribitur in codice, sed idem paene est ac cognitum dracaena.


P. 20. Adde. In argum. ms. ad Arat. l. 802. Tabitha dicitur eleemosynaria.

P. 21. Eugenes pro nobiles dicit etiam Remigius ms. ad M. C. lib. VII.

P. 23. Exemplum allatum in voc. *exluberesco*, legitur etiam apud Scholiastam Iuven. VI. 399.

P. 47. Exempla vocabuli *patrioticus* leguntur in app. Furl. ex Cassiodoro tantum. Nunc nostra addantur.

P. 78. Corr. mandragora.



IMPRIMATUR.

Fr Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Mag.

Ioseph. Canali Archiep. Colossen. Vicesgerens.





